Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
30 — C
27
ROMA

LEONIS à STIPITE
è
Scrinio Chriſtianæ Sapientiæ
eruta

RELIGIO MENTIS.

PARS SECUNDA.

Cum Permiſsu Superiorum.

VRATISLAVIÆ,
In Hæredum BAUMANNIANORUM Typographiâ
exprimebat Johannes Güntherus Rörerus.
Apud Joh. Georg. Steck, Bibliopolam,
ANNO MDCXCIV.

Digitized by Google

Jmprimatur.

JOANNES BRUNETTI
Vic. Offic.

Vratislaviæ Die 19. Febr.
Anno 1691.



DEO

Omnipotenti ac Sapientissimo
mundarum Mentium Custodi
Talenti fœnus præsentat Author.

Uncta cum Deo incipienda esse antiqvus Usus tradidit juxta illud: à Jove principium: Similiter & sine Deo nil esse, nil fieri debere unicè declamat Sapientia. Libri, quos Turba Literatorum solet Luci exponere, utplurimùm inchoant à dedicatione eo propemodum fine, quò patroci- *si non & alio* congaudeant fructu, eoq; interesse videtur, ut sit respectus am Operis ad patrocinium: hinc venit commodè dicendum, doctrinam entiæ habere respectum ejus à quo derivat ipsa Sapientia. Hoc Opus cùm nil in se contineat, quo fortè illiciat animos, quin potius antiqua comatur obsoleta profundissima fundamenta Sapientiæ Columnis Sacra, id est, itatem sivè humanæ Vitæ perfectionem, non est ut longè vagetur animus itatum, unde sit conquirenda operis protectio, ubi contendam ad Viridarium ens flosculos coronandæ Sapientiæ dicatos. Ipsa namq; Sapientia non et serto, cùm Virgo non sit, minus peplo cùm non decrepita sit, insuper djectitii tolerat, cùm septa sit Circulo finem nonnisi in principio habente. s ejus cùm inexhausti æterni Luminis fons sit, occasus itidem abyssus in- : Bonitatis, hâc ratione ubicunq; incipit aut finit, cum Deo incipit vel fi- apientia. Hactenùs non numeratur inter habitùs virtuosos per usum & ientiam acquisitos, quia est singulare donum Dei, quod cui vult inspirat sine respectu personæ, & quid sit, docetur Ecclesiast. 1. nempè dilectio ionorabilis Sapientia. Sapientiam solebant Antiqui depingere per Jconi- i Juvenis cæruleo indumento amicti obscurâ nocte tenentis librum in ma- istrâ, in dextrâ Oleo plenam & accensam ampullam, quâ significabatur n Intellectûs quod instar singularis doni Dei ardet in spiritu nostro sine ex-

 tinctione,

tinctione, quanquàm sæpè magnâ ex parte offuscetur à Vitiis, quæ sunt tenebræ in animâ superabundantes & extingventes sapientiam. Per Librum denotabatur S. Codex velut liber librorum, quatenùs in eo invenitur omnis Sapientia, quæ ad salutem est necessaria. Sedes Sapientiæ obscuritas est, utpotè in quâ est adeò involuta, ut hactenùs difficilis sit ejus adeptio, quâ de causâ Rex sapiens comparabat eam thesauro absondito Prov. c. 2. dicens: Si quæsieris eam quasi pecuniam & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini & scientiam Dei invenies. Constat tamen, non ideò tàm occultam, sigillatam atqve divinam esse sapientiam, ut eâ priventur homines, sed in eo sitam esse Causam, ut cum industriâ quærant eam, hoc ideò ne superbiendo glorientur de eâ tanquàm de proprio, sed ut agnoscant tantum donum esse velut summæ sapientiæ didactron. Sine Sapientia non potest beatitas seu Vitæ humanæ perfectio doceri eoq; nec acquiri: hæc itaq; est, quæ animum perducit ad Deum, quò religetur (adunetur) ei, atq; dehinc est concinnata ejus facies (inscriptio). De eâ scriptum est: qui invenerit me, inveniet Vitam & hauriet salutem à Domino. Quid quod non indiget Ornatu & divitiis, veraciter dici potest, quod qui eandem possidet, portet secum omne bonum, quoniam qui possidet Deum per intelligentiam & Charitatem, possidet etiam principium, in quo inveniuntur cuncta creata longè perfectius quàm in ipsis iisdem. Mundanæ res impediunt, quo minus homo accedat ad sapientiam, ast hujus cùm sit illuminare, earum est obtenebrare mentem. Cæterùm quæ in hoc vetustarum rerum libro continentur, nil nisi farrago sunt totaq; supellex sapientiæ, quæ hactenùs nec plus nec minus habent quàm ipsa habet sapientia, ubiq; scil. concomitantem Deum, cujus quæ fecit, dedit cuncta sunt propria. Cùm itaq; tùm res, tùm cogitationes, verba & opera cuncta debeant offerri ei, cujus sunt, non est quod Te præteream ipsam increatam sapientiam. Tibi Deus potentissime humilimè offero ac dedico laborem sublimes eas res tractantem, quas homo de tuâ gratiâ capere potest, quas vel ideò tantoperè aversantur, quorum ad pravitatem reflexus est animus, quod sunt tàm necessariæ, quia cum Deo uniri volentes. A te, Deus, sunt patefacta Mysteria fidei æternæq; salutis, in te quoq; nobiscum revolvuntur oblata omnium rerum fini. Tu ergò Clemens Domine da fructui accepto benedictionem, ut seminis instar proventu uberrimo crescat in Cordibus tuorum Electorum, fac deniq;, ut ipsa cum offerente Oblatio sub Umbrâ alarum tuæ sapientiæ protectionem habeat & Complacentiam.

❧)o(❧

PRÆFATIO AD LECTOREM.

S. Paulus Apostolus dividit hominem in animalem & spiritualem, qualem divisionem non facit gentilium Philosophia. Divisionem hanc jubet fides Christiana assumere, nec prohibet ea quæ hinc seqvuntur admittere. Differunt sic amor & voluntas, tùm ratio & intellectus, conseqventer etiam exercitia virtuosa quæ ad excolendam pietatem impenduntur, annon dehinc & Cultus & Religio? Id sanè videtur admittendum, quia Spiritus non quod Caro, neq; Caro potest id quod Spiritus facere. Novum quid hoc videbatur olim tàm Græcis quàm Judæis, eratq; ingrata doctrina spiritûs castigantis illecebrosos Carnis sensus, adeoq; dabatur ea in adversum. Consimile quid nostra ferunt tempora, eò quod Apistorum Turba simili propemodum de causâ censet antiquatam eam divisionem, per quam authentica redditur Spiritus contrà Carnem pugna, ideoq; si possent exauthorare Spiritum hominis post Corporis defunctionem in abstracto perennantem, nihil quod eò conferrent, intactum relinquerent. Alii verò refragantur huic Paulinæ divisioni, quatenùs obauditâ eâ admittunt paganam Confusionem circà indaginem Originis potentiarum humanarum hucusq; protensam committendo pietatis exercitium soli homini animali dehinc visi quàm dedignentur Regimen Spiritûs & in hunc simul influxum cælestem. Ast inter alios Johannes Taulerus Vir summè spiritualis, sui temporis Tavmaturgus redegit Paulinam Spiritûs doctrinam in quendam Ordinem ac disciplinam, reddiditq; celebre pietatis Exercitium, eò quod docuit cum eo comparatum esse sicut cum opificio vel artificio, quod ope regularum, informationis ac industriæ debet prius memoriæ mandari ac imprimi, posteà longo tempore diligenter exerceri, donec discipulus

lus acquirat habitum & Magisterium. Hic liber quà homini animali est perquàm ingratus, imò longè adversus, est hodiedum adeò traditus oblivioni, ut vix alicubi restet ejus memoria, præter id quod ubi pervolvitur obiter, fiat querela de sensu ejus difficulter perceptibili. Utinam tàm utilem librum liceat redivivum facere vel solâ paucorum eorum gratiâ, qui ob difficultatem intellectionis mortuis eum accensuerunt, maximè cum ullo vix tempore doctrina ejus mundo magis quàm nunc fuerit necessaria, ut quod vel paulò lucidius redditum si non utilitatem debitam, saltem ansam legendi suppeditaret, eoq; Authoris intentionem promoveret. Ob summam hanccè necessitatem ausus sum recudere doctrinam hujus Authoris mystico genere plenam, non tamen ubiq; concinnavi opus de verbo ad verbum, sed juxtà alium quendam ordinem, quo (meo judicio) perceptu sit facilius. Quantum autem ad ipsum librum censeo sublatâ difficultate à potentiis superioribus & inferioribus animæ sensitivæ dicatis enatâ posse pariter tolli alias multas hinc oriundas, quatenùs his resolutis materia antecedenter obscura redditur lucidior, objectiones quoq; tàm sepulturæ libelli quàm imperceptibilitatis ejus retundi queunt, ne quà relinqvatur causa contra Spiritum invectivæ. Habetur quidem hic liber currente seculo impressus idiomate germanico & belgico tàm inter Catholicos quàm Acatholicos, imò latinitati quondam redditus à Surio Carthusiano; cùm autem compertum sit eum ferè nuspiam ad usum trahi eò quod qui seipsum non cognoscit, nequeat eum satis intelligere, hinc mihi videtur nondum revixisse, cujus ergò promotionem dum molior, placuit eum ex authentico germanico Exemplari de novo in latinum vertere simulq; præmittere, quæ ad Cognitionem hominis inserviunt, si non ad amussim, saltem ad aliquem prægustum humano captui attemperatum, id

quod

Digitized by Google

quod in primâ parte factum constat. Tot fortè lineis quot Alphabetum constat literis poterat totius libri sensus comprehendi; verùm cùm res tanti momenti non sicut primâ fronte appareat, sit captu facilis, quæ potius errorem ac damnum ex malâ intellectione, sicut incomparabile emolumentum ex accuratâ intellectione parit, necessum erat variis verbis, formulis & modis loquendi, quin & minus appositâ repetitione planam & intelligibilem reddere, necnon ad captum diversæ sortis hominum coaptatam tradere. Hoc non obstante superfluas quasdam rerum iterationes, quas Author seculo rudiori de industriâ proposuit (eum ferè modum imitatus quo Deus olim fuit usus sub Legum Judaicarum traditione) studiosè hîc aut omisi aut complicui, aut sensu quodam emphatico reddidi: quo quidem facto nec mentem Authoris interceptam nec operæ debitum elogium obliteratum censeo.

Cùm enim Vita illibata à quovis Christiano requiratur, nil Christianis existimatur magis conducere quă doctrinam divinæ Vitæ in Christi Præcessoris nostri exemplo conspicuam. Doctrinam hanc totus iste liber tradit dum explicat seriem Virtutum ad eam necessariarum, morum emendationem, modorum differentias & electionem, mutationem, tùm & exercitii omnium necessarii institutionem & productionem. Omnis autem intermediàns & ad divinam Vitam perducens exercitatio (breviter dicendo) consistit 1. in desertione internâ omnium temporalium caducarum rerum, hoc est in evacuatione animi ab omnibus formis vel Ideis, quæ possunt animum obformare & in oblatione humilimâ. 2. in receptione summi Boni, ipsius scil. Dei ter gloriosi & in Conductione ejusdem in fundum purum, sincerum, evacuatum per medium fidei, Charitatis & fiduciæ. 3. in absconsione Spiritûs, animæ, corporis, cordis, sensuum sub taber-

naculum

naculum Humanitatis Christi & in similitudine ejusdem, quæ impetratur per medium vivæ sequelæ. 4. in firmâ adhæsione per meritum Christi productâ. Paucis quidem dictum, ast non æque paucis intellectum. Ad Cognitionem ducit uberior explicatio, ad effectum autem crebrior ejus repetitio: Utrumque benevolus Lector inveniet quod boni consulat. Quisquis autem tantum eruditionis hauserit, tantum quoque gratiæ & virtutis acquisiverit, ut in effectum præfata deduxerit, is cuncta credat hujus libri contenta complevisse, eoque à Deo illuminatum & ad divina opera præparatum esse, ut taceam, eum hactenùs vivam S. Scripturæ Veritatem cognoscere juxtà Lumen illuminatorum hominum, hoc est, in rectâ sequelâ imaginis & vitæ Christi Domini nostri.

Ut autem Liber doctrinæ Theosophicæ ad usum desiderantium recusus facilius intelligatur, liceat eum mundo revocare in memoriam, sed modo alio, id est, juxta superiorem divisionem instituto, ità ut ab initio ad finem usque tradatur in formâ quæstionum & responsionum exaratarum quasi à personis invicem decertantibus sub nomine hominis animalis & spiritualis, quatenùs dicit scriptura animalem hominem non quæ sunt spiritûs percipere, spiritum quoque esse promtum (ad pugnam) carnem autem infirmam. Omisi autem ea, quæ solent ordinem perturbare, verba variata, repetita & dicteria idem significantia, quatenùs moderno seculo non placent quæ euphoniam non habēt, utut aliàs ad rei impressionem utilia esse videantur. Adjunxi quoque paucula quæ videbantur adjectu digna, insuper quæ difficiliora erant verba mutavi repositis aliis idem significantibus, quamvis omnia mea ab Authoris verbis & sententiis brevitatis causâ non separatim notaverim, quò totum hoc institutum relatum volo.

Vale Lector benevole & fave.

SECTIO

PARS SECUNDA.

IN primâ hujus libri parte ostensum est, quid homo sit, quot, qualibusvè partibus constituatur, undè & propter quid sit conditus, & dictum est, quod ad Gloriam Dei: Hæc autem conditio relationem habet ad immortalitatem non obstante mortis interventione, quatenùs hæc tantùm est terminus à quo, qui transitionis quendam modum describit ad inaccessibile aliàs Regnum, quod gloriâ Dei plenum est. In hâc igitur Secundâ parte agitur res nostri Authoris, cujus doctrina collimat eò, ut homo cognoscat, qualiter suum finem queat adipisci, nimirum Regnum Dei, ut tunc & ibi æternum decantet gloriam Dei, celebrando nomen ejus Sanctissimum. Enimverò ad possidendum Regnum Cœleste inspirat Deus homini Spiritum immortalem, cujûs operâ corpus humanum unà præparetur, dignumq; reddatur gloriosâ Resurrectione. Tractat ergò Author noster per cuncta sua opera varios modos & vias, in qvibus ambulando homo queat pervenire ad Regnum Dei: hos omnes concludit termino veris Christianis satis noto, id est, etymo perfectionis, quam Dominus noster ipse injungit. Perfectio, uti difficillima est, ità in sensu Notitiæ latissima, atq; dehinc refertur ad sapientiam Christianam, ad quam sapientia increata invitat omnes homines in libris Sapientiæ, Proverbiorum & apud *Isai c. 55.* Perfectionis hujus causâ exposita est regula, norma, Speculum, quod Vita Christi est: nam juxtà hoc exemplum conformamur

in Vitâ novâ & perfectâ. Hæc nova vita incipit à Pietatis exercitio & addiſci debet juxtà ordinem quendam, non multum abſimilem ei, quo artes docentur & opificia, proindè monſtratur in hoc libro, qualiter quis incipere debeat, ac velut per gradus progredi ſemper diſcendo, exercendo, renovando, donec juxtà Talentum ſuum propius ad Magiſterium acceſſerit, id quidem ſinè aliquâ ſui præparatione non poſſe fieri cenſendum eſt, quam Author etiam diverſificat. Ut ergò ordo in primâ parte prænominatus ſervetur, eoq; citius aliquis ad hujus artificii, aut exercitii cognitionem, ſi non habitum, perveniat, Initium arbitror faciendum eſſe de iis, quæ jam propoſita ſunt, nimirum de Regno Dei, de perfectione, de Vitâ Chriſti &c. Hæc reliqua ſequentur.

SECTIO PRIMA.

CAP. PRIMUM.

De Regno Dei.

Q. Si Regnum, de quo dicis, eſt Dei, quî convenit hominibus? R. Quia Regnum Cæleſte eſt hæreditas, quam Deus Electis ſuis promiſit, hâc ratione convenit iisdem vivere in æternum. Sunt ergò Synonyma Regnum Dei, Hæreditas Cæleſtis & Vita æterna. Incipit autem hoc Dei Regnum in Electis Dei amicis adhuc in tempore, qui & dehinc vocantur beati.

Q. Regnum Dei quid eſt? R Eſt Deus ipſe cum omnibus ſuis divitiis in ſuâ ipſius eſſentiâ & naturâ.

Q. Ubi quærendum eſt Regnum hoc? R. Ubi eſt, ibi quærendum eſt. Eſt autem in intimo fundo animæ (mente) ubi Deus proximior eſt animæ, quàm anima ipſa ſibi. Quisquis ergò

hoc Regnum quærit, debet intrare in eam domum, hoc est, rtet eum exulare ab omnibus sensibus & sensibilibus, quoad in phantasiam per Sensus illata sunt idealiter, quin etiam mnibus Ideis intellectualibus, quæ in ipsum Scrinium Intelis deportatæ sunt modo rationabili sivè intellectualiter. : quidem naturæ adeò est exoticum, inexpectatum, imò abnabile, ut verbis satis exprimi nequeat.

Quid sequitur tùm, cùm homo in eam domum intrat quæn Deum? R. Tunc ea domus everritur & quasi subvertitur. n posteaquàm homo quæsivit Deum in profundissimo fun- mente) venit unà Deus quæsitum hominem, & vertit to- domum eo ferè modo, quo homo, dum quid amissum quæ- rojicit ista horsum, illa aliorsum, donec quæsitum invenerit.

. De modo passivo, quo homo quæritur à Deo, quid habes r? Hic modus, ut est in suo sensu, non debet omnibus tra- quia non omnes capiunt eum; illis autem tradere licet, qui- datum est nosse Regnum Dei, quib⁹ aliquandò illuxit lumen num. De introitu autem in animæ fundum (mentem) non m, ut sic quis capiat, quasi liceat semel, & quandoq; introire, & m exire ad comercium Creaturarum usurpandum. Minimè!

. Quid agitur tunc cum homine, cùm domus everritur, id est, homo à Deo quæritur? R. Id, quod tunc fit, est id, quod ta objecta, quibus mediantibus Deus seipsum objicit, quam- ùm in mentem venit, auferuntur homini, isq; ipse adeò in- itur, ac si nec unquam profecisset, aut recepisset aliquid, quin n illuminationes, aut revelationes omnes, quæ unquàm nerunt ei, invertuntur sub istâ visitatione. Ast istiusmodi rsio ingens affert emolumentum, quoniam si plenâ cum re- tione tolerari potest, provehitur homo longè ulteriùs, n per quævis alia instituta, modos & opera aliàs provehi t. Qui taliter se benè gerunt homines, fiunt omnium gra- i, quatenùs quod sunt illuminati, objecta cuncta transcen- o se in momento introvertunt, quotiescunq; volunt.

Q. Si Regnum Dei homini inest, quamprimùm fit voluntas Dei, dic qualiter advenit? R. Postquàm indefesso pietatis exercitio tractus est externus homo in internum, adeò ut uterq; (hoc est mens cum sensitivâ) unanimi oblatione sui penetrent in abyssum divinam, tunc se paterna abyssus immergendo demittit in fundum humanum ad se conversum, atq; sic velut in Unum colliquescit. Quærere ergò ante omnia Regnum Dei & Justitiam ejus in hoc consistit, ut in omnibus contingentibus Deus verè præfigatur, ut scopus omnis intentionis externæ & internæ, quoniam non minor Charitate debet esse fiducia.

Q. Ast cùm natura in se sit valdè aspera, in multis quoq; hominibus usq; adeò viscosa, ut semper quid appetat, cui tenaciter adhæreat, an non hinc magna intercedit difficultas? R. Sanè quàm magna: asperitas enim est capax adhæsionis, non item lævitas; attamen quod asperum est, limâ tolli, aut scopis duris potest abradi, viscidum quoq; resolvi, perlui & ablui, quamvis glabrum nihilo horum indigeat, quod facilè abstergitur. Sic quidem inveniuntur homines sylvestres, asperi & inæquales, quibus opus est, ut Deus eos limâ vel duris scopis variarum passionum & tentationum expurget, donec veram resignationem edocti perpoliantur. Ast probi homines, qui jam sunt læves ac æquales facti, ad omnia sunt promti, quâ ratione eorum multi fiunt sancti, qui manent in paupertate nudi, cœci & oblati, nimirum sic, qualiter Deus vult eos habere, nam hactenus cunctis iis elabuntur remoris, quibus aliàs natura cupit adhærere. Et hi sunt nummus ophiricus, denarius pretiosus, de quo dicit Parabola Evangelica: qui abnegârunt seipsos & omnia, quæ verum progressum poterant impedire.

Q. Compertum autem est, quod inæqvales homines cum sub tentationibus purgantur duris scopis, malo facilè cedant, eoq; prolabantur in subitaneam eoq; extremam tristitiam, metu ad desperationem usq; perculsi. Quid ergò, cùm ajunt: de nobis actum est, cùm simus omni gratiâ & luce privati? R. Hi si in vera

ra constituti essent resignatione, nunquàm sic prosperarentur, non commodè adeò viverent. Qvocunq; enim modo Deus eos quærat, acceptum illis esse debet in verâ pace; sivè cœcos eos velit, obscuros, pauperes, sivè det, sivè demat, ut sit perindè, tales inveniri eos ubilibet, quales quæruntur: siquidem hæc est via, quâ quis transcendit omnia. Hortandi ergò sunt pusillanimes, ne pavidi tàm leviter animo perdantur, sed aliorum exemplo erudiantur. Quod siquis ultrò provehi nequeat, cōmittat se fideli suo Creatori, nec animum hactenùs despondeat.

Q. Liceat hîc ad denarium redire inventum, quem adduxisti pro simili, quid est intelligendum de pondere ejus? R. Pondus habere debet ideò, ut in id fundum mergendo recidat, similiter ac indè elapsus est, in omni puritate, hoc est, sine maculâ aut notâ impuritatis.

Q. Siccinè aliqvid de effigie ejus? R. Notandum per effigiem non hîc intelligi Imaginem Dei, quæ anima ipsa est per denarium denotata, sed singulariter hîc per effigiem intelligi Deum ipsum, cui tàm esse unita debet anima, quàm est unita effigies nummo. Ipse Deus est hîc Imago, in quâ amat, cognoscit, & usurpat seipsum. Deus est, vivit, & operatur in animâ, hinc fit ea Deiformis, sivè ad summum depurata, Deo adhærens.

Q. Dic ergò, qualis vicissim sit apparatus animæ impuræ? R. Quicunq; animam contueri posset, quæ fundum & amorem suum volenter Creaturarum coloribus variegavit, procul dubio videret eam apparere Diabolo similem, cùm tamen Diabol⁹ tàm teter sit & abominabilis, ut si quis eum obtueretur in propriâ specie, non posset fieri, quin illicò exspiret: inde advertendum est, in istiusmodi abominandâ tetricitate oportere animam aspicere seipsam incessanter & in æternum.

Q. Dic, qualiter Author noster confert hæreditatem cum Regno Dei, & qualis eorum hæreditas sit, qui viam perfectionis percurrere satagunt? R. Hæc dicit Author: Qvi cupiunt intrare in adytum Archivorum Dei, non potientur hæreditate

aliâ, præterquàm divinâ, informi, innominatâ, occultâ essentiâ Dei, quamobrem non debet flecti caput eorum aliò, nec forâs, nec intrò, cùm alioquin evadat verminosum. Nec etiam est attendendum ei, quod simplex & suave sit, quoad perceptioni huic longè præferendum est crudum & inæquale, undè non quiescendum, nec suum proprium quærendum. Deus intendendo Creationem rerum non habebat coràm se aliud quid, præterquàm nihil, hinc non creabat omnia ex aliquo, creabat autem ex nihilo, in documentum nobis, quod ubi simpliciter vult operari, non alio indigeat, quàm nihilo. Nihil est opus ejus modo passivo, magisq; capax alicujus, quâm aliquid. Qvicunq; vult incessanter capax esse omnis ejus Vitæ & essentiæ, quam Deus donare vult & facere in suis electis Amicis, est operæ pretium ubiq; eò allaborare, ut suo in fundo veraciter sit Nihil: siquidem Egoitas nostra & affectatio impediunt Deum, quò minus Opus suum in nobis absolvat. Job, quem Deus ipse laudando pronuntiabat justum, simplicem, sui similem non habentem, qui nec unquàm Verbum stultum eloquutus est, prorupit in hæc verba dicens: In profundissimum infernum descendent omnia mea. Sanctus iste Vir intelligebat hîc seipsum & suum, non in sensu creati sui Nihili, in quantum homo eâ in parte nihil est; sed in Sensu Nihili sui promeriti: & tametsi Vir justus erat, nihilominus ob culpam suam cupiebat descendere in profundissimum, obscurissimum, summè cruciantem infernum, quasi dicere voluisset: fortè pro meis peccatis, meaq; promeritâ culpâ vix erit ibi tortura satis valida. Ejusmodi cruciatum inferni volebat sustinere in omnium maximâ torturâ sine ullâ evadendi spe, donec pro culpâ promeritâ satisfecisset. Gregorius dicit: quod ejusmodi homines quærunt mortem & non inveniunt eam. Tali autem Charitati atq; profundæ abnegationi respondet Vita in Veritate inadvertenter, quoniam quò profundius, eò celsius, quò minus, eò magis.

Q. Cum autem Eccles: 24. scriptum legatur: in hæreditate Do-

Domini habitabo, dic, quid indè discendum sit? R. Hæreditas, quam inhabitare debemus, est duplex, una temporalis, & hæc est venerabilis vita, passio & exemplum Domini nostri Jesu Christi, altera, quam expectamus, est clarificata hæreditas omnium maximè exhilarantis Deitatis, cujus causâ nobis est à Christo promissum, fore, ut simus cohæredes, atq; domestici ejus in æternum. Hæreditatem temporalem cum Charitate & gratiarum actione possidendo fideliter, quò excellentius exercitati sumus in eâ, hoc opulentius atq; beatius possidebimus hæreditatem æternam. Sanata sunt omnia vulnera Domini, exceptis quinq; majoribus, quæ à Claritate Deitatis indè elucentis servantur aperta ad usq; novissimum diem, ineffabilis ergò beatitudo est, quam Sancti & Angeli hinc adipiscuntur.

Hîc nostra hæreditas sint quinq; istæ portæ, per quam intremus in hæreditatem æternam, hoc est in patriam nostram. Earum quinq; portarum Custos est Spiritus Sanctus, cujus dulcissima Charitas parata est, nos, cùm pulsamus, intromittendi per eas in paternam hæreditatem, & quicunq; intrat per eas ordinatè, non deviabit.

Q. Quid ea vulnera discendum nobis exhibent? R. Discendas exhibent quinq; Lectiones, quæ nos â cunctis mediis abstrahendo introducunt, & hæ consistunt nominatim in his, passione scilicet, fugâ, contemtu & abnegatione sui ipsius, in verâ resignatione. Proindè necessum est, ut homo se demittat in vulnus pedis sinistri, indeq; exsugat potentiam vitandi omnem delectationem & sufficientiam, quam homo potest habere, aut obtinere sine Christo. Deindè opus est, ut totum se demergat in vulnus pedis dextri, cujus Virtute animatus, discat pati accidentia undequaq; foris ac intus irruentia. Posteà exugat è manu dextrâ Nectar divinum rogando, ut concedatur ei silentium internum, & externum. Qui tantâ polleret lætitiâ, ut posset tacere ad omnia, certum est, nil mali posse ei obvenire. Consequenter è manu sinistrâ sugat rerum temporalium, externarum, & internarum

ternarum, ſicut & omnium fortuitorum accidentium aut incidentium contemtum. Quicquid adverſus Dominum intendit & amat, quid ei incidit, caveat ne curet, ſed cadere ſinat, ſinat & elabi. Porrò cum omni quod ſuum eſt, fugiat in aperturam cordis Chriſti, in thorum ſuaviſſimum, quem ſuis illis, qui ei libenter corda offerunt, adaperuit, ut eos brachiis Charitatis ibi amplexetur, ipſi viciſſim hinc eo potiantur in æternum. Hîc eſt diſcendum, qualiter perpetuò quis abneget ſeipſum in omni modo, in proſpero, in adverſo, in ſufficientiâ & carentiâ, in tempore & æternitate, qualiter Dominus vult, qualitervè divino ejus Cordi placet in nobis, cunctisq; Creaturis. Ceſſent omnia, ut ei ſoli placeat: ad eum modum ſe geſſit perfectiſſimè glorioſa ejus Genitrix, quam ut imitetur quilibet bonus Chriſtianus, eſt ſummè neceſſarium. Et ut rem benè capiat, iterum dico Opus eſſe, ut Viam Vitæ ſuæ dirigat ad 5. Chriſti Vulnera, quò cùm pertigerit, oportet eum ſubſiſtere, intueri, & oſculari ſalutaria Vulnera atq; per ea penetrare ad ipſas eorũ Virtutes eſſentiales. Intereà noſcendum eſt, quid gratiæ reportet è Vulneris cujuslibet aſpectu, qualis quoq; ſit cujuslibet Vulneris Via (tranſitus)

1. Et cùm hoc ſalutare iter ſit revelatum à Deo, ſicut ſcriptum eſt: Hìc eſt iter (via) in quo oſtenditur ſalutare Dei (hoc eſt, Corpus dominicum) neceſſum eſt homini hâc Viâ contendere ad intuendum Salutare ſuum. Eſt autem Via per Vulnus pedis ſiniſtri deſiderioſa defunctio ſenſualitatis naturæ ac inordinatæ Cupidinis noſtræ, utpotè quæ finem ſuum aſſequitur in Uſu deliciarum divinarum. Dum homo ſiniſtri pedis Vulnus devotè conſiderat, flectitur ejusdem animus ad res ſpirituales & ad quævis Virtutum Opera mutatâ ſcil. Concupiſcentiâ carnis in deſiderium animi.

2. Dum Vulnus dextri pedis contuetur homo, acquirit robur ſivè Virtutem propter Deum cuncta patienter perferendi. Via autem per idem Vulnus eſt animi patientis penetratio in Deum, qui cunctos externos Caſus & afflictiones mediantibus piis Cogitationibus perrumpit Deumq; laudat in omnibus. 3. Dum

3. Dum homo devotus ſiniſtræ manus Vulnus aſpicit, nanciſcitur Scutum & protectionem adverſus omnis generis tentationes. Via per idem Vulnus eſt Exercitium omnium Virtutum, Obedientiæ & ſubjectionis perpetuæ, eaq; exercitatio eſt juxtà impulſum S. Spiritûs ſub Carentiâ internæ Oblectationis, ſenſationis & ſolatii, eſtq; talis cum moleſtiâ, paſſione & Oblatione ſui in divinam Voluntatem.

4. Dum homo devotus Contemplatur Vulnus dextræ manûs, datur ei liberatio, libertas & abundans Dei gratia. Via per idem Vulnus eſt paupertas Spiritus, utpotè cui datur eſſe liberum à formis, Ideis & ſpeciebus, hactenùs Capacem mediante eſſentiali amore penetrandi in clariſſimam eſſentialem nuditatem divinæ ſimplicitatis.

5. Dum Vulnus Lateris Conſpicatur, adipiſcitur anima incrementum omnium Virtutum flagranti ſub amore. Via per idem Vulnus eſt Uſus Sacramentorum cùm exercitio tàm Operum externorum quàm deſiderii interni ſeipſum in amore Conſumendi ſivè (alio modo loquendi) ſeipſum in eſſentiali amore ſubmergendi ſine medio ſenſorum diſcriminum in obſcuram tranquillitatem divinæ Unitatis.

Quotieſcunq; homo præfata divini amoris ſigna devotè Conſiderat, toties renovantur & augentur præſcripta dona. Ut autem fructum hujus doctrinæ Capiat, præſtat ſingulis diebus ea ter Contemplari, mane ſcil. Veſperi & noctu.

1. quidem humili Confeſſione quâ homo ſe inculpat vixiſſe adverſus hujus doctrinæ formam.

2. Sincerâ Confidentiâ, quâ homo ſollicitat Vulnerum interventionem, exorando Deum pro Virtutum præfatarum elargitione.

3. Summo Conatu, quo homo ad 5. Chriſti Converſus Vulnera Conatur per ea ardenti deſiderio, imò Cunctis Viribus ejus, Corde, animâ & mente in Deum penetrare.

Quicunq; hanc exercitationem Continuant, acquirunt indè artificium, imò & à ſedulitate Virtutem. Exercitium namq;

est ea pulsatio, sedulitas scrutatio, cujus ratione scriptum est: qui quærit, invenit & qui pulsat, ei aperitur, & sic è Contrario. Gratia datur desideranti, & Vita Æterna amanti. Itâ in variâ sanctâ devotione est exercenda suavissima ea hæreditas, ut per securam eam portam ingrediatur ad æternam hæreditatem. Offerat Cœlesti Patri innocentem Filii passionem pro suâ promeritâ passione, ejus innocentes cogitationes pro suis nocentibus, ejus sancta verba pro suis sonticis, & sic porrò, cuncta ejus facta, humilitatem, patientiam, mansuetudinem & Charitatem pro omni eo quod hactenùs deest ei foris ac intus. Nam quisquis hanc rectè cum eo possidet hæreditatem, securus redditur de futurâ Domini hæreditate, ut habitet in eâ cum omnibus Sanctis sinè fine.

Q. De temporali hæreditate, quæ possidenda hîc est, dignare, quæso, superaddere aliquid in sensu eodem, attamen sermone variato, dic quid est hæreditas Electorum? R. Ipse Dei filius est Merces, ac hæreditas eorum.

Q. Quomodo hanc impetrant hæreditatem? R. Eo modo, quo Filius à Patre habet omnia.

Q. Quomodo Filius Dei habet sua â Patre? R. per modum receptionis & redditionis. Ut enim Pater omnia dedit Filio; ità quoq; Filius cuncta, quæ â Patre recepit, obtulit ei, sicut dixit: quæ dedisti mihi, reddidi tibi. Non enim rapinam duxit Deo similis esse, hoc est, nil sibi servavit, nil appropriavit Filius, qui potius in omnibus & per omnia solam Patris sui quæsivit gloriam. Ideò convenit Electis imitari Filium Dei juxtà eundem modum, nimirùm offerendo Patri cuncta quæ habent, sunt ac possident; cautela quoq; adhibenda, ne quicquam quod unquã à Deo acceperunt sive extrinsecùs, sive intrinsecùs sibi attribuant. Cùm Dei sint omnia, solus Deus quærendus est; cùm omnia sint Dei, Deo linquenda sunt omnia, sivè mediatè, sivè immediatè occurrant homini. Qvid quod cuncta sint Dei, cuncta in Deo & per Deum sunt ordienda, & finienda, quæcunq; nobis per annum per diem & noctem, per horas & momenta sunt

per-

peragenda : in omnibus divina vox, voluntas & jussus observentur necessum est, cùm alioquin omnis neglectus peccatum sit.

Q. Si sensus, vires, imò tota natura corrupta est, contagiosa & attractiva, sic ut se ipsam in omnibus & pro seipsâ omnia quærat, annon hæreditas præfata valdoperè obscuratur? R. Non est negandum, divina dona obscurari & in Creaturas mutari, quam primùm homo sibi ea vendicat, vel attribuit. Quicunq; sic faciunt, Judæis similes sunt, de quibus constat, quod omnem fiduciam Operibus, mandatis, & Ceremoniis eorum superstruebant, eoq; in crassâ caligine versabantur. Christiani verò utut multa habent, & potiora Judæis peragenda; nil tamen habent, quò suam collocent fiduciam, præter solam gratiam & misericordiam Dei: hæc sustinaculum est, hæc merces est, quia gratia pro gratiâ, de quâ plura alibi.

Q. Quodsi hæreditas Cœlestis juxtà Authorem nostrum est vita æterna, dic qualiter quis possit pervenire ad eam? R. Per Imitationem Christi: per passionem & mortem præivit Salvator noster ad Patrem suum, simulq; ad eum traxit, & adhuc trahit post se veros Imitatores ejus, qui cùm viam obviationis absolverunt, suavissimè à Christo excepti perducuntur ad Patrem suum. Id autem revelavit Dominus per parabolam Pastoris & ovium: Ipse enim cum Agno ad mactationem perducto fuit comparatus intuitu passionis & patientiæ suæ; ità quoq; quos sibi amore fraterno conjunxit velut compatientes nomine ovium insignivit, nevè disperderentur congregavit in ovile numero unum. Cæterùm quod Ipse non solùm Pastor ovium, sed etiam ostium ovilis est; idcircò dicit; quicunq; aliundè introit in ovile &c: est fur & latro: his verbis indicans, quod qui intrare cupit, per ostium introëat, hoc est, per ipsum Dominum nostrum. Joh: 10.

Q. Quid Dominus noster vult intellectum per ovile in sensu Spirituali? R. In hoc sensu ovile nil aliud est quàm Cor paternum, quod antecedenter clausum & absconditum erat hominibus, à Christo verò qui ostium ejus est, patefactum est. In

hoc ovili est Congregatio sivè Comunio Sanctorum omnium, & oves ad id ovile pertinentes sunt animæ beatæ pariter & Spiritus Angelici.

Q. Quâ de causâ Dominus vocat oves Amicos suos? R. Propter eam causam, ob quam Salvator Ipse comparatur Agno, nimirum propter innocentiam & mansuetudinem, quæ proprium quid sunt naturæ agninæ. Hoc mediante fit, ut oves auditâ voce Pastoris obediant, ac præ euntem sequantur. Mediante hâc proprietate ductus est Agnus Dei innocens ad imolandum, auditâ Patris voce factus obediens usq; ad mortem. Quin etiam quotidianus mos naturæ hujus prodit proprietates, cùm quilibet innocens libenter auscultet mandato, mansuetus pareat præcepto.

Q. Nunquid non majoris interest nôsse naturæ hujuscemodi necessitatem, quàm quod hodiè observatur? R. Tanti non solùm nôsse, verùm etiam eâdem præditum esse, inter est, ut nemo audiat vocem Dei, tantominus obsequatur ei, nisi qui mansuetus sit, hâc ratione etiam per simile docuit Christus mansuetudinem, ut tantò attentius audiant, tantovè diligentiùs observent mandata Dei, cùm nec audiri vox, eoq; nec expediri possit mandatum, ubi procellosi animi resonant toni, aut fulmina subtus succutiunt omnia.

Q. Annon & feri, petulantes, iracundi, imò & omnes impii, quibus sunt aures ad audiendum, pollent facultate audiendi Verbum Dei prædicatum? R. Habent facultatem externè audiendi externum verbum, verùm ad audiendum internè verbum internum facultatem habent nullam; sunt enim surdi, rudes, incapaces, feri, imprudentes ac stolidi, & siquidem externis auribus Voluntatem Dei audiunt eam tamen expediri posse non credunt, fit, ut pari quâ audiverunt facilitate eam obaudiant, seq; reos cognitæ ac transgressæ voluntatis reddant: Secus faciunt mansveti, qui peccata sua confitendo amplius ea non perpetrant, utpotè qui Virtutem Verbi sivè verbum Patris Secretum in fundo interno eorum cum omni promtitudine &

mansve-

mansvetudine percipiunt, hoc est, eo modo, quo Christus Vocem Patris sui profert eis, hunc modum aliqui vocant aurem internam, quâ omnes destituuntur, qui oves non sunt. Mansveti implent Verbum Domini dicentis: quod in vijs ejus ambulabunt, neq; recedent ab illis.

Q. Quid, quæso, illis, qui verbum Dei intus audiunt, & mundum habent contemtui, parvum videtur? R. Id omne, quod magnum mundanis videtur: magnum autem dicitur de his, quæ excessivè vel offendunt, vel exhilarant animum: Sic dicitur magnus amor, magnum solatium, magnus honor, magnus itidem labor, magna passio, magna ignominia. Ista quippè temporanea sunt in propinquo, eoq; apparenter magna, quæ tamen in recessu remotissimo, nimirum ad æternitatem collata minutiæ sunt perexiguæ. Idcircò cùm Deus non nisi cognoscatur in æternitate, sequitur ei, qui Deum cognoscit ex animo, evanuisse totum mundum, ac ejus contenta omnia, vicissim, quoq;, non cognosci Deum ab animo, cui nondum creata omnia parva videntur.

Q. Quando, quæso, cognoscitur Deus ab homine mortali? R. tunc solùm, cùm in Spiritu tractus homo elevatur suprà tempus & locum, tunc, dico, videt Deum, cùm cœcus est, cognoscens nec tempus nec modum, nec quæ in eo apparent minutias, ideoq; solemus dicere; extrà mundum & extrà tempus cognoscitur Deus.

Q. Quænam anima est capax visionis beatificæ? R. Ea, quæ à corporis familiaritate recedit, & in spiritu trahitur.

Q. Annon humanus Intellectus & ratio tanti censenda est, cui tribuatur capacitas recipiendi Luminis æterni? R. Quàm magna cuipiam videatur Majestas intellectûs, nulla tamen est in comparatione ad lumen æternum, undè necessum est exaltari eum per lumen gratiæ, si Deum cognoscere velit, cùm impossibile sit sinè tali magnificatione immensum capi ab eo quod est minutum.

Q. Undè minuitur vis intellectûs, quo minùs capax sit hujus magni-

magnificentiæ? R. Omne adventitium, quod à naturâ ejus est alienum, puta, quivis vanus cogitatus, quodvis parvum peccatum, vel quicquid peccato consymbolum est, est medium, quod minuit Intellectûs potestatem, quod hactenùs etiam impedit receptionem tanti boni, tantiq; luminis, hinc Deus videri nequit, quamdiu lux heterogenea cujusdam Creaturæ, etiamsi exigua sit, in homine lucet. Oportet, ut in horâ suavissimæ contemplationis Dei recedant cuncta media, peccatorum scilicet, defectuum & Idearum omnium. Per exemplum: si inter animam & corpus interponeretur medium minutum, hoc ipsum tolleret veram utriusq; Unionem. Cùm autem corporeis rebus id proprium sit, quantò magìs spiritualibus? Et sicut oculus per medium aëris impeditur, quominùs Cœlum exactè contueatur; ità & animæ obsistunt Ideæ, quominùs obtueatur Deum. Equidem & oculus & anima sunt specula, in quibus repræsentantur species sivè imagines omnium rerum earum, quæ illis objiciuntur, ideoq; cùm manum aut lapidem obtueor in speculo non video ipsam manum aut lapidem, sed tantùm speciem sivè imaginem manûs vel lapidis, sicut in speculo imaginem meam conspicio. Cùm verò sinè speculo lapidem vel manum aspicio, hæc certè visio non fit per medium alterius imaginis, sed prorsus sinè medio, absq; imagine: ipsa quippè visa species est medium, quod à manu aut lapide in oculum recipio, ità etiam comparatum est cum Visione spirituali. Est namq; verbum æternum illa ipsa imago seu medium, quod anima sinè Imagine & sinè medio intueri, recipere & cognoscere debet.

Q. In quo consistit vita æterna? R. In cognitione Dei: ità enim dixit Dominus noster: Hæc est vita æterna, ut te verum Deum & quem misisti JESUM Christum cognoscant. Nemo ergò meliùs cognoscit vitam æternam, nisi qui eam habet ex Cognitione Dei.

Q. Cognitio cùm actio sit mentalis ejus potestatis, quam Intellectum vocamus, quæritur, quid boni recipiat Intellectus, cùm per Dei gratiam sic illuminatur, ut ipsum Deum velut gustando

ſtando percipiat? R. Indubium eſt Intellectum illuminatum quintuplici proprietate imbui, quarum

Prima eſt, quod ſeparat ſe à loco & tempore. Tempus & locum reddidit antiqvus uſus hîc & nunc. Momentum temporis præſentis, quod nunc vocamus, eſt minutisſimum, nullam trahens moram, ſed ocyſſimè præteriens, hinc nec pars temporis eſt nec finis ejus, imò nec perceptio, nec communicatio, nec ſequeſtratio temporis. Cùm tamen ſit tempus, quàm minutum id etiam ac incomprehenſibile eſt, oportet ſeparari ab Intellectu. Nec tempus ſolùm, ſed etiam locus, qui voculâ hîc indigitatur, ſeparandus eſt. Locus, quo Corpus hominis ſtantis circumſcribitur, parvus eſt, verùm quàm parvus ſit, neceſſum tamen eſt, eum cum omnibus locis & imaginibus è memoriâ proſcribi: & hæc eſt prima proprietas.

Secunda eſt, quod Deo ſimilis, diſſimilis verò eſt cunctis aliis rebus. Scriptum eſt: Filii Altiſſimi vocabimini. Oportet Deo ſimilem eſſe, qui Filius Dei meretur eſſe. Verùm cùm nil Eſſentiæ Dei ſimile ſit, intelligendum hîc eſt, hominem aſſimilari Deo juxtà prænominatam illuminatam poteſtatem, cui cùm nil in mundo ſimile ſit, cenſemus eam hactenùs privilegio ſimilitudinis Dei ſolùm potiri ſic, ut comparativè dicere liceat: quemadmodum Deo nil ſimile eſt; ità & huic poteſtati nil ſimile eſt. Quid quod docetur à quibusdam, cunctas Creaturas, imò totam naturam naturaliter eo fine operari, ut ſimiles Deo evadant, quanquàm id ità fiat Secreto illis & incognito modo. Sic Cœlum rotari dicitur, pariterq; hominis appetitum ferri ad Cibum, potum &c. omnia ſcilicet appetere, quærere, & perficere quæſita hoc fine, ut Deum in cunctis rebus latenter exiſtentem inveniant, quo ſine ſi eſſet, tota natura deſiſteret ab actionis munere. Et hoc aliter eſſe nequit, ſi Deus omnium rerum principium & finis eſt. Nam Dominus jubet, ut talia fiant propter Deum, hic etiam juſſus ſi non natura ipſa, ſaltem naturæ ſecretum initium eſt, & hactenùs natura quærit ſecretò, ut in rebus inveniat id, quod Deus eſt, qui quidem nullibi reperitur mani-

Joh: 3.

manifestiùs, præterquàm in Corde puro & animo seipsum & omnia abnegante.

Tertia est, quod Intellectus est sincerus, impermixtus, sivè nulli rei participativè adhærens. Nam sicuti Deus nullam naturam patitur sibi admisceri; ità quoq; potestas prænominata nullam subit rerum permixtionem, cui cùm nihil insit alieni, eatenùs nil peregrini potest eidem accidere. Immotus ergò animus is verè dicitur, qui præterquam soli Deo nulli adhæret Creaturæ, quin & asseverandum est, eum datâ terræ Cœliq; submotione perstare immotum in eo, cui infixus est, Deo. Ut enim cymbâ vectus homo rapiente cymbam fluctu rapitur unà, sic etiam spiritus motâ, cui se applicuit, naturâ, movetur & ipse; secùs mens ea, quæ Deo solùm adhæret, causâ movente movetur nullâ.

Quarta quod intellectus semper intus quærit. Perpetuæ hujus actionis Causa est, quod Deus solùm habitat in intimo, & abscondito fundo, cujus ergò difficulter invenitur, & hæc ipsa cognitionis difficultas sollicitat intellectum, quo Deum indesinenter quærat, donec reperiat eum. Quæ quidem reperiendi Dei beatitudo si unquam concessa fuerit, accurrit voluntas ut requiescat in eo, quid quod & amor amplexatur obviantem Dominum, in hoc amplexu utriq; sufficit. Occursus Domini est ea mentis illuminatio, sinè quâ Deus videri (cognosci) nequit, & hinc solemus dicere: in animâ Deum cognoscente tanquàm
1. Cor: 13. in speculo tersissimo Deum contueri seipsum. Paulus ait, quod oportet Deum cognoscere (eo modo) sicuti ab ipso cogniti sumus, hoc est per modum præfatæ illuminationis, cujus ope vi-
1. Joh: 3. detur Deus, sicuti est. Eò collimat etiam dictum Johannis quoniam videbimus Deum sicuti est. Nam sicut colorata lucent mediante luminoso accidente, sivè colorifico lumine; ità & anima divino lumine illuminata in, cum & per lumen illud videt
1. Tim: 6. Deum, & sinè eo Deum non videt unquàm. Ne verò quis terreatur à dicto Apostolico, qvo dicitur Deum habitare in luce inaccessibili: oportet nôsse, quod eo Sensu indicatur difficultas

quæ

quæ Intellectum exercet, ac instigat, ut semper intus quærat. Interim autem contentus debet esse animus, dummodo in viâ habitet, perquam accessus monstratur ad Deum, id namq; valdè bonum est atq; beatum, quanquam propter id, quod Deus non est, à veritate longo distet intervallo. Et si Deus nunquàm videatur in mortalitate, quærendus tamen est indesinenter, ut videatur, si Deo placuerit.

Quinta, quod est Imago. Diligenter hic notandum est, & Filium Dei esse imaginem Dei, & mentem hominis mortalis dici imaginem Dei. Utraq; Imago est Dei imago, quin & utraq; intimâ sociatione sibi invicem sic unita, ut nullum discrimen ab eo temporis puncto, quo anima Deo adunatur, sub intelligere liceat. Uti diversa lucis proprietas est, lucere scilicet, & calefacere; ità Intellectus à Luce discernit calorem & lumen, quanquàm nec lumen nec calor adsit amotâ luce. Non sic discernere licet præfatam consociationem, cùm inter Imaginem divinam, & Imaginem Mentis humanæ nullum inter sit medium discriminans: Unum quippè non dividitur in partes, adeoq; non dat diversitatis rationem, sicut quidem Calor & Lumen, quà non sunt ipsa lux, non nisi diversimodè considerantur.

Q. Quare Dominus noster vocatur Pastor ovium, & simul ostium ovilis? R. Quia naturæ divinæ, & humanæ una persona est; ità quoad verbum æternum Pastor est, quoad homo, ostium est. Verbum æternum monstravit Creaturis rationalibus viam, hinc verus est & bonus Pastor hujus ovilis.

Q. Quid significatur per Janitorem? R. Spiritus sanctus, quatenùs omnis, quæ intelligitur, & pronunciatur veritas à Spiritu Sancto provenit. Et homines, quorum animus in seipsum reflexus est, in veritate sentiunt, quàm Sanctus Spiritus corda eorum incessanter flectit, trahit, instigat & impellit.

Q. Quid circa aperturam ostii notandum venit? R. Id probè notandum est, quod Dei verbum æternum reserato paterni Cordis ostio semper apertum teneat reconditum aliàs thesaurum Secretorum, & opulentiæ domûs istius, ità ut nemo satis

valeat cogitare nedum effari, quàm sit paratus Deus noster, quamvè sitiens ac desideriosus, imò quàm suavem semper atq; jucundum se gerat versus omnem hominem, qui falso amore excusso toto corde & animâ sese ad eum receperit, quasi omnis beatitudo ejus sita esset in salute hominis: tam promptè nobis occurrit singulis momentis exceptum amicissimè, quos fortè vigilantes invenerit, ac præparantes corda ad sui sequelam. Neq; respicit qualiter & quantùm homo peccavit anteà, sed potius attendit id, qualiter ex animo desideret se comparatum ergà Deum.

Q. Estnè Dei Clementia tantæ efficaciæ, ut cunctos homines excitando præparet ad imitandum Deum? R. Quantumvis ea sit satis efficax in bonæ voluntatis hominibus, tanta tamen multorum hominum est contumacia & excæcatio, ut potius resistant tractui, ac monitioni Dei salutem hominum valdè desiderantis, imò sæpe numerò suavissimam Dei præsentiam superbè nimis contemnant, à Creatore aversi, & ad Creaturas voluptuosè conversi, quo facto Deum è cordibus suis violenter exturbant.

Q. Sed quid de nobis dicendum est, qui contumaces videri nolumus? R. Quotusquisq; nostrûm est, qui nesciat, Regem Ahasverum in perpetuum repudiâsse Reginam Vasthi semel tantùm ei protervè in obsequentem, nesciat autem quàm sæpè negligit causam impulsivam, hoc est, monitionem divinam per spiritum sanctum, imò & percunctas Creaturas factam? adeò aversâ, quâ Deus ducere nos cupit viâ, aliò tendere nitimur velut oves, quæ proprio nomine vocatæ Pastoris vocem obaudiunt, ac aliorsum excurrunt. Bonus Pastor noster cùm suas oves vocat, vocat quamlibet proprio suo nomine: beati ergò omnes, qui auditâ blandâ voce Domini seqvuntur eum fideliter ad neminem præterquàm ad eum conversi. Sic ille semper præcedit, hi semper seqvuntur, ipse noscit hos, hi noscunt vocem ejus: propterea nil aliud intrà se quærunt quàm solum Deum, ejusq; gloriam ac voluntatem, & hinc vocantur oves Dei propriæ.

Q. Dic ubi harum ovium habitatio est? R. In ovili. Quid est ovile?

ovile? R. Cor Dei paternum. Qualiter pertingunt eò? R. Per ostium patet ingressus, quod est æternum verbum juxtà Imaginem humanitatis clarificatæ: Per ostium hoc oportet introire omnes, qui eò pertendunt. Christum autem esse ostium, per quem ad Patrem eundum est, ipse testatus est Dominus, undè videmus, quàm ipse sit via & quidem sola, vera. Patet hinc etiam, cunctos, qui non per ostium hoc, sed aliundè cupiunt ingredi, esse fures & Latrones.

Q. Quid datur per fures intelligendum in sensu Spirituali? R. Tales intelliguntur esse cuncti homines, quorum intentio non unicè spectat solum Deum, & qui non veraciter imitantur exemplum Suavissimi Domini Jesu Christi in humilitate perfectâ: dicuntur autem hi intrare aliundè, hoc est, per ostium falsum, quatenùs proprio ac naturali ratiocinio insistentes non agnoscunt quàm fragiles & reprobi sint ipsi.

Q. Dic quid sit ille, qui intus in fure latet uncus nequam, quo mediante committitur furtum? R. Delectatio & philautia, quæ nullâ morâ interjectâ nihil non audet aggredi sub titulo proprietatis tàm ijs in rebus, quæ de Deo, quàm etiam in alijs, quæ de cunctis creaturis sibi usurpare noverit & capere: hiscè se semper sociat corrupta natura, ut quæ eâdem proprietate stipata semper aliquid quod in eâ sit, & â se ipsa factum fuerit, satis gloriosè prætexit, indè in dimanantibus Dei donis quærit Solatium, gaudium & voluptatem, insuper & taliter non solùm multa scire & posse desiderat, verùm etiam beatam & sanctam se cupit esse.

Q. Qui fit, quod ea natura, quæ non sibi ipsa obstat mediante seriâ tùm spiritus tùm sui ipsius (naturæ) mortificatione semper & ubiq; sibi propria reddere nititur desiderabilia ea, quæ possidere non debet? R. Ideò fit, quoniam id quod interire dicimus & opprimi, est naturæ totaliter contrarium, similiter & id, quod dicimus necessum esse, ut emoriatur homo voluntati suæ tunc sive in omnibus ijs rebus, è quibus natura suam nôrit obtinere sustentationem. Et hoc ipsum est, quod in sensu Spirituali voca-

tur fur latens, qui se continuò in homine occupat sic, ut Deo gloriam & laudem furtivo modo auferat, nec non divinâ veritate ac perfectione hominem simul privet penitùs. Cùm ergò damnum indè emergens sit omnium maximum, haud parvâ circumspectione opus est, ut hoste fraudulento deprehenso custodiatur fructus æternæ salutis, nè furtim auferatur.

Q. Dic etiam, quid per Latrones in Sensu Spirituali intelligendum datur? R. Latrones sunt judicia damnosa, quibus totus quasi homo quandoq; alitur, cùm ferè ubiq; inveniantur tales, qui suaptè naturâ præsumunt alios noscere & judicare, se ipsos noscere non valentes. Quid autem solent dicere de primo homine ijs obviante, nisi quòd nimium loquatur, de secundo, quòd parum admodum, de tertiò, quòd supra modum, de quarto, quòd nec istum nec illum observârit, & talis est quintus, sextus autem qualis? Septimus hoc patravit, neglexit id octavus &c. Quis, quæso, enumeret tot tamq; gravia judicia, noxia scilicet peccata, quibus tanta hominum caterva se velut proprio jugulat ense?

Q. Quid latrocinij inest ejusmodi judicijs? R. Nil aliud certo-certius subest ijsdem, quàm proximi contemtus nefarius qui ipsum fundum Cordis occupat; ità advertimus in conventiculis sœpenumerò flammæ instar prorumpere verba dirissima, quæ sunt venenum, quo inter ficiuntur non solùm homines præsenter auscultantes ceu medio tali, quo pravum judicium eorum animis fortiter imprimitur, verùm etiam perimitur unà is qui judicatur. O Cœcitas? quà cùm quis nequit se ipsum sufficienter perscrutari, non tamen non audet, quæ omninò latent, abditissima Cordis scrinia reserare. Nam cùm Deo soli cognitum sit, quomodo cupiat hominem ad suam trahere gratiam, & per quam vim vocatum eum ad se sequendum compellat, sequitur, hominem qui alterum juxtà merum suum arbitratum judicat, non solùm esse impudentem ac protervum, verùm etiam talem, qui voluntatem divinam (sic loquendo) occidit, quia judicia quæ solius Dei potestati reservantur, violenter prædatur.

Q. Nun-

Q. Nunquid damnum, quod è tali latrocinio emergit, est tanti momenti? R. Imò vel maximi, cùm scriptum sit: Nolite judicare, & non judicabimini, quâ enim mensurâ mensuratis, eâdem metietur & vobis. Quodsi verò qui judicat, occidit, & hâc ratione ipse occidetur, annon hoc damnum, quod inperditione Vitæ consistit, maximum est? Hinc itaq; apparet, quod nihil sit temerè judicandum excepto peccato mortali. Matth. 7.

Q. Annon sententia hæc opponitur eorum officio, qui alijs ideò præpositi sunt, ut corripiant ac puniant vitiosos? R. Officium inspectionis & correptionis, quà tale non officit dicto Christi, quatenùs per verba Christi reprehenditur tantùm invidiosa aliorum traductio, atq; maligna discriminatio, quæ valdè vulgaris est, hanc cùm & illi, qui alijs præsunt, committere possint, hinc & ad eos extenditur Christi sententia. Supponitur enim ijs qui præsunt, sat cognitum esse, quod eorum judicium atq; correptio fieri debeat per Spiritum Sanctum cum mansuetudine, loco opportuno, sivè qvod dici solet, cùm tempus postulat aut res, nè quis plus obsit importunè quam prosit. Idcircò in fratris judicio est differentia cuivis observanda, cùm judicium unum sit pravum ac vetitum, alterum utile ac licitum, hoc solum resultat ab amore divino, Charitate fraternâ & corde mansueto, in quo qui deficit, tutus non est, nec ambulat in lumine Veritatis, sed palpat in tenebris.

Q. Quid factu opus est, ut quis deponat hanc pravitatem? R. Oportet se ipsum observando judicare, cùm certo certius sit, sarcinam plenam peccatorum circumportari quamdiu vivitur, corruptam scilicet naturam, quæ in seipso semper & judicanda est, & castiganda; ast fratris judicium est relinquendum Deo, cùm sit verissimum, quot modis aliquis contemnit suum proximum, tot eum ipsum eapropter contemtum, suppressum ac judicatum iri.

Q. Quid autem, si quis misso aliorum judicio se ipsum veraciter ac intimâ sui observatione judicet? R. Id ipsum si factum fuerit, futurum est, ut latro reperiat furem in fundi latibulo laten-

tem, hoc eſt, iniquam delectationem, quatenus natura callida non ſolùm furtim aufert prænobilem Spiritum, ſed etiam aufert unà Deum, divinam gratiam & ſpiritûs theſaurum, in quo repoſitæ ſunt divitiæ Dei. Quapropter expenſo damno tàm grandi ſolet fieri, ut fur capiatur à latrone & interficiatur.

Q. Si autem facto prælio ſe mutuò interficiant? R. Si quà contingat (qualiter non nunquàm contigit) ut tàm fur, quàm latro ſimul occidatur, hoc eſt naturæ delectatio & proximi judicium, ità quidem, ut homo ſe ipſum humiliter ſiſtat judicio, ac voluntati Dei nunc & inæternum, in ſpiritu & naturâ, facillimè hinc ſequitur vita ſancta. Quicunq; eò perveniunt, intrant in vitam æternam per verum oſtium Jeſum Chriſtum, hoc aperit Janitor deſtinatus ad intromittendum eos immediatè in (cor) paternam abyſſum, qvæ plena eſt paſcuo pingui, ibi quoq; ſemper intrandi & exeundi libertas eſt.

Q. Qvid per introitum & exitum hunc intelligitur? R. Id datur hîc intelligendum, qvòd Sancti homines per vices gaudio pleni in Deitatem immerſi, iterumq; emerſi remeant cum ſuperexcellenti amore ad ſanctam atq; ſuaviſſimam humanitatem Chriſti, ut indè opimo paſcantur paſcuo, qvod Dominus promiſit dicens: in paſcuo pingui paſcam eos ſuper montes Iſraëlis &c. Hinc etiam ſcriptum eſt: quod Paſtor bonus (verbum æternum) præcedit, & oves ſeqvuntur eum & non alium. Hâc ratione datur iis pabulum pretioſiſſimum, quo plenâ veſcantur menſurâ, hoc eſt, ut per gratiam utantur, ac fruantur beatitudine, qvâ ipſe Deus utitur natura tenùs in æternum.

Ezech: 34.

Cap.

****

Cap. II.

De Perfectione.

Q. Cùm Regni cœlestis adeptio videatur requirere perfectionem vitæ, hæc autem pro tempore rarissimè inveniatur, quæritur, an omnes Christiani teneantur esse perfecti? R. Omnes in Universum Christiani sunt obligati omni conatu ac Zelo aspirare ad perfectionem, quod ipsum SS. Trinitas testatum nobis reliquit, nam Deus Pater à Patriarchis id requisivit, Deus Filius in Evangelio jussit inclusivè, & Deus Spiritus Sanctus id per Apostolos docuit, & ideò spectat perfectio divinæ voluntatis expeditionem. Unusquisq; eorum, qui cupiunt salvari, est obligatus ad nil volendum, nil cupiendum, quod est adversum voluntati divinæ, hinc toties promittit Christus Salutem his, qui faciunt voluntatem Patris sui, jussit quoq; rogare Patrem, ut ejus voluntas fiat in terrâ, sicut fit in Cœlo. Apparet hinc, quàm contradicant verbo Dei, qui ajunt, homines non posse facere juxtà voluntatem Dei. Quomodò enim quis unum potest esse cum Christo, qui voluntati ejus refragatur? Etsi unitus non est Christo, quomodò potest salvari? Ad beatitatem requiritur conformitas, difformitas excluditur.

Q. Quid est perfectio? R. Perfectio est perfecti apprehensi possessio. Perfectum autem est id, undè qvælibet imperfecta dimanârunt, quapropter nihil Cœleste, nil igneum, nihil terrenum, nihil quod sensus Corporeos attingit, habendum est pro perfecto: his forma formarum, forma formosissima, quæ sola bonum perfectum est, impressit Sigillum suum, easq; hactenùs sine augmenti & decrementi mutabilitate fecit à se differre. Hoc bonum perfectum est Deus, quem S. Augustinus ità describit: quod sit stabilis & incomprehensibilis, immutabilis, mutans omnia, August. meditat. C. 19.

omnia, invisibilis, videns omnia, immortalis, illocalis, interminus, incircumscriptus, nusquam finitus, ineffabilis, inscrutabilis, immotus, tangens omnia, impervestigabilis, metuendus atq; terribilis, honorandus atq; horrendus, venerandus atq; verendus: nunquàm novus, nunquàm vetus, innovans omnia, & in Vetustatem perducens, semper agens, semper quietus: Colligens & non egens, omnia portans sinè onere, omnia implens sinè inclusione: omnia creans, protegens, nutriens, & perficiens, opera mutans, sed non mutans consilium: ideò verè ac summè bonus, cujus voluntas opus est, cui velle posse est.

Id. ibid. C. 12. Et in alio loco confitetur Deum esse non Corpus, aut in corpore positum, neq; ex diversis speciebus admixtum, aut membrorum compaginibus effigiatum sed unius simplicis & incorporeæ, invisibilis, & incircumscriptæ naturæ: nihil majus aut inferius in se habentem, sed per omnem modum ex omni parte sinè deformitate perfectum: Sinè quantitate magnum, sinè qualitate bonum, sinè tempore sempiternum, sinè morte vitam, sinè infirmitate fortem, sine mendacio veracem, sine loco ubiq; totum: sine situ ubiq; præsentem, sine extensione omnia implentem, sine contractione ubiq; occurrentem, sine motu omnia transcendentem, sine statu intrà omnia manentem, sine indigentiâ omnia creantem, sine labore omnia regentem, sinè sui initio omnibus initium dantem: in magnitudine infinitum, in bonitate summum, in sapientiâ inæstimabilem, in consilijs terribilem, in judicijs justum, in cogitationibus Secretissimum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordijs copiosum, ergà delinquentes patientissimum, ergà pœnitentes pium, semper eundem ipsum æternum ac sempiternum, immortalem, ac in commutabilem, quem nec spatia dilatant, nec brevitas locorum angustat, nec receptacula ulla coarctant, nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit, nec mœsta perturbant, nec læta demulcent, cui nec oblivio tollit, nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec futura succedunt, cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit. Ab hoc

hoc perfecto bono initium habent cuncta finita, tanquàm quæ à luce primùm movente, disponente, ac efficiente producuntur, hæc quatenùs de essentiâ Unius, veri, boni nihil participant, finita sunt hactenùs, ac per consequens particularia, singularitatem, differentiam, ac diversitatem habentia, quoniam autem quâdam formâ prædita sunt, vocantur Creaturæ. Nihil imperfectorum perfectũ est, cuncta mutationi subjecta sunt præter unum præfatum: ast quia finita cuncta sunt mutabilia, sunt hactenùs cognoscibilia, contrà infinitum cognosci nequit. Dictum autem est, quod nostra perfectio sit apprehensio perfecti atq; possessio ejus, quomodò ergò potest apprehendi, quod nequit cognosci? Respondetur, quod à nobis tanquàm à nobis minimè, potest apprehendi, quia nec cognosci, utpotè quod nobis ipsis dediti sumus, nec extrà sphæram nostram proprio motu evolvimur. Oportet ergò, ut omnis Creatura moriatur in nobis, & evanescat è sensibus nostris, ut extrà circulum hujus mundi rapta ab omnibus finitis, imperfectis objectis sese recipiat mens in im̃ensitatem, & æternitatem Unius, solius, veri, boni, quam immutationem nostram operatur Spiritus Sanctus in suis, ditando eos sic præfatæ apprehensionis, & possessionis potentiâ. Hinc dicit Apostolus: Perfecto adveniente cessant imperfecta sivè particularia. Id quod sic intelligendum est: Cuncta imperfecta, hoc est, creata in tempore ad bonum perfectum collata, nihil esse, comprimis quod sine hoc bono nihil est nec esse, vel subsistere potest. Proindè quisquis est, qui bonum perfectum in tempore pro suâ capacitate agnoscit, atq; gustat, is certè omnia & omne bonum jam agnoscit, ac possidet. Cur ergò imperfecta amet, curet, æstimet, non est operæ pretium, sed præstat agnoscere, quòd Dei sit omne, quod anteà suum opinabatur homo, eo fine ut & Deus agnoscatur & glorificetur.

Q. De Bono cùm Verba fecisti, dic, quæso, quid sit noscendum de eo? R. Hoc tibi noscendum trado, quod Bonum est duplex perfectum & imperfectum: Bonum imperfectum est ideò tale, quia finitum, locale & temporale. Bonum æternum autem

est infinitum, (interminabile): idcirco imperfecta, quà talia, non sunt summum Bonum, & hoc vicissim nequicquam illorum. Bonum æternum est super omnia, eoq; imperscrutabile, non habet similitudinem, perquam & in quâ cognoscatur. Est tamen Lux, cujus proprietas est lucere, illuminare, in se quidem essentialiter, in Creaturis verò effectivè (per modum efficientis). Hîc probè considerandum est, quod Boni æterni in creaturis actio (illuminatio) sit effectus cognitionis, proindè cognitio hæc non potest esse alia, quàm sui ipsius summi Boni, quod Unicum est, quia omne est. Scriptura dicit Deum esse Voluntatem, Charitatem, Justitiam, Veritatem ac Virtutem; verùm hæc omnia de Deo dicuntur attributivè, qualiter efficiuntur per Creaturas, non, qualiter sunt in Deo essentialiter, ideoq; hæ omnes Virtutes cum sum̃o Bono simul per effectum cognoscuntur, possidentur & per actum promoventur. Hic est modus quo Deus dicitur docere hominem Causâ solius Boni. Quicquid hoc Bonum Operatur in homine illuminato sivè Charitatem, sivè justitiam, hoc facit propter seipsum & non propter quid peregrinum. Nam justus est justus, quia justitia bona est, amans amat, quia Charitas bona est, atq; sic omnia quæ fluunt ex bono, refluunt ad eundem fontem Boni. Quid quod Bonum est bonum, hactenùs bonum est velle & amare Bonum, & si quid melius esset bono, id magis amandum esset: hinc indè sequitur, nequicquam esse volendum vel amandum nisi Bonum. Qui bonum agnoscit, eo ipso cognoscit quid sit desiderandum, quid relinquendum: nam hoc ipsum totum est, undè homo divinus seu Deo adunatus dicitur. A Bono ergò & Luce sivè Virtutibus ejus procul est omnis differentia, distinctio, divisio, undè partialitas & imperfectio: nam Bonum est Universale, dehinc sequitur, Virtutes ejus esse etiam universales, nec unquàm nec quoquàm limitabiles. Non est Voluntas quæ termino describatur, non est justitia respectûs gnara, non Charitas selectione modificata, sed Charitas in omnibus eadem, justitia ubicunq; æquissima, Voluntas semper promtissima. Habes hîc, undè hostes dicuntur amandi,

di, nimirùm quia Charitas eſt infinita, non diſcernens, non ſentiens, ſed æqualiter & ſimpliciter Operans. Exemplum hujus eſt Charitas æterna quæ hoſtes ſuos amavit datâ in mortem vitâ pro illis. Similiter diffuſa ea charitas in homine nonniſi operatur quod ſuum eſt, hoc eſt, Bonum in omnibus & verſus omnes quibus occurrit, non agnoſcit amicos vel inimicos, quia eadem eſt non diſcontinua Boni actio. Indè cognoſcimus, cur Deus non concedit Vindictam homini, quin & cognoſcimus, cur hominem non cogit ſed potius ei concedit liberam Voluntatem. Pari modo illuminatus homo neminem Vi cogit, plectit aut moleſtiam infert, qvia nil horum in animo ejus eſt, ſic nec ſuccurrit homini ad explendam ſuam Voluntatem quà ſuam, id eſt, malam: Sed ſi quà hominem adjuvat, hoc eâ ratione facit, quâ Deus promovet hominem ad id perfectum Optimum. Qui amat ſeipſum, is cupit ſervare ſeipſum, ſed amor hic eſt Creaturæ non Dei, ergò non eſt bonus, hinc vetitus. Viciſſim qui Deum amat, ſeipſum negligat oportet, per hoc expediet mandatum Domini volentis, ut imitatores ejus cuncta relinquant. Quisquis dominicò paret præcepto, ſalutis & adjumenti divini Capax eſt.

Q. Verum Bonum eſt omne in omnibus, quâ ratione etiam vocatur Charitas: ſic ergò inferre licet, quia Deus Unus eſt & unum Bonum quod amat, non eſt quod amet niſi ſeipſum. R. Non poteſt nec vult Deus amare niſi ſummum Bonum & per conſequens id ipſum unà, in quo ſummum Bonum habitat. Idcircò cum aliud ſummè bonum non ſit præter Deum, neceſſum eſt ut Deus amet ſeipſum, atq; hinc dicitur: Deum non poſſe extrà ſeipſum diligere quatenùs ſummum Bonum non eſt extrà Deum: quodſi præter Deum eſſet aliud Bonum, quod ſum̃um eſſet, amaret Deus hoc bonum & non ſe ipſum. Indè cognoſcimus cur Deus non amet ſeipſum quà Deus eſt, ſed quà verum Unicum Bonum eſt, & ideò ab hoc amore proſcribitur omnis arrogantia, ambitio, proprietas &c. Quicquid amatur, amandum tantùm eſt propter hoc Bonum, quoad omnia bona finita ab hoc bono proveniunt, ſunt, imò in eodem ſunt Unum & idem

Bonum, nam extrà id Bonum datur nullum. Hâc ratione hoc Bonum amat ſeipſum in homine illuminato, homo autem id amat per Deum & in Deo: hic amor & amatum ſunt Unum. Intellige ſic, quid ſit Unum eſſe cum Deo.

Q. Quid ſentis de his, qui in ſeipſis nullum deſiderium, nullum favorem ſeu placitum, imò nec inclinationem vel aſſenſum ullum verſus id, quod bonum ac divinum eſt, ſentiunt? R. Certisſimo Signo id eſt non fore eos participes Dei atq; Bonorum

Matth. 12. Cœleſtium, dicente Chriſto: Qui non eſt mecum contrà me eſt.

Q. Quid ergò ſentis de his, qui in ſeipſis reperiunt paratam Voluntatem, favorem, deſiderium, complacentiam, inclinationem & aſſenſum ad omne bonum ac divinum? R. Id eſt certiſſimo indicio fore ut Bono æterno, quod in eorum fundo jam eſt, fruantur & potiantur olim perfectâ beatitudine.

Q. In quibus conſiſtit omnis perfectio, quam homo mortalis aſſequi poteſt? R. In triplici requiſito quorum.

Primum eſt, ut homo prudenter confiteatur Unum Deum, atq; id omne quod credit Sancta Catholica Eccleſia.

Secundum eſt, ut homo Unum Deum quem confitetur, ardenter ac dulciter amet.

Tertium eſt, ut tàm in cordis ſubmiſſione quàm Spiritûs ſubmerſione in omnibus quæ ſunt & aguntur, homo ſe ſervet traditum voluntati unius crediti Dei: hoc namq; modo attingit infima humilitas apicem perfectionis, viciſſim perfectio amittit diſcrimina virtutum, corpus pariter ac anima mundificatur ab omni contagio mundi, imò & liberatur ab omni fraude dæmonis.

Nemo autem confidat in ſuâ ſcientiâ, quoniam ſcientia ſine timore Dei nihil eſt: hæc ideò vocatur ſtultitia, quia inflat & laudem quærit; aſt tantò melior eſt cògnitio ſui ipſius, quantò quis redditur per eam humilior. Humilis in veritate tranquillus, qui verò multa ſcit, ſemper irrequietus eſt. Præſtat hinc ſeipſum cognoſcere ob vitæ futurum judicium, ad hæc per hanc cognitionem tùm frangitur voluntas, tùm vitæ inſtituitur

tuitur Correctio, hæc ergò utilior est scientiis cunctis: cum vitâ evanescunt scientiæ, verba, ac discursus, fructus verò pietatis est animæ Salus & conscientiæ sinceritas, fiduciam quoq; suscitat ergà Deum perdurantem in æternum. Quodsi judicium est examen vitæ ante actæ, sequitur id fore tantò rigidius, quantò quis eam multâ scientiâ labefactavit. Humilitas sincerior est ac utilior, quia veritati proximior. Scientia dividit, disgregat non nisi dubia proponendo; humilitas verò congregat ad Unitatem reducendo. Sua cujusq; humiliatio est maxima ejus sapientia, quia nemo est infirmior nisi sibi ipsi. Summè ergò cuilibet est necessaria isthæc sapientia, nè animum rebus inutilibus, ac detrimentosis applicet, post positis necessariis, cùm alioquin in Cæcitate naturali permaneat. Quid ergò est omne genus controversiarum, nonnè errorum inventio? quid veri hauritur indè, si deest veri revelatio? Si cuncta ex uno & rursus in Unum, is cunctas disputationes abominabitur, cui omnia unum sunt, qui omnia in Uno perlustrat. Spiritus simplex per varietatem non distrahitur in diversum, è Luce namq; supernâ cognoscit, quantum sibi est necessarium, idq; omne impendit in gloriam Dei. Abstractus hic ab omni concupiscentiæ proprietate studet seipsum vincere, agenda præmeditatur, antequam perficiat, ea quoq; in ordinem reducit, nè flectant animam ad pravam concupiscentiam, hujusmodi Intellectus vocatur sanus & purus. Et quanquam humana perfectio non sit absoluta, sed adhuc multâ imperfectione castigata, ea tamen semper quærenda est, ut si non perfecti, reliqvis tamen perfectiores evadamus. Humana perfectio dicitur talis ob sum̃i boni perfectionem, quod cupimus attingere, ad hujus adeptionem miris modis perducit humilitas, hinc inpossessione ejus latet perfectio communicativa suo nomine digna, quisquis autem hanc negat perfectionem, aufert unà omnem perfecti boni possessionem: ast mirum non est, si unum cum altero negaverit, cùm nunquàm perfectioni incubuerit. Compertum enim est, quò doctiores, hoc magis erroribus obnoxios

imò onustos esse homines. Vana sic omnis industria, quæ non impenditur vitiorum exstirpationi, scandalosa contentio ac disputatio, quâ populus offenditur sub incremento malitiæ. Noscat homo eas actiones, ob quas olim judicabitur, eamq; cognitionem judicet ipse reliquis utiliorem, inveniet non ex literis esse magnum, sed parvum esse magnum, imò minimum esse maximum in Regno Cœlorum. Minimus autem censetur hic, qvi relictis Creaturis Christum quærit & amat. Nobis ergò relictis discamus obtemporare Voluntati Dei, id namq; Unum omnium est, Thesaurus scilicet in æternum permanens;

Q. Regula omnis perfectionis quæ? R. Parvum esse, ibiq; se deserere, ubi se homo invenit, siquidem per hoc miseretur sui ipsius adhuc in tempore gratiæ, si eo sic benè utitur, quia futurum est, ut Deus reposcat omne tempus, quod quis in vanitate aut aliàs inutiliter deperdidit. Ad veram ergò sapientiam revertendum est per Dei misericordiam, qui cupit salutem hominis, si humilis est: quin etiam in suam animam compellit Deum, quisquis ex corde est humilis. Ast si quis animam suam Deo dare, & propter Deum sibi ipsi & cunctis aliis rebus abrenunciare non vult, deceptum se sentiet eo tempore, quo redigetur in eum, quem in suâ vitâ non agnovit, comitem pulverem.

Ad vitam restrictam quod attinet, hæc magis spectat internum hominis statum, quàm externum: quisquis ergò secundùm Deum cupit vivere, necessum est plùs vivat internè quàm externè. Permulti sunt, qui vivere sic cupiunt, non tamen omnes æqualiter nec viribus iisdem vivunt, imperfecti imperfectè, perfecti perfectè vivunt, medii mediocriter. Quotquot tamen eorum sunt, præfixum quendam scopum habent, nimirùm Creaturarum desertionem, quas ut imperfecti deserere queant, fugiant eas necessum est, quantumvis impari cum molestiâ, quatenùs res adamatæ hominem, velit nolit, solicitè admonent: Contrà perfectus homo non fugit externa opera, quoniam non possidet ea cum amore malè ordinato; quin ejus ad Deum inversio tâm per amorem & observantiam Dei, quàm per

per exercitium crebrum est ei tàm familiaris reddita, ut absq; conatu se possit introvertere ad Deum, quandocunq; voluerit. Et quanquàm non adeò facilè sit intento semper ad Deum esse animo, fit tamen, ut quotiescunq; observat se propendere ad actiones vel cogitationes inutiles, statim avertat se abindè ingenti cum poënitudine suæ inconstantiæ. Deniq; si absq; adhæsione externas res contuetur, haud difficulter indè sensus avertit introrsum latus, quoniam tunc tantò magis concupiscit introversionem quàm extraversionem.

Q. Quodsi perfectio consistit in absolutissimâ sui ipsius abnegatione, hæc autem est omnium rarissima, præsertim hoc tempore, quæritur, num hâc ratione imperfecta abrenunciatio sit potiùs despicienda, quàm prosequenda tanquàm vana ac inutilis animi, corporisq; tortura? R. Neutiquàm! quin imò in ipsâ imperfectione perficitur cujuslibet beatitudo juxtà gradum sui cursûs (conatûs). Cursores omnes in stadio currunt causâ propositi diadematis; sed non omnes currunt æqualiter, nec omnes attingunt metam, non currentes non capiunt præmia, quæ solis Cursoribus sunt destinata juxtà gradum conatûs; ità qui hodiè seipsum abnegat, molitur cursum suum, currat ergò quousq; potest, quanquàm multi præcurrant ei, ipse verò in viâ deficiat. Quodsi bona ejus & constans est voluntas, non desinet impenso toto Spiritu cursum toties repetere, donec laboris sui, si non diadema, saltèm demensum ei præmium acquisiverit. Taliter cernimus noñullos resignationem integro anno produxisse, posteà verò seipsos redinvenisse semel per errorem; hi autem invento errore statim dolent, eoq; abjecto ingemunt dicendo: væ mihi, qui nolens meipsum redinveni, vivonè adhuc ego? nonnè mihi mortuus sum, ut vivat in me Christus? Alii verò per mensem, alii per septimanam, alii per diem semel se per errorem quærunt & inveniunt, quin & non nulli singulis diebus immemores boni sui cæpti multoties adse redeunt, & hi prioribus tantò sunt imperfectiores, quantò dissimiliores, hiq; communiter sunt ex incipientium sivè Tyronum numero.

Q. Cùm

Q. Cùm id negari nequeat, vicissim communis Christianorum inconstantia tantam includat contrarietatem, ut plurimi derideant, multi horreant perfectionem, quæritur, quomodo gravis istæc difficultas tolli queat? R. Quanquàm negandum sit minimè, notam imperfectionis etiam quàm minimam obstare, quo minus perfectum sit aliquid, sicut non est integrum vitrum, quod rimulam habet minimam, interim tamen nemo det locum derisioni, nemo etiam terreatur: nam difficultas ea tollitur solâ distinctione, quæ superiùs facta est inter Christianos incipientes, proficientes & absolutos. Quanquàm enim solus Deus cognoscit eos, qui absolutè perfecti sunt, nobis tamen in tantâ turbâ hominum licet cognoscere egregium proficientium numerum, numerosiorem incipientium, otiosorum (impiorum) numerosissimum, & in hoc ipso viventium discrimine latet ratio judicii unà & beatorum diversissima beatitudo (gloriâ). Enimverò uti mortalium interrâ, quidam procerâ imò & Gigantæâ staturâ eminent, multi vicissim humili, ac infirmo corpusculo prorepunt, omnes tamen humanâ Specie complexi cernuntur; ità quoq; in Cœlo distincti sunt beati in magis & minùs excellentes (gloriosos) similiter in Republicâ Ecclesiasticâ reperiuntur magis & minùs perfecti, perfectorum quidem parvus, imperfectorum ingens numerus est, & inter myriades bonorum vix unus invenitur perfectus.

Q. Quid, quæso, incumbit facere his, quorum pudibunda imperfectio sumam inculpat negligentiam & pigritiam? R. Incumbit istis corde gemebundo conqueri, ac dicere: Heû mihi, Domine, quàm vanus ego sum! quid sibi vult, quovè cessurum est, quod toties me miserum reperio? Restat nè aliud quidpiam, quàm ut incipiam toties, quoties non valeo? De novo me aversatum abjicio, imposterum quoq; toties me deseram, quoties me inveniam

Q. Siccinè ad inter necionem spiritualem, uti ad naturalem conspirant omnia? R. Etiam: imò hæc spiritualis defunctio

suprema

prema lex esto. Oportet scilicet mori (disperdi) iterum atq; erum (toties) donec ad ipsum unum contendas.

Q. Quid de eorum conatu censendum, qui satis esse putant, si semel, bis, tervè, quatervè, imò decies & quod super est, sibi interdixerunt, an ista est, quæ summè prædicatur perfectio? R. Minimè! ed tamen de illis benè speratur, qui sæpe sæpiùs sese deponunt pari modo, quo Lectionem objectam solemus toties relegere, ac recitare, donec tota inhæserit memoriæ: futurum namq; est, ut qui sic faciunt, indies proficiant in melius.

Q. Verùm cùm ratio Comparationis supponat non minus insignem industriam, quàm firmum propositum, quæritur, annon & idem suppositum conveniat comparato ob naturæ paritatem? si non, quæritur, quid his deficiat, qui sine ullâ perfectionis notâ & sine fructu se aliquoties abnegant? R. Id ipsum suppositum quod comparato æq; atq; comparationi convenit, nimirùm propositum firmum & industria deest iis, qui sine eâ nil benè vel rectè instituunt, quanquàm & incuria prodesset illis, si rectè noscent eam impendere: hìc namq; requiritur & diligentia & negligentia, diligentia quidem, ut non solùm seriò quis incipiat, verùm etiam impendiò pergat sine cessatione, negligentia verò, ut nullarum rerum præterquàm debitarum, ullam curam habeat. Taliter delectus atq; neglectus (debito modo intellectus) nobis incumbit, cujus, proh pudor, summa ubiq; egestas est. Carentes sunt omnes, qui nihil proficiendo, quin minimo verbo offensi nec mundum nec Creaturas, nec seipsos deseruerunt, quos tamen non pudet in summam perfectionem inquirere.

Q. Quid tandem consequitur sincera Resignatio? R. Paupertatem Spiritûs unà & reliquas virtutes omnes, de quibus singillatim in sequentibus.

Q. Perfectio summa in quo consistit? R. In paupertate proprietatis humanæ, nimirùm cùm homo locum non habet, quo caput suum reponat, hoc ità dictum est juxtà attributionem sivè appropriationem. Cùm omnia sint Dei, nil restat homini

 qvod

quod verè ſuum proprium dicat præter peccatum, adeoq; in Veritate homo in ſeipſo miſer & pauper eſt, quodſi inſuper ſuam paupertatem agnoſcit, vult & amat ſic, ut nil ſibi tribuat, tunc Voluntatè ſivè ſpiritu pauper dicitur. Paupertas hæc vaſtum illud deſertum eſt, ubi locum non invenias cudendis Imaginibus bonis aut malis aptum. In tali paupertate poſſet Rex regere Regnum ſuum, quia quo minus bonum ſibi quis applicat, hoc minus etiam ſibi applicat poſſeſſionem rerum externarum, quibus qvaſi ſuis utitur, hoc modo & Dives poteſt eſſe pauper Spiritu, quanquam ejusmodi exemplum nunc perquàm rarum ſit. Bonum exercitium eſt, ſi ſibi quis eligat dies aliquot, qvo tempore ſe tantùm exerceat in illâ occultâ Cupidine cuncta mundana ſpernendi, ſic mediante aſſiduâ contemplatione poterit tranſcendere cuncta dona, lumina, delicias, tandem etiam amittere omnem actum intellectualem & omne bonum, quod anima ſibi fingere poterat cauſâ ſuæ oblectationis. Et hic eſt modus, quo Spiritus ad paupertatem perducitur. Hoc modo fides, ſpes & amor ſenſibiliter operantur. Præſtat autem ut homo ſemper interroget cum Paulo & dicat: Domine quid me vis facere? Hoc ipſum quæſitum ſemper renovandum, ſicq; conſtanter ad mortem usq; interrogandum eſt.

Q. Cùm Deus ſit ſimplex, eoq; perfectus, quæritur, annon conveniat Domino ſe coràm nobis talem exhibere, qvalis eſt? R. Imò Scriptura S. docet, Chriſtum ſe præbuiſſe manſvetum, humilem, benignum, amabilem, ſimplicem, obedientem, & egenum: hæc ergò ejus exhibitio fuit perfectionis præſtitio.

Q. Cur autem hæc omnium Virtutum ſpecimina coràm oculis Turbæ peregit Dominus? R. Ideò, ut ad Imitationem promiscuè convocaret totum genus humanum: qua propter etiam ad ſimilitudinem ſivè exemplum ſuum ſæpiùs provocavit hortatus omnes, ut tales forent, qvalis ipſe eſt, hinc dixit: perfecti eſtote, ſicut Pater veſter perfectus eſt. Discite à me, quia manſvetus & humilis ſum. Diligite vos, ſicut ego dilexi vos: Eſtote Simplices: obedite &c. ſi quis perdit animam ſuam &c. ſequi-

sequimini me. Qui deserit Patrem suum &c. hæc & hujusmodi Christi dogmata cuncta comprehenduntur sub verbo sermonis ejus, quem custodiendum præcepit, hoc observationis præceptum mediante Spiritûs Sancti afflatu tradidit Discipulis suis toti mundo prædicandum, cùm ait: & docete eos servare omnia,quæ dixi vobis: eò collimat etiam dictum ejus: qui custodierit sermonem meum,non videbit mortem in æternum. Matth. 28.

Q. Quâ de Causâ injungit Deus nobis conatum & aspirationem ad perfectionem? R. Quia suis mediantibus donis fœneratur Dominus, cupiens pari bonitate tàm naturam, quàm Spiritum ad se trahere, undè quoq; fit, qvod inventâ bonâ, flexiliq; naturâ opus suum juxtà modum in eâ coaptando ordinet. Neq; enim Dominus vult dona sua carere effectu, cùm tanta munera eo fine largiatur hominibus, ut simul Spiritus ac natura confortetur, & reducatur in Vigorem, Vigor autem efficit, ut tantò potentius ac juxtà ordinem sese imposterùm exerceat: hoc per exemplum illustravit à pluviâ desumtum, cùm dicit: quemadmodum pluvia decidens terram fœcundat, nec revertitur ad locum suum; ità futurum, ut verbum ejus (dona omnia) non revertatur ad se vacuum.

Q. Quid porrò requiritur ad perfectionem? R. Ut homo magna ac dura superet onera. De novem perfectionis gradibus dicetur alibì: hîc tantùm qvatuor inferiores contemplandi sunt, qvos minori negotio transcendere potest,qui à Criminibus liber cum Christo cupit resurgere. Sunt ergò

1. Superandi sensûs, sensibilia & sensualitas. 2. Superandæ sunt naturales corporis Vires. 3. Superanda sunt cuncta desideria. 4. Superandæ sunt cogitationes,Ideæ & Imaginatio.

Quantum ad primum, constat per multos homines loqui de rebus sublimibus non aliundè cognitis præterqvàm è sensuum Venatione, undè error sæpè & falsitas obrepit. Hæc sensuum extra vagatio est præpedienda ac superanda, si quis perfectus esse cupit, eò quod ferè nunquàm quiescunt, qvi sensibus cursim negotiantibus connivent, quàm bona etiam videatur causa

eorum. A ſpecie ſenſibili, ſi fortè per ſenſus illata fuerit ad rationem usq;, eſt ſtatim deſcendendum ad internam occultam Ideam & properandum ad lumen vultûs divini curſu concitato, freqventi, niſuq; forti: quoniam ſic unicâ horâ plus boni ac utilis comparatur, qvâm quod à multis annis deperditum erat. Quicunq; neſciunt cum Deo converſari aliter niſi per medium ſermonis vel lecti, auditi vel inventi, eorum cæptum dubii plenum eſt; qui verò ex intimo Spiritûs Deum qværunt, tanquàm Spiritum per Spiritum, eorum ſermo eſſentialis eſt, Deoq; ſatis cognitus.

Quantum ad ſecundum, ſuperandæ ſunt etiam naturæ vires externæ & potentiæ internæ, ſic nè quà doleat homo de earum inter conandum exantlatione, cùm fiat rariſſimè, imò vix unquàm fieri qveat, ut dignè quis operetur ſub conſervatione Virium. Multa qvippè egregia Eccleſiæ lumina ſub cultu Dei, ſuccurſu proximi, & ſub peccati devictione detriverunt cum ſanitate & formam & habitum Corporis. Quicquid corpus non afficit, ab eo remotum eſt, quod autem remotum & incognitum eſt, id homo non habet, idcircò non eſt, ut falſò glorietur de poſſeſſione ejus qvod non habet; Cùm quod nihili conſtat, nil valeat, conſequens eſt, tantò qvid magis conſtare, quanto nobilius eſt. Interna exercitatio compenſatur Virium pretio, imò vix & nevix, quoniam minoris ſunt Vires corporis, qvam quod ſufficiat tanto bono comparando, quod autem deeſt ad æqvum Virium, à Deo emendicatur. Emoriendum eſt omni qvod eſt humanum, ut reſurgat qvod novum eſt, idcircò non ſolùm externus Corporis habitus eſt impendendus, verùm etiam ſenſus internus, quem vocant Communem tradendus & ſuperandus eſt, puta, cùm feriantibus externis ſenſibus homo multum intùs imaginatur; Cùm etiam cuſas intus Ideas volvendo, ac revolvendo, miſcendo & ſegregando tumultuariè cogitat, hæc omnia opus eſt ſimpliciter ſepeliat in Deum ipſum, bonum ſinceriſſimum. Qvisquis hæc omnia ſeqveſtrando ejicit, is Deum ſolum in ſe abundè invenit. Superanda qvoq; & mor

mortificanda est ratio, qvæ non rarò satis superq; dominatur, sic, ut sæpe etiam sæviat, ausitvè Cœlos perrumpere: ratione Gentiles Philosophi, iisq; similes quidam Christiani naturam obfirmârunt, qvorum Virtus quæcunq; est vel fuit, solius rationis motu exerta est. Quodsi è rationalibus Christianis est aliqvis convertendus, conversio ejus est valdè difficilis, & cùm eorum natura sit magno conatu subigenda, non minus cautè imposterum de diligentiâ prospiciendum est. Attamen si semel ritè subacta est natura, fiunt tales magis constantes ac perfecti quàm simplices, qvi qvod accipiunt, facilè deserunt, sicut impressa ceræ sigilla levi compressione pereunt, secùs quæ gemmis difficulter insculpta perdurant resistendo.

Quantum ad tertium, superanda quoq; sunt desideria proprietatis, optatus scilicet donorum divinorum, gratiæ, revelationis, sanctitatis, vel similitudinis &c. ut homo cuncta Deo committat nil præter solum Deum desiderando, sed dicendo: Non mea, Domine, sed tua fiat Voluntas. Enim verò hæc oratio est potentissima, quia Deo gratissima, si ab internâ mentis devotione profertur, prætereà & utilissima est, quia in omnibus necessitatibus aptissimè Deo offertur, ideò etiam singulari privilegio semper exauditur. Hujus exemplum ipse Dominus noster præbuit, qvi præter Voluntatem Patris nil aliud precatus cuncta tormenta tamdiu patiebatur, donec omnium consumationem senserit ipse. Quodsi homo tenetur Christum veraciter imitari, tenetur & hactenùs eum sequi per passionem, donec se derelictum, consumatamvè vel vitam vel tormentum senserit. Vita quidem hominis non sine desiderio est, reqviritur autem, ut supprimatur statim, è quo id observatur, cùm Deo tempus omne donorum, & cuncta alia sint committenda. Quicunq; fert ægrè, quæ sua sunt, & optat aliena, is Deo deditus non est; qui verò semper & ubiq; Deo deditus est, is verè homo consecratus est. Quodsi qvid licitè restat optandum, id reor esse, ut Deus auferat homini omnia media, quo semper & ubiq; Deo immeditatè uniatur: sic namq; delentur peccata & beatitudo obintrat.

Quantum ad qvartum, ſuperandæ ſunt imagines ſeu cogitationes, quarum ingens conſurgit caterva etiam in bonis hominibus. Superantur autem, cùm eas homo ſimpliciter transportat in Deum cum humili defectuum ſuorum confeſſione ac pœnitudine: quod ſi quà cedere ſic noluerint, linqvat ſe Deo neceſſum eſt eam ſuſtinendo paſſionem. Cùm autem & homines boni ſint, qui hâc ratione, quod in Cœleſtibus ſivè Spiritualibus per diem multum cogitant, noctu multum ſomniant (irritatâ ſcilicet phantaſiâ, ac Imaginibus Angelorum vel animarum procreandis occupatâ) noſcendum eſt, ſpecioſa ea ſomnia non admodum curanda nec penitùs contemnenda eſſe, qvatenus eorum plurima naturæ ludentis figmenta ſunt. Aliàs ſi homo ſibi temperat à cogitationibus diurnis, non moleſtatur ſomniis.

Q. Quid ſi qvis Viſiones habeat? R. Hæc res non caret fraude nedum periculo, quia ex ſe non poteſt homo diſcernere, undè & an puræ ſint, an mixtæ & ſeductoriæ. Dentur autem veræ viſiones, nihilo ſeciùs fatendum eſt fore, ut Angelus falſæ Lucis tandem vel unicâ vice ſuam admiſceat farraginem, atq; tunc fieri nequit, quin homo ſeducatur. Incertis hujusmodi vel ſomniis vel viſionibus, imò & ſæpenumerò inſulſis ſeducuntur multi, ſicut à Deo deflectant ad Stultitias. Si quà verò Viſio ſit apparenter vera, probanda eſt Lydio S. Scripturæ, cui ſi convenerit, eſto, ſin minus, ſupprimitor; non enim ſine damno Salutis curantur mendacia, ſtultitia, ludibria, quæ vel manifeſta ſunt, vel ſaltem privata Dæmonis artificia.

Q. Annon ergò licet animum applicare ad Revelationem Dei vel Sanctorum? R. Minimè: ſic namq; declinat homo ad devia. Eſt autem animus firmandus in Voluntate Dei non tantùm ſub hâc vel illâ Calamitate, ſed indiſcriminatim in cunctis neceſſitatibus, imò etiam in proſperitate, ſivè qvis habeat, ſivè careat, ſivè adjutus ſit, ſivè deſertus, neceſſum eſt, ut ſe in omnibus habeat juxtà exemplar Chriſti & juxtà ejus Ideam in mente formatam, revelatam, & inceſſanter perpenſam. Convenit enim, ut cujus Imaginem refert natura, ejus quoq; exemplo vita congruat

gruat humana, qvia exindè discimus id quod perditum est, in eo ac per eum consequimur rem perditam, adeoq; restat, ut formam Vitæ Christi non temerè obtueamur, sed humili mentis oculo perpetim contemplemur, animo revolvendo, quàm fuerit perfecta ejus vita, quàm simplex, modestus, humilis, patiens & obediens, quàm deniq; omnium Virtutum plenus erat Dominus: nevè commemoratio ejus exempli excidat memoriâ, opus est, ut ipsum Dominum recipiamus in nostrum consortium, sic ut sivè sedemus, ambulamus, dormimus, sivè edimus, loqvimur, sivè agimus aliquid, sit nobis Socius & adjutor, qui contemplatur actiones nostras, attendit verbis nostris, imò qui scrutatur cogitationes nostras. Imago Domini est imprimenda cordibus, qvoniam & ipsa veraciter in nobis est, quatenus in eo omne bonum, solatium lætitia, gratia & Veritas est.

Q. Cùm secularis homo rei familiaris curæ immersus sit, quî potest ea modo prædicto observare? R. Propalàm est, negotiis mundi implicatos communiter ea non nisi difficulter vel parum observare, qvanquàm etiam inventi sint, qui magnis curis obruti, admirabili tamen puritate & perfectione claruerint: attamen hæc omnia vel maximè iis persvasa esse debent, qui relicto mundo vivunt absq; curâ Oeconomiæ ac Domesticorum soli Deo consecrati, quanquàm in verso ordine nunc imutata cuncta videantur.

Q. Cùm multos sollicitet cura imaginationis, dic quonam modo Imago Christi sit imaginanda, nè falsum pro vero recipiatur? R. duplici modo Imago Christi est menti imprimenda, nimirum Ideali & virtuali.

Q. Siccinè modus, quem Idealem nuncupas, est modus ille comunis, qvo homo, cùm Deum cogitat, sibi intus fingit Ideam boni hominis, sumi benefactoris, crucem passi, ejusq; Ideæ præfixæ sivè præcurrentis causâ novas cudit Ideas commiserationis & gratitudinis? R. Minimè: nam iste modus est compar Creaturarum Imaginationi, præfatus autem Idealis est longè alius, nobilis scilicet, intellectualis ac divinus. Imaginatio JEsu Christi

ſti non ſit alia, niſi Filii Dei Θεανθρώπου, hominis Dei, ſivè Dei-hominis: talis imaginatio ſemper vera eſt, nunqvàm ſine Deo, quia ubicunq; quidpiam Dei eſt, totus Deus ibi eſt, hoc modo bonum optimum non negligitur.

Q. Quinam eſt modus Virtualis imaginationis Chriſti? R. Virtualiter imaginatur Imaginem Chriſti, qui allaborat reddi ſimilis ejus imagini qvantum quidem fieri poteſt. Taliter Chriſtum non imaginatur, quicunq; mandata ejus non ſervat, aut ejus obaudit conſilia.

Q. Quid ſi mandata Dei ſervari neqveunt (ſicut aliqui putant) qualiter quis obſervabit conſilia Chriſti, qvi ſuadet Charitatem hoſtium &c? R. Hic non agitur de Veritatis hoſtibus, qui Verbi divini ſenſum pervertunt, nevè exoſa jis mandata Dei cuſtodire teneantur, ad adynaton provocant; ſed tales ſolùm hîc ſupponuntur homines, qvibus jam parum videtur ſervare mandata, cùm ipſa conſilia Dei obſervare nituntur. Ad virtualem namq; Imaginationem Chriſti non pervenit, niſi qui ſub obſervantiâ mandatorum ipſam virtutem perfectionis aggreditur, quam refert Imago Chriſti: ejuſmodi autem homini ſunt Chriſti conſilia accepta & valdè deſiderabilia. Quod Chriſtus
Matth: 5. dixit: diligite inimicos, tàm gratum eſt fraternæ Charitati, quàm quod gratiſſimum, non obſtante naturali hoſtilitatis ſenſatione: & nè quis dicat, ea non poſſe ſervari, adſunt Eccleſiæ teſtimonia, imò præſenti ſeculo ſunt etiam viſi homines, qui usq; adeò hoſtibus condonârunt, ut excuſatis iis omnem opem tulerint. Et certè neceſſum eſt, amet hoſtes ſuos, quicunq; Chriſti exemplo conformari deſiderat, is namq; pro hoſtibus mortuus eſt. Qui hoſtes non amat, non aſſimilatur Chriſto, qui non aſſimilatur ei, non obſervat Verbum ejus, qui non obſervat illud, inaniter ad id appellat.

Q. Annon & Chriſti Imago ſuperanda eſt juxtà præfatum quartum modum? R. Minimè: imò hæc ſola eſt retinenda.

Q. Cùm Dominus à nobis diſcedendo dixerit: Meliùs eſt Vobis ut vadam &c. annon hoc ipſo indicare voluit Imaginis ſuæ deſertio-

desertionem, sicuti eam oculis nostris subtraxit? Respondeo tum Verbo tum facto eo indicari interdictionem imaginationis sensibilis, comprehensivæ, tractabilis, sive phantasticæ, non item sublimioris & divinæ, hæc retinenda, illa superanda est: nam & eo modo relinquebant eum discipuli, hoc autem non relinquebant, non autem relinquebant eum, quatenus eorum animus unà cum Christo ascendebat in cœlum, quod ipsum cùm & nobis omnibus faciendum sit, primò qvidem scandit ad Christum homo perfectus, cujus animus amore accensus, quamprimùm Christo adunatur, evadit speculum lucidum in & cum Deo ambulans: eum seqvuntur alii pii homines, sed imperfecti adhuc, hi scandendo atq; volando, quousq; possunt, pertingunt, & tametsi in tempore non attingunt, quod quærunt, id tamen non desistunt per omne tempus desiderare.

Q. Nunquid ergò perfectioni studendum est, tametsi non impetretur antè mortem? R. Semper & ubiq; incumbendum est, qvo fiat perfectus unusquisq;, & tametsi non perficiatur, contentus tamen esse debet, dummodò sedulò laboraverit impetrandæ perfectionis gratiâ; nam & conatum ac desiderium perfectionis compensaturus est Dominus in æternum pro uniuscujusq; modio. Interest ergò plurimùm judicare torporem & accusare suam frigiditatem omni qvo potest modo, atq; desiderare quæ sibi desunt, quia qui multum desiderat, multum acquirit. Præter hæc sunt alia plurima, quæ spectant perfectionem, quæ suis tractata capitibus reperiuntur. Est autem vita Christi exemplar perfectionis, quæ ideò imitanda est, & prius cognoscenda, quæ & qvalis ea sit, hanc proximè doctrinæ perfectionis subnectendam judico, ut qui hanc imitari cupit, tanquàm in speculo repræsentatam, mentisq; oculis præfixam habeat Ideam.

Agit sic.

Digitized by Google

CAP. III.

De Vitâ Christi.

Q. Quid docet Vita Christi? R. Per vitam Christi instruimur, quòd juxtà morum Christi regulam & juxtà ejus vitæ exemplar vivendum sit: nam sicut per id à cordis caligine liberamur, ità à Veritatis luce illuminamur. Hæc itaq; cura nostra sit omnium maxima, ut Christi vitam consideremus magnâ devotione. Isthæc namq; doctrina quamcunq; superat aliam, qvoad plus lucis, plus veritatis secum vehit, quàm omnium Sanctorum dogmata, quoad etiam facilis est captu, & ab unoquoq; tàm prudenti quàm simplici comprehendi potest, paucis his verbis expressa: qui sequitur me non ambulat in tenebris. Simplices qui minus intelligunt, reperiuntur hujus doctrinæ magis capaces tàm quoad naturam, quàm quoad sortem, reliqvorum verò multi ex Evangelio parum fructiferi depromunt, etsi assiduè audiverint, siquidem Spiritus Christi deest mundicolis: contrà sapidus Evangelii fructus est vita Christi, eiq; conformis vita Christianorum. Contentio & rixæ qvæstionum de rebus divinis non sunt fructus arboris evangelicæ, sed sunt erucæ, papiliones, araneæ, variaq; insecta arborem depopulantia, quæ quidem non ex ipsâ arbore, sed aliundè proveniunt. Omnia hinc vanitas sunt præter amare & sequi Christum.

Q. Undè habetur doctrina de Christi Vitâ? R. Christus Dominus noster est Magister ac Doctor verus, factus nobis exemplar solum ac verum omnis perfectionis, & ipse est qui docuit tàm vitâ quàm verbo: in ejus doctrinâ continentur omnes artes ac virtutes sub titulo charitatis, quæ cunctis hominibus scitu & factu necessaria est, quò fiant prudentes, sapientes atq; hactenùs Dii, sancti sivè filii, amici & servi Deo accepti. Christus non

solùm

ſolùm venit in mundum ad redimendum eum, ſed etiam inter homines eſt converſatus tanquàm Doctor à Deo miſſus, ad informandum ignaros, ac in tenebris verſantes homines qualiter ſe gerere debeant, quod ipſum eſt obſervatum à Judæis, ſcribis, pharisæis, militibus ac publicanis, qui ſciſcitabantur, quid facere oporteat ad conquirendam ſalutem. Ipſi autem Domino uti cum rudibus ac ignaris hominibus res erat, ità uſus quoq; fuit ſimplici doctrinæ genere, brevi & compendioſo, attamen benè ordinato, nimirum complectendo totam beatæ Vitæ formam paucis regulis ſub univerſali ſuaſu & præcepto dilectionis, idq; ſic & non aliter fecit eo fine, ut tantò facilius ejus doctrinam tàm intelligere quàm diſcere poſſimus.

Q. Quænam eſt ſuṁaria doctrinæ ſanctæ lectio, quænam etiam tabula ejus vel liber, in qvo deſcripta continetur? R. Tabula ſeu liber, cui digito Dei inſerta eſt lectio, quam ſinguli fideles diligenter legere, intelligere, diſcere & ad uſum deducere debent, eſt ipſa ſanctitatis plena Chriſti humanitas, è quâ Virtutes ſingulæ elucent ad inſtar literarum majuſcularum, docentes & vocantes quemcunq; ad lectionem; ipſa verò lectio brevis, ſimplex & ſuṁaria hæc eſt: diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. In iſtâ ſuccinctâ lectione, qvâ brevior, lectuq; facilior nulla eſſe poteſt, conſiſtit ordo ſeu methodus informandi omnium maximè neceſſarius, qvo ſolo rem Chriſtianam promoveri, ſine quo etiam nil profici cernimus. Hic ordo tàm in docendo quàm diſcendo ſervandus eſt continuò ſivè omni tempore, cùm nihil ſit unquàm utilius ad hominem boni capacem reddendum, quàm ipſa puræ humilitatis ac manſvetudinis amplexio, quæ eſt ſignaculum dilectionis veræ.

Q. Eſtnè ea lectio tàm facilis obſervatu qvàm brevis eſt lectu? R. Brevis quidem eſt, ſed magna complectitur, quapropter homo ſuperbus ſummam diligentiam adhibere debet non tàm in legendâ, relegendâ & addiſcendâ lectione, quàm exercendâ & applicandâ eâ: hâc quidem difficultate non aggravatur homo, qvi deprehenditur naturatenùs ſimplex, pauper & humilia-

 milia-

miliatus. Cùm enim non solùm in ipso vivendi, verùm etiam in toto genere docendi, in cunctis Verbis, factis, moribus ac modis Salvator humilitatem, ac mansvetudinem exhibuit, tantò facilius futurum est, ut eam addiscant ac imitentur, qvorum capacitati, ac inclinationi naturali quodammodò convenit, tales autem sunt homines simplices, egeni, subjecti, quin & artium improbarum adhuc ignari, talium quoq; fuit prima, prisca & subsequenter magna caterva, qvi hanc cœlestem doctrinam amplexi, postmodùm clari ac miraculosi effecti sunt.

Q. Da exemplum interstinctæ hujus adeptionis, cùm queat interrogari, cur non æq; superbi ac seculi hujus prudentes, qui aliàs ad capessendas artes mundanas valdè habiles sunt, ad eandem praxin queant deducere facilem eam ac brevem lectionem, sicut simplices possunt? R. Ex ipsâ vocatione desumitur exemplum, quà Christus tantùm elegerat eos, qvorum naturæ Deus ingenuerat capacitatem constantem sivè à simplicitate non recedentem. Prout enim diviti aut prudenti valdè difficile est mutato statu rejectisq; artibus tanquàm possessione sibi studiosè comparatâ sivè à seipso deficere & ad exosam simplicitatem reverti eo scilicet fine, ut adhuc difficiliora ibi discat; ità homini simplici est perquàm facilè capere ac exercere ea, quæ suæ naturæ consymbola sunt: idcircò Christus reddebat Patri suo gratias, quod istam Sapientiam absconderat præ superbis mundi prudentibus & revelaverat minimis, hoc est, è paupertate jam humilibus factis, quos sic ad redocendum uti ad discendum aptos invenerat.

Eligebat ergò Christus piscatores & plebejos, quos faceret Apostolos & discipulos, Doctores qui Sponsam Christi præparent ac ornent consimili humilitate & mansuetudine. Ecclesiæ sic præparatæ exemplum præbuit Sancta Mater Christi, cùm dixit in hymno: respexit humilitatem Ancillæ suæ: hoc ipso indicatur, qualiter Ecclesia debeat esse comparata, qvo digna sit societate Salvatoris sui: uti ergò sponsus, ità & sponsa, uti caput, ità membra comparata esse oportet, nimirùm, ut unâ vivant vitâ & Virtute univocâ.

Q. Ec-

Q. Ecquid doctrinæ hauriendum eſt ex iſtâ electione pauperum piſcatorum? R. Hoc ipſo facto docemur, ſolos humiles eſſe capaces Myſteriorum ſivè ſacrorum Dei ſecretorum, quæ hactenùs in ſenſum obſcurum involuta credimus, nè inflati ſuperbi intelligant ac polluant ea: ſic vetitum eſt, nè ſanctum projiciatur Canibus.

Q. Annon & viros prudentes cernimus perquàm humiliter ſibi obviare, eoq; humilitatem ſuam contextis ac multiplicatis Verbis conteſtari, quos ideo & capaces & dignos meritò cenſeamus? R. Utinam non eſſet ficta ea humilitas, nec potius humanitas qvàm humilitas vocanda, nam ſi ex puro corde profluerct, non eſſet ſpernenda: verùm cùm videamus multos ad ſui ſtatus evectionem tendere, paucos verò ad ejus humiliationem, permultos quoq; verboſè his adulari quos æmulo animo vel deſpiciunt, vel impediunt, ecquis talibus conceſſerit hoc, quod interroganti viſum eſt? Non à quovis cognoſcitur vera humilitas, ſed tantùm ab illis, qui ſectantur virtutem præfatâ lectione relectâ ſæpius & obſervatâ.

Q. Quænam ſunt ſigna veræ humilitatis, quæ nunquàm eſt ſine manſvetudine? R. Ejus ſigna hæc ſunt: primum: ſi homo fidelis non afficitur pudore in rebus foris peragendis, quæ aliàs cordi humano videntur pudibunda. Hæc ſpecies humilitatis exhibet ſignum converſionis, & quòd de peccatis ſuis verè doleat. Nam eum oportet ſe præparare, ut tàm ubiq; quàm ſemper cupiat eſſe minimus ac viliſſimus, quatenùs dehinc eſt ultrò progrediendum ad internam humilitatem, quæ mentis eſt ſolùm: id quidem ſine magnâ attentione fieri nequit, ut nec ſine gratiâ Dei, quam Deus dat unicuiq;, qui ſe obſervat ipſum, quo præparatus progrediatur.

Secundum ſignum eſt: ſi homo agnoſcit ſeipſum eſſe inferiorem cunctis aliis, & inſuper obligatum ad ſerviendum illis. Hoc ipſo ſigno humilitatis permovebit alios, non ſolùm ut eum ament, ſed etiam ut veram ejus humilitatem ſuſcipiant pro virtuoſo exemplo. Et tametſi homo non ſem-

ſemper de jure teneatur id facere, intereſt tamen agnoſcere latiſſimam obligationem ſaltem vi Charitatis, cùm vergat ad laudem & gloriam Dei, nam & Deus eventualiter peccata ei remiſit, antequàm ea patravit. An ergò agnitio debiti ſui unqvàm erit immodica, ſi non immodica eſt gratia? Ea autem ingens gratia DEI eſt peccata dimittere, & ſimul à peccatis cuſtodire.

Tertium Signum eſt: ſi amat cunctos homines amore æquali, ſimplici, id eſt, nullis modis interſtincto, id quod eum ſic facere cernimus, qui alio magis nullum, nec plus amicos & vicinos quàm peregrinos amat. Nam Charitas libera poſtulat amare cunctos homines in Deo tanqvàm proximum absq; reſpectu bonitatis vel malitiæ cujusquam, poſtulat & quemlibet pro ſuâ dignitate honorare.

Quartum Signum eſt: ſi homo ſubjectus Deo eſt, ſic ut eidem unitus adhæreat, corde à cunctis rebus terrenis evacuato, cùm fieri neqveat, ut Deus ſe cordi mundano communicet. Ea verò à rebus terrenis abſtractio conſiſtit in hoc, ut ſcilicet ſub depoſitione ſuæ proprietatis abrenunciet ſibi ipſi extrinſecùs & intrinſecus. Quisquis hoc fecerit, ſubjicit ſe Deo, & Creaturis cunctis ſic ut nil reſtet, quod ei ſubjectum ſit.

Quintum Signum eſt: ſi quamvis injuriam patitur ad gloriam Dei ſperando confidenter in Dei miſericordiam. Qui autem neſcit pati, carere, ſperare fidenter, is nescit eſſe humilis: Vera namq; humilitas quinq; his ſignis cognoscitur.

Q. Quò vergit omnis conatus, induſtria, doctrina & exemplum, quibus Dominus noſter per totam Vitam ſuam ſe occupavit? R. Eò ſolùm vergit, ut charos ſuos Amicos in lumen Veritatis atq; introrſum in purum mentis fundum conducat. Quicunq; id negligunt, obaudiunt Chriſti doctrinam, ejusq; exemplum deſpiciunt, quapropter ad veritatis lumen non pertingunt.

Q. An non & Chriſti discipulis accidit incuria geſtorum Chriſti, quorum tamen & animus & oculi erant in hominem-Chriſtum

ſtum fixi, quorum & ſalus viciſſim erat potiſſima Chriſti cura? R. Tantam diſcipulorum curam habuit Salvator eo fine, qui ad præcedentem quæſtionem propoſitus eſt, in quo & maxima omnium Salus pendet. Aſt quoniam incurii diſcipuli ad ſolam præſentiam, & humanitatem Chriſti applicabant animum, taliterq; ſummi boni adeptionem præpediebant, hinc oportebat Chriſtum ſecedendo evidens obſtaculum hoc ab animis eorum removere.

Q. Quodſi Sapientia æterna, ipſe cœleſtis Patris Filius ſuis obſtaculo erat diſcipulis, quid eſt cenſendum de creaturis aliis, imò etiam de modis & circumſtantiis, quarum numeroſa, ac ſpecioſa ſuppellex eſt? R. Propterea docetur Sanctis obſtare omnia, quæ præter Chriſtum ſunt vel fiunt, quominus ſummum bonum immediatè recipiant, & ratio deſumitur indè cur omnia ſint deſerenda, utut ſpecioſa ſivè utilia: hæc quippè deſertio eſt & nuncupatur paupertas Spiritûs.

Q. Qualiter poteſt homo ſuam operari ſalutem? R. Cùm ſtudioſè clementiam Chriſti contemplatur, quàm avidè ſcilicet per cunctas ſuas actiones ſalutem hominis conſummavit, neceſſum eſt, ut tantum beneficium compenſet reciprocâ paſſione voluntariâ, & ambulet taliter in eâ viâ, cujus anguſta eſt porta, Deo ſacra; hoc ſanè modo ipſe quoq; ſalutem pro parte ſuâ operatur, non obſtante negativâ eorum, qui tametſi Evangelium debitè commendant, ipſo tamen opere Viatores non conducunt ad portam anguſtam, indè fit, ut qui obaudiunt verba, ſeqvuntur exempla, non advertant, quod latâ viâ progrediantur ad interitum, comprimis tùm, cùm ſomniant anguſto ſe tramite pertendere.

Monendum ergò eſt, ut quilibet ſtudeat dura quævis experiri, & ſi cum difficultate laborat, conſideret mortem & paſſionem Domini amaram, quam pro peccatis alienis tanquàm ſua fuiſſent, ſuſtinuit, conſideret ſimul collatum nobis fructum operum ejus, tanquàm ea eſſent noſtra non ſua opera, ſic labor omnis tùm facilis erit tùm fructuoſus. Etenim quoniam Chri-

ſtus

ſtus peccata noſtra ſuſcepit tanquàm ſua forent ea, nobis quoq; ſua viciſſim reddidit opera, ut noſtra ſint, hâc ipſâ permutatione factum eſt, ut pœnas peccatorum dederit ipſe, nos verò merita Operum ejus poſſideamus tàm plenè, ac ſi nos ipſi redemtionem operati eſſemus. Quod ipſe tulit & paſſus eſt, noſtrum eſt; ſed ſi cum eo patimur ipſi, jam confirmatum, ſigillovè munitum eſt redemtionis pactum.

Q. Forma vivendi Deo gratiſſima quæ? R. Eam ad vivum delineavit, atq; in ſpeculo vitæ ſuæ propoſuit nobis ipſe Salvator, qui & nil aliud intellexit per verbum: ſequimini me: præterquàm ſuam vitam pro inimicis in mortem traditam, quæ eſt oppoſita philavtiæ ſivè vitæ ſecuræ ac liberæ ſui amantium, circà quod notandum eſt, quod vita Chriſti tùm Deo gratiſſima eſt, tùm nobis chariſſima eſſe debet, quia per eam cognoſcitur bonum optimum, hoc eſt, perfectum. Cùm autem cognitio perfecti ſit perfectiſſima cognitio, non poteſt perfectum hoc bonum non amari ſuper omnia, cætera verò imperfecta omnia rejici & amoveri: hæc ipſa cognitio tantò cariorem reddit Vitam Chriſti, nec minus hominem obſequentem indies promovet ad exercitium ejus, non obſtante amaritudine, quia neceſſum quoq; eſt eam in homine eſſe & manere usq; ad mortem. Propterea refert quidam, quòd qui ſecùs dicit vel docet, mendax eſt, & quod Veritas ac ſum̃um bonum non eſt in eo, qui deſtituitur vitâ Chriſti. Indè ſanè diſcimus, ad vitam Chriſti atq; cognitionem ſummi boni non poſſe perveniri, niſi per deſertionem omnium Creaturarum, quæ poſſidentur ab intellectu, voluntate & deſiderio, hoc eſt, à totâ mente, hîc nuditas ſub intelligitur atq; paupertas Spiritûs: Hinc etiam ſequitur, eos qui rebus mundanis adhærent, hoc Veritatis carere lumine. Totus ferè mundus nunc adeò inter ſe cohæret, ut vix inveniatur homo abſtractus, cui mundus exoſus eſt: nam quicquid mundiale eſt, eſt naturale, quod ſine mundo eſt, eſt ſupermundiale, natura verò naturâ gaudet, hinc dici ſolet, natura naturam conſervat, non mirum ſic eſt, quod homo naturalis tantùm curat ea, quæ ejus naturæ con-

veniunt; aſt ſpiritualis homo non ſua, ſed quæ ſunt Dei, cu-
nec vetat vitam ſuam odiſſe, ſivè exponere pro Dei gloriâ
iſtum per hoc imitatus. Eſt autem cum Chriſti vitâ com-
atum, ſicut cum obedientiâ Chriſti, quod ferè idem eſt, quia
riſti vita nil niſi obedientia erat, ad iſtam itur per viam ean-
n, par autem ſubeeſt difficultas, quod non omnes æqualiter
jus vitæ formam attingunt, ſed unus in hoc, alter in illo gradu
ſiſtit, in Chriſto hinc erat perfectio, in nobis autem eſt im-
fectio. Sed ſicut unus imperfectior eſt altero; ità & unus
riſto eſt propinquior altero, ſuper omnes autem eſt is, qui
nmo bono tenaciter adhæret & quantum poſſibile, vivit jux-
exemplar Chriſti. Nam talis homo externas actiones, in
antum ſunt neceſſariæ, non fugit penitùs, aſt non neceſſarias
adiò linquit, ſolùm auſcultando quid Deus jubeat, ut ipſum hoc
lit, ac oporteat facere. Quicunq; dicunt, voluntatem adeſſe,
d poſſe non adeſſe, hi plerumq; omnem operam & exerciti-
m tanquàm rei deſperatæ ac impoſſibilis intermittunt, & ſic
d primum hujus vitæ gradum nunquàm perveniunt, ſic abu-
antur verbo Domini, ut ſuam excuſent negligentiam. Aliter
utem eos comparatos eſſe neceſſe eſt, de quibus dicitur: Qui Rom. 8.
piritu Dei ducuntur, hi ſunt Filii Dei, nec ſunt ſub lege: hoc eſt,
qui ſe ſpiritui dedicârunt, hi ſunt impleti ſpiritu, & ſicut à ſe ipſis
xiverunt, ſic poteſtatem ſpiritui reliquerunt ducendi, operan-
di & perficiendi per eos, quicquid ei viſum fuerit ad eum ferè
modum, quo dicimus eos, qui ſunt mancipia mendacii, fraudis,
malitiæ & iniquitatis, duci ac poſſideri à Diabolo, nec eſſe ſui ju-
ris. Nam cùm ſuperbia & philavtia ſit primum peccatum, & tàm
Adami quàm Dæmonis lapſus, ſequitur per id peccatum fieri
defectionem à Deo ad diabolum, undè aſſimilatio dæmoniaca,
cohabitatio quoq; ac regimen in homine diabolicum. Expedit
ergò homini ſe præparare, quò facilius ac felicius proprietatis
ſuæ vinculis ſolutus liber, nudus & pauper Spiritu induat ſpiri-
tum, & quod quærendum eſt bonum, poſſideat. Iſthæc præ-
paratio quadruplici medio impetratur, primò deſiderio acqui-

 rendi

rendi. Secundò fideli informatione. Tertiò fervidâ attentione. Qvartò indefessâ exercitatione. Cape desiderium, quære Regnum, & cætera adjicientur.

Q. Quæ sunt consideranda in desiderio acquirendi Vitam Christi? R. Hæc duo debent considerari, propter quæ potest homo desiderare eam, nimirum merces promissa, & amor boni; hoc ergò desiderium est duplex ac longè diversum. Quodsi quis Vitam Christi habet, aut desiderat ex charitate, libenter ac facilè perfert eam, in causâ sic homo cum Christo convenit, adhæc si semel hanc vitam homo est assequvutus, non cupit eam dimittere, quia est grata ei, quantumvis laboriosa ac tædiosa sit; secùs facit, qui ob mercedem futuram habet eam, cui difficilis ac ingrata est tanquàm pro mercede conducta, hinc finem ejus desiderat per modum mercenarii, qui laborem non gratis sed pro mercede suscipit: in talibus vita Christi rursus citò dimittitur, nec commodum nec mercedem post se relinquit. In homine divino hæc vita (quæ omnium rerum gratissima ei est) tantâ curâ servatur, ut totâ suâ Vitâ non dimittat eam, siquidem non propter aliquam Utilitatem diligit eam, sed propter nobilitatem ejus & complacentiam divinam: cui autem difficilis est, is ejus nequicquam degustavit. Pari ratione non propter mercedem, sed propter bonum amantur virtus, lex & instituta. Quicunq; vivit in verâ luce & charitate, is benè ac dignè ambulat, quoniam Charitas ea quoq;, quæ aliàs natura formidat, libentissimè perfert, dummodò priùs ea sic esse cognoverit pro ratione boni quod amat: nil ergò durum, quod non toleret, nil grave, qvod ferre recuset, per hoc seqvuta exemplum Apostolorum, qui sustinendo afflictiones solam flagitabant constantiam, secundum quod scriptum erat: tu confirmâsti columnas ejus, nè moveantur. Exindè intelligimus, quid sibi velint ea Christi verba, onus meum leve est. Charitas Dei reficit eos, qui onerati sunt, & vitam hanc tristem, onustam, afflictam amat Charitas suprà omnia vitæ genera, quà boni perfecti fructus est, in Christo ad perfectissimam Charitatem excoctus. Huic veræ vitæ oppo-

opponitur vita falsa, quæ naturalis, decepta ac decipiens est adinstar lucis & charitatis falsæ, hinc ubi lux falsa, ibi quoq; Charitas & vita falsa est. Datur homo, cujus natura subtilis est, astuta, agilis, is certè diversissimis rebus est implicatus, in iis laborat attentè cum fraude, dolo & astutiâ sui commodi causâ, & quia sic & non aliter intelligit, amat, qvod scit, & vivit juxtà concupiscentiam voluntatis suæ. Eccè hîc est perfectum mancipium Diaboli, instrumentum deceptum & decipiens, cujus omnia falsa sunt tùm lux, tùm amor & vita; hæc est naturæ proprietas, qvalis & est Diabolo, & proprietatis Identitas aufert differentiam. Deceptus ergò Diabolus, decepta & natura, quia non cognoscunt se esse deceptos per hoc, qvod putant se scire ac possidere verum & bonum, & hæc deceptio est omnium pessima, quapropter ad alios dolosè decipiendum se juxtim occupant, nec unquàm persuaderi possunt ad exuendum proprietatem suam. Quisquis autem vincere cupit, necessum est, vincat unum ex his adversus se conjuratis, naturam scilicet aut Diabolum, quatenus devicto uno devictum est & alterum. Omnia quæ sinè Deo aut contrà Deum sunt, sunt in alterutro eorum, & vicissim, alterutrum in cunctis: victâ hinc naturâ victus Diabolus est, & cum his vetus Adam, homo naturalis, inobedientia, propria voluntas, ambitio, philavtia, Egoitas, Commodum, Lux falsa, peccatum, quæ omnia sunt unum, nimirum naturæ atq; Diaboli proprietas. In quo autem Vita Christi est, ibi Christus est, sicut dicit Paulus: Vivo, ast non ego, vivit autem in me Christus. Gal. 2.
Exindè sequitur, Christum non esse, ubi sine vitâ ejus est: quantum vitæ hujus inest homini, tantum etiam Christi in eo est, & vice versâ. Qui Christi vitam agnoscit, is Christum cognoscit, qui verò Christi vitam non agnoscit, ipsum nescit Christum, neq; credit in Christum, qui vitam Christi non credit optimam. Nunc autem cùm per cognitionem fidei credimus vitam Christi esse omnium absolutissimam, credendum quoq; est eam non posse abesse à novo homine, luce, amore & verâ obedientiâ, quatenus hæc omnia sunt unum in Deo vivente (summo bono)

quorum si unum amoveris, totum destruxeris, si unum posueris, omnia in Unitatem collecta & quasi confluxa videbis. Hanccè virtutum diversitatem non in Essentiâ earum, quæ una simplex est, quærendam putes, sed tantùm in ratione humanâ diversitatis capace. Interrogaret qvispiam, qvo medio vita Christi sit adipiscenda, quatenùs è præmissis sequitur, ejusmodi medio solùm adhærendum, cunctaq; fugienda esse, quæ eam impediunt? Ad hoc respondetur, eam nuspiam esse conquirendam nisi in & cum Christo ipso: hinc si quà Christum capere potes, non habes quod vitam ejus quæras, qvia jam obtines eam in uno, vero & summo bono. Qværeret & simplex, quomodo & ubi Christus acquirendus? Non quæras homo: cape sacramentum, accepisti Christum & vitam ejus, quò sæpius, eò uberius. Nam vita Christi est sacramenti fructus, in eâ humilitas, obedientia, lux, amor & veritas inventa est, hæc in te inveniantur, & sapidus erit fructus.

Q. Cur Christus vocatus est Rabbi? R. Ideò, quod non solùm docebat, sed etiam quæ docebat, ac tradebat, suo ipse exemplo adimplebat & confirmabat. Est enim verè Magister, Doctor, & Princeps boni supremi, eoq; super omnia amandus: est & Magister ac Doctor veritatis, eoq; sedulò contemplandus. Est & Magister summæ perfectionis, eoq; sine respectu imitandus.

Q. Quantum ad dilectionem, cùm Deus sit infinitus, anima verò finita, & corporis limitibus circumscripta, quî potest anima Deum & cognoscere & diligere? R. Desiderium animæ est abyssus, quæ non expleri potest nisi objecto infinito, quod Deus est, quia quò magis anima Deum desiderat, hoc magis eum diligit, & quò magis diligit, hoc magis desiderat ipsum fontem aquæ vivæ. Christus quoq; cùm sit Magister summi boni, à quo dimanat charitas in corda hominum, anima verò creata sit ad Christi imaginem, ut agnoscat & diligat eum, consequens est, ut anima & possit & debeat diligere eum, cujus refert Imaginem. Fons vitæ charitas est, & hactenùs, qui charitatem non habet, vitam non habet. Diligere Deum est proprium animæ, utq; diligatur

ligatur Deus, concreata est animæ potestas constitutiva ejus, quæ amor sivè desiderium vocatur, cujus ope finitum creatum fit infinitum, & ipsa charitas requiritur esse sine fine, sine socio, sine silentio.

Q. Annon est modus, quo Deus diligitur, qui si quà datur, finitus est? R. Est modus nimirum is, quo Deus dilexit mundum; sedis est sine fine, & sine mensurâ, quatenùs Deus infinitus est, competit hinc animæ, ut amet infinitum sine fine & sine mensurâ. Dominus dilexit nos ad usq; finem vitæ, ut eum diligeremus sine fine: quod sic intelligi debet, ut scilicet desiderium nostrum augeatur per singulos dies mortalitatis hujus. Verùm tamen hic sine fine modus diligendi Deum concernit tantùm internum charitatis opus, non autem externum: illud semper augeri in infinitum, istud commensurari debet juxtà limites discretionis, ut scilicet modo competenti externè sic agatur, nè destruat naturam, qui eam spritui obsequiosam reddere studet.

Q. Quid charitas sine socio? R. sensus ejus dicti est hic, ut homo sollicitè caveat, nè ulla Creatura attingat eum charitatis gradum, quo Deum diligit anima: etenim charitas cùm sola cum solo uniatur, solvit unitatem & solitatem, quicquid cum charitate conscendit eundem gradum, excepto eo, cùm anima diligit Creaturas propter Deum, cum Deo, per Deum, & in Deo: hoc licitum est propter eam causam, quæ Deus ipse est, cujus respectu dicitur propter Deum: propter Deum aliquid amare est, cùm quis in re amatâ amat id ejus bonum, quod optimum est; sed illud ipse Deus est. In Deo amare Creaturas est, cùm quis in Creaturis non quærit alium finem, scopum, ac voluptatem præter unicum Deum: hoc modo amantur Creaturæ in Deo, & Deus in Creaturis. Sic facilè intelligimus, quid sit amare Deum ex toto corde, animâ, mente, cunctisq; viribus, quod Augustinus taliter exponit: ne, ait, anima ullam vim seu potentiam sibi servet amore Dei vacuam; sed ut omne quod anima sibi fingit, amandumq; proponit, amet propter Deum, ac in amore Dei usurpet, cùm Dominus Deus noster sit ipse charitas: & hoc est diligere sine socio.

Q. Quid charitas ſine ſilentio? R. Eſt ea, quæ vocatur non ſimulata, ſed erumpens atq; vociferans, prout dicit anima: Vo-
Cant: 5. cavi eum &c.

Q. Quid ergò per vocem charitatis intelligendum datur? R. Cùm alia vox ſit oris, alia operis juxtà Gregorium, indubium eſt, vocem charitatis prævalere clamori verbali: vox namq;
Pſ: 68. charitatis opus eſt, prout dicitur in pſalmo: operatus ſum vocando. Verbalis vox eſt, cùm homo Amorem ſuum revelat Amicis ſuis, imò defectûs ac peccata ſua, quibus Deum offendit, ſic namq; putat anxium relevari animum; aſt longè nobilior eſt vox operis, ut cùm quis ipſo opere externo exhibet internam charitatem, ſic ſolet ignis charitatis erumpere, ut tanquàm proprio ſibi calore foveat objecta præſentia (id eſt, ubi eſt charitas, ibi multa & magna operatur) idcircò veriſſimum charitatis ſignum eſt exhibitio operum, & viciſſim veriſſimè dicendum, abeſſe charitatem, ubi defectus operum eſt,

Q. Quâ de cauſâ vocatur Chriſtus omnis boni, imprimis charitatis Magiſter? R. Eſt & vocatur Magiſter charitatis potiſſimùm eâ de Cauſâ, quia cum charitate, in charitate & ex charitate mercedem dat homini. Triplex eſt hominis meritum, unum operum externorum, alterum internæ contemplationis, tertium interni deſiderii. Opus autem meritorium ſpectat internam charitatem tanquàm effectus cauſam efficientem, præterquam opus quodlibet externum nihil habet meriti, utpotè quod finitum caducum ex ſe æternâ mercede planè indignum eſt. Qui Deum dignè amat, ſequeſtrat ea quæ Deus non ſunt: In charitate ergò divina bonitas mercedem ſuggerit operibus. Ex charitate quoq; confert mercedem, quia totum ſeipſum donat ani-
Gen: 17. mæ, prout dixit ad Abraham: Ego ſum merces tua magna valdè. Eſt deniq; merces Domini cum charitate, quatenùs in hoc ipſo ſita eſt merces divina, ut homo ſine medio intueatur Deum, fruatur & potiatur eo.

Q. Cùm autem ſuperius dictum ſit, Chriſtum ideò eſſe contemplandum, quia eſt Magiſter veritatis, dic qualiter ſe habet

iſtæc

iſtæc contemplatio? R. Contemplatio Dei fit trifariam, nimirùm mediante lumine naturæ, gratiæ & gloriæ? Ad primum, dicit Paulus: inviſibilem Dei bonitatem percipi ex rebus viſibilibus ſivè Creaturis. Quantum ergò ad contemplationem Dei in Creaturis, fide conſtat, Creaturas eſſe creatas ex nihilo, id quod certiſſimo documento eſt, Deum eſſe omnipotentem: patet etiam ſenſibus, Creaturas omnes ſaberrimè factas ſummo ordine locatas, compoſitas, & velut perpetuæ legi naturæ ſubditas, pulcherrimâ quoq; harmoniâ ſibi invicem conſymbolas, quod certo documento eſt, non niſi ſummâ ſapientiâ cuncta hæc in admirabilem iſtum ordinem redacta eſſe, quæ ſapientia Filio Dei adſcribitur. Teſtatur deniq; uſus & experientia, Creaturas cunctas pollere Virtute & bonitate ſingulari, undè non ſatis laudata utilitas humano generi comparata eſt, quod ipſum & ſancti ſpiritûs Clementiam indicat. Sic habes in ipſis Creaturis cauſam & modum contemplationis Dei.

Q Contemplatio Dei in lumine gratiæ qualis? R. Propheta dicit: Domine, in lumine tuo videbimus lumen. Deus autem Pſal: 35. hoc lumen eſt primordiale & verum, cui non inſunt tenebræ. Gratia eſt, cùm lumen divinum illuminat hominem, lumen autem gratiæ, per quod cognoſcit homo & contemplatur lumen ipſum in ipſo eodem lumine.

Q. Contemplatio Dei in lumine gloriæ quæ? R. Eſt, cùm in futuro cognoſcemus Deum ſine ullo medio prout eſt clariſſimè: nam ſicuti Magiſter eſt Veritatis; ità etiam Dominus omnem Veritatem ad plenum cognoſcendam tradit.

Q. Deniq; cùm dictum ſit, Chriſtum eſſe Magiſtrum omnis perfectionis, eoq; imitandum, quæritur, ſecundum quid nobis incumbat imitari Chriſtum; nam conſtat, non juxtà perfectionem, quia vel nudum perfectionis etymon hoc ſeculo exoſum eſt, ac toties deriſione probrovè prophanatum? R. Utut deriſum à prophanis ſit perfectionis etymon, eſt tamen divina voluntas, ut Chriſtum ſequamur ſecundùm illam ipſam perfectionem, de quâ ſcriptum eſt: perfecti eſtote, ſicut & Pater veſter perfectus

ctus est: perfectionis hujus regulam Salvator suo exemplo emensus est, ut juxtà eam, non juxtà aliam sequamur eum. Si quæris, cur ad perfectionem teneatur aspirare Christianus? nôris oportet, quia in solo Deo perfecta reperitur Unio, unitas, adunatio, & Universalitas, in quâ beatitudo hominis sita est, idcircò ait Christus, non posse esse Discipulum ejus, nisi qui deserit Patrem, matrem, fratrem, sororem, hoc est cunctas Creaturas.

Q. Si omnia hæc linquenda sunt, annon indè sequitur, obstantia esse & valdè noxia homini, atq; saluti ejus? R. Obstant omninò cuncta, quæ amat homo præter Deum impediendo, quo tardè pertingat ad Deum, eoq; remorantur salutem istius, qui per ambages sic divagatur, hâc ratione vocantur inimici etiam qui sunt lectissimi, nimirum eo sensu, qvod saluti officiunt amicorum, & scriptum est: inimici hominis domestici ejus.

Cap. IV.
De Luce, divinâ, verâ, & falsâ.

Q. Cùm ad divinæ Christi vitæ contemplationem requiratur Lucis veræ & falsæ Cognitio, cujus in superioribus fecisti mentionem, dic quæso, quid Author noster de eâ doceat, hoc enim censeo esse scitu necessarium, quia cohæret doctrinæ de Christi Vitâ? R. Rectè censes scitu necessarium esse, quatenùs cohæret sic Vitæ Christi Lux, ut hæc illam repræsentet. Notato ergò, quæ tradit Author de Luce verâ & falsâ: Utramq; ait, esse considerandam, tùm quoad esse suum, tùm quoad interesse. Qvoad esse sciendum est, Lucem veram esse aut Deum ipsum, aut divinam: falsam itidem esse aut naturam ipsam aut de naturâ. Qualiscunq; Lux, quæ neq; Deus est neq; divina, Lux falsa est, quia hactenùs Deo contrariâ. Ideò autem lux naturalis falsa dicitur, quia decipi potest,

potest, vera quoq; vera vocatur, quia decipi non potest. Deo, qua bonum perfectum est, convenit non posse decipi, nec velle decipere, id autem perfectionis quod Deo est, competit etiam luci ejus, ideoq; lux vera nec potest decipere nec vult aliquem decipi. Natura verò deceptione carere nequit, quia quà imperfecta seipsam decipit ac per consequens interest ejus decipere secum alios, undè etiam lux ejus falsa decipit omnes & omnia, quæcunq; decipi unquàm possunt. Fit autem deceptio per hoc, quod natura propter se, propterq; sui conservationem amat & quærit plurima, sivè bona sint sivè mala, bona non quà bona sunt simpliciter, sed quod sibi videas proficua. Est ergò naturæ ejusq; lucis proprietas quærere sibi possessionem per res naturales, & hactenus plura eligit, congerit, eaq; bona judicat, non quà bona, sed quà sunt ejus propria : & ista proprietas est prima fraus, undè reliquæ tanquàm ex ovis pulli progenerantur, Lux ergò ejus falsa est. Contrario autem modo Deus nil vult, nil quærit in homine divino, nisi solum bonum, quà bonum, quatenùs Deus & lux ejus nil habet à se diversi aut alieni, nec indè resultantem proprietatem, propterea à nihilo potest decipi, nec vult decipere, cùm non habeat causam finalem propter quid. In falso naturæ lumine nascitur falsa opinio, siquidem seipsum putat esse lumen verum quod non est, & ob falsum præconceptum attribuit sibi arroganter id, quod Deo competit, cùm autem id censet esse optimum, quod sibi tale esse videtur, hinc omnia quæ libertatis sunt ac independentiæ, dicit esse divina, adeoq; sua: sed ab hoc lumine decipiuntur cuncta quæ possunt decipi; Hoc lumen arbitrarium tantam sibi perfectionem tribuit, ac si jam ipsam naturam transcendisset, eoq; possideat, qvæ vera lux dare potest : hactenùs opinatur, se summè liberam esse, non item subjectam ordini, potestati, legi, modo, tantominus ad obseqvium cujusdam obligari. Quod autem taliter internæ passionis expers est, hinc passionem secretam despicit, gaudium & voluptatem quærit, & vitâ Christi postpositâ nititur id per verbum Dei confirmare : quicquid elegerit, atq; quæsiverit,

idei bonum optimum eſt, ipſum autem verum bonum neſcit, ac deridet, quare? quia Natura, quà natura non valet idem aſſequi. A quodam vate prædictum erat, futuros ultimis temporibus, qui dicerent, crimina quàm gravia ſint, nihil tangere conſcientiam hâc ratione, quod Chriſtiana libertas præfecta ſit conſcientiæ: nec vatem fefellit præſagium, id ſiquidem complet vulgata libertatis Cantilena, quam Criminum Catalogo taliter innoxio quidam præfigunt. Sic falſum hoc lumen ſe fallit duplici modo, uno quidem, quod omnia fugit, quæcunq; naturæ adverſa videt, altero quod arbitratur, opinionem ſuam eſſe tàm veram, ut nulli cedat informationi: falſiſſimum ergò eſt ideò, quia neqvit converti. Notandum etiam, qvod aliqui id lumen appellârunt Anti-Chriſtum, quatenùs Chriſto adverſum ſivè contrarium invenitur exindè, quod, quæ ad Chriſtum, ad vitam ejus & bonum optimum ſpectant, rejicit. Proindè, quicunq; cum & in hâc luce ambulant, decipiuntur ab ejus ſplendore: ſplendor autem, ut ſuprà dictum, in hoc conſiſtit, quod propria voluntas, commodum ac bonum naturale relicto bono æterno appareat id optimum eſſe, quod eſt quærendum. Sic etiam affecti ſunt hujus lucis filii, proin quàm optimè lux convenit cum ſuis filiis, atq; per conſequens lumen cum illuminatis decipitur. Hoc lumen eſt ſemen falſæ libertatis, cujus fructus eſt vita diſſoluta, ſine ordine, lege & ſubjectione. Qvantum autem ad eos, quos verum lumen illuxit, hi neqveunt decipi, quin inter eos reperitur vita Chriſti Deo chariſſima: hoc namq; verum lumen eſt ſemen Dei, cujus fructus eſt bonum optimum; verùm tametſi vita Chriſti non ſit in iis perfecta, eſt tamen delineata juxtà exemplar ejus, proindè amatur unà cum lege, cum ordinibus, virtutibus, & quæ adhærent illis, externis ritibus.

Q. Cùm nunc cognoſcam quid ſit Lux vera & falſa, dignare, quæſo, explicare, quid Lux divina ſit, ſivè lumen Dei eſſentiale? R. Præter hæc quæ dicta ſunt, eſt inſuper lux divina obſcuritas ineffabilis, quæ ideò vocatur deſertum tenebroſum & inacceſſum, quia nulla ibidem via, nullavè invenitur ſemita, aut veſti-

vestigium, adhæc quod nullum in se modum habet, hactenùs nullâ re vel verbo explicari, nullâ similitudine depingi potest. Incomprehensibile hoc lumen non potest capi ab ullâ Creaturâ mortali, non ergò à ratione sivè intellectu naturali, cùm sensibus non pateat aditus, hinc in-accessum vocatur atq; abstrusum. Quodsi ex merâ gratiâ spiritus eô raptus est, dicimus eum tunc duci ac perduci in simplicissimam Unitatem, id etiam quod itineranti tunc revelatur, quà rationem superat, potentias ac potestates interim quiescentes latet.

Q. Ergonè subitanea mentis in lucem hanc divinam immersio tàm fructuosa est? R. Imò tantò melior ac fructuosior, quantò profundior, quoniam tunc fit confessio imperscrutabilis Essentiæ divinæ, nimirùm per quendam animi sensum & motum voluntarium, qui verbis aliter describi nequit, nisi quod sit præcipitatio interni principii in tenebras oblivionis sivè annihilationis omnium rerum tùm mundi, tùm sui ipsius, imò & ipsius Dei. Ista verò obscuritas hominis, quæ subsistente eo obvenit in interiori Spiritûs, est tantò veracior, nobilior sivè utilior, quantò liberior ea est sivè à Causis suis remotior. Hinc intelligimus, qualiter lux gignatur è tenebris, ista insuper mentis Eclipsis tantò verius revelat lumen verum & clarum, quantò est obscurior eoq; excellentior. Deum enim qvis vidit unquam? si lux illuxit mundo in temporis ævo, lux ea non luxit sibi antecedenter, quam potiùs in luminis mundi respectu tenebras fuisse, atq; tunc demùm sibi luxisse percipimus, cùm ipsa semetipsam manifestavit. Id Ethnicis fuit aliqvomodo revelatum, ceu monumenta Chaldæorum versibus græcis apud synesium indicant hoc tenore: Ne tu despicias nigrum sine lumine mundum: cuiq; profunda etiam substernitur atra tenebra. Simile quiddam refert Mysterium Orphicum de nocte, cœlo & æthere Trinitati applicatum, velut de Patre dixit orpheus: Nox generatio Universorum. Et: Nox quæ lumen emittis. In psalmis verò idem significatum invenimus, ut cùm scriptum est: Qui posuit tenebras latibulum suum, in circuitu suo tabernaculum ejus. Item: Qvia

tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies lucebit; ſicut tenebræ ejus, ità & lux ejus. Et Apoſtolus ait: Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in Cordibus noſtris ad illuminationem notitiæ Claritatis Dei in perſonâ Jeſu Chriſti.

Q. Dignare, quæſo, paulisper immorari præfatæ mentis obſcuritati, idq; qvod Author noſter de eâ habet, ediſſere? R. Ea mentis obſcuratio eſt acceſsio, qvà nulla propior ad ipſam divinam Eſſentiam pro ratione Imaginis adumbrata, ad quam ſi homo jam pervenerit, ſivè rarò ſivè freqventer hæc eclypſatio eum obruat, non eſt ut eam aut faſtidiat, aut deſideratò ambiat, eam qvippè revelationem eſſe cognoſcit, qui ambit, ignorat verò, qui faſtidit; verùm tamen & hîc appropriatio & bene placitum removeri debet; utatur eâ homo, ſed ſine commodo deſiderii, ſic namq; id quod electivè eligendum erat, non eligit, nec taliter ſuum efficit, ſed potius id, quod Dei eſt, Deo linquit. Qvicunq; guſtare cupit divinæ ſaporem ſuavitatis, aut qvi aſpicere cupit lucem Dei, is nondum veraciter Deo relictus eſt in merâ tranquillitate, verùm prehenſo aratro circumſpicit, aut appetenter guſtat, dum donum divini influxûs ſentit, qui tamen ità in Deum cadere tenebatur, ne ullo ſtudio attendat divinæ operationi. Enimverò per attentionem poteſt homo decipi, cùm fieri neqveat, quin ejus qvod deſiderat, Ideam imaginetur, eoq; Idea rem ipſam mentiatur (ut cùm quis Ideam oblivionis imaginatur, Idea non eſt oblivio) per ſimiles phantaſiæ Ideas fuerunt multi decepti, adeò ut falſam pro verâ luce amplexi ſint; qvantò faciliùs decipientur, qvi hujusmodi obſcuri receſsûs Ideam concipiunt, cùm ipſa noſtra natura plus tenebroſa ſit quàm luminoſa? Doctrina ergò lucida hæc eſt, ut homo ſub cunctis influxibus, qvos aliquandò ſentit, ſe gerat tanqvam ſomno obrutus, id eſt, ſine curâ, ſine querelâ, ſine quæſtione, ſivè id ſit ſub actu ſpiritûs, ſivè in naturæ negotio: nevè unquàm attentione naturali eos obſervet aut recogitet, opus eſt, ut tunc in Deum tranqvillè atq; humiliter ſe mergat abnegando ſeipſum, imò & abnegationi per extremam paupertatem ſpiritûs, paupertati

verò

verò per annihilationem sui cedendo, sic namq; mergendo submergitur, & submergendo immergitur. Ista immersio vocatur alio nomine incrementum, quia extrà dubium est eum, qvi totus sibi emoritur, in Deo crescendo magis magisq; augeri. Qvidam accrementum vocarit eam, qvasi Deus tali homini tunc accrescat, cùm penitùs abnegando seipsum cadit in obscurissimas tenebras naturæ divinæ symbolicas, hinc ajunt, qvò Deus tali homini in imperscrutabili confessione fit obscurior, eoq; incomprehensibilior, hoc magis spiritus se ipsum abjiciendo annihilat, id quod juxtà placitum Dei est, qui eo fine imagines & simulachra prohibuit, ne vana earum apprehensio periculosè tentet humanum animum; deniq; quò longius homo seipsum abjicit, eò profundius labendo in Deum penetrat, quæ transitio vocatur accretio, adhæsio, adunatio Dei hominisq;. Hujus cognitio mensura est criminum, quà quilibet homo noscit emensurare magnitudinem Criminum: cæterùm quàm salutaris est ista in Deum transitio, tàm perniciosa est retrocessio atq; ad humanam possessionem reversio, hactenùs irremediabilis est lapsus Luciferi, qvia exuperavit ejus malitia quamcunq; aliam, cùm inperscrutabilem quandam societatem cum Deo habuerit, qualem nullus homo habuit unquàm: qvò propior ergò homo est Deo, eò gravior lapsus ejus, & quoad damnum Luciferi similior lapsui. Exin evadit perspicuum, cunctas actiones nostras esse super Petram Deum configendas cæmento firmissimo, id est, fundamento suo simili in paupertate Spiritûs: nam sic & non aliter paratur confidentia ergà divinam Clementiam fore, ut hominem conservet, neq; in lapsum ejus consentiat. Verùm de præfato influxu divino tenendum id est, nimirùm, eum esse præparationem, ac exercitationem hominis, cujus finis est incrementum, atq; constantia amoris, humilitatis, abnegationis, aliarumq; virtutum, undè cognoscitur eum non esse opus naturæ, nec animi motum proprium, sed à superiori impellente causatum. Et huc apprimè applicandum venit dictum, qvod à nobis tanqvàm à nobis nil tale possimus. Sed

Deus est, qvi è singulari Clementiâ in hominibus bonæ voluntatis suscitat id, qvod præcipuè in suis amat amicis, nimirùm Primo Confessionem actualem suæ exignitatis, Secundo præsentaneam sui subjectionem ad pedes Domini in abnegatione sui ipsius, Tertio Renovationem, sivè Reiterationem submersionis in intimo ac vero fundo Spiritûs. Hæc hominis præparatio est singulare Dei donum reqvisitæ perfectionis causâ collatum, qvod cunctis aliis acceptioribus donis est præferendum, qvatenùs longè utilius aliis, maximè, si homo internas tentationes utut impurissimas, qvæ fortè eundem impetunt, vicerit. Nam & iste conflictus est passio, qvâ unà cum aliis homo præparatur, bonivè hujus præclari capax redditur, & ne qvem offendat, cùm observavit, hoc bonum esse sibi incognitum, informe, incomprehensibile, & momentaneum, sciat oportet, id magis esse verum, securum, simplex, utile, quò magis tale, quia donum intimum, ac supremum. In foro naturæ suo fertur homo desiderio ad ea, qvæ sibi invenit utilia, necessaria, aut desiderabilia; hîc verò contrarium reperitur, cùm tamen hoc bonum mereat esse desiderabilissimum, id tamen sic est, qvia incomprehensibile est, Ideâ carens, per Ideas autem afficitur desiderium. Divinis ab hominibus est observatum, super naturale cœlestis desiderii lumen non nunqvàm obortum esse in animo eorum, à qvo tamen desiderium non fuit affectum, tùm qvia fuit momentaneum, tùm quod informe fuit ac penitùs incomprehensibile: Tantum tamen effecit, ut è clarâ Ictûs luminosi Veritate cognoverit, non nisì Deum fuisse. Ideò autem hic splendor vocatur Ictus, qvia perquàm brevis est, & tantùm momentaneus, sic qvia informis est, non ejus, qvod est, Ideam post se relinquit: diceret ergò quispiam, si transit absq; evidenti effectu, falsum est, cùm dicatur Deum nil facere frustrà; verùm ad id respondetur, non ilicò falsum esse Lumen dicendum, tametsi hominem non statim traxerit, aut sensibilem ejus renovationem effecerit, talis namq; effectus ideò subsequi neqvit, qvoniam ob incomparabilem subtilitatem ejus nec sensus nec intelle-

intellectum afficere potest, nec hactenos Ideam ejus inibi relinquere. Suppositum paulò antè est, desiderium non affici nisi per Ideam, sicut solet dici: ignoti nulla cupido: ignotum autem censetur etiam id, qvod per Ideam non est cognitum, qvamvis aliquando propositum fuerit.

Hoc insuper dicendum est de Luminis divini splendore, informem esse eum ideò, quia est Deus ipse; qvod si qvà homo caperet ejus Ideam, aut per Intellectum comprehenderet eum, taliter Deus esset comprehensibilis, aut ipsa Idea hæc non esset Deus ipse. Ast datâ Ideâ comprehensibilis cujusdam Lucis in fundo animæ, ea nec Angelus nec Dæmon esse potest, qvid ergò est, si Deus ipse non est, nonnè animæ Creatura? Ergonè aliquid divini? De lumine autem præfato informi, qvod etiam solent Lucem, splendorem, affulsionem appellare, id est dicendum, quod propter incomprehensibilitatem ejus nostramq; cæcitatem majori ratione potest appellari obtenebratio, & propter subitaneam ejus disparentiam non potest cognosci, nec interstingui, an lumen, an tenebræ fuerit. Hîc aliqvis objiceret, ineptè dici lumen informe, cùm splendor forma luminis sit, perquam cognoscitur præter lumen nil aliud fuisse. Verum cùm lux præfata sit ipse Deus, Deus autem formâ luminosâ, qua comprehendi possit, careat, hinc ea lux essentialis meritò dicitur informis. Porrò tametsi Deus sit lux, ea tamen non habet analogiam cum luce creatâ, ità qualitercunq; quis posset sibi imaginari lucem aut intelligere separatissimam Lucem, talis Lux Deus non est. Quæ Deus est Lux, tibi non Lux est, sed tenebræ, ast tenebræ formâ carent. Quotiescunq; hæc tenebrosa Lux (tenebræ lucidæ) penetrando tangit animam aut transeundo, toties seipsam derelinqvit anima fugiendo extrorsum: in hâc fugâ consistit summa devotio, Dei receptio, & amplexus.

Q. Annon à lumine divino illuminantur quævis creata lumina, utpotè Sol, Luna, Stellæ, & reliqua terræ lumina formæ scilicet & animæ? R. Id sine dubio sic est, quin etiam Lumen sensiti-

ſitivum, ſenſus ac potentiæ hominis, imò & intellectuale mentis Lumen illuminatur à lumine ſuperno, omnia ſcilicet ea lumina, quorum ope cunctæ Creaturæ ad ſuum remeant principium. Qvodſi non omnia dixeris ad unum properare finem, certum eſt, quod lumina ad alium finem tendentia in ſe non lumen ſunt ſed tenebræ, quales potiſſimum ſunt eorum lumina, qui obliti Verborum Chriſti non ſibi abrenunciant ſuo lumine reddito atq; cum Chriſti vero lumine commutato.

Hoc namq; vult Chriſtus, ut receptis ab hominibus tenebris reddat iis lumen ſuum atq; cum eo Cœleſtem Vitam, lætitiam, & beatitudinem. Hæc & alia cuncta in Unum collecta donare ac attribuere cupit Chriſtus ingratis hominibus, ut hiscè donis ditati ac permutati ſint Unum cum Chriſto & habeant per gratiam id ipſum, quod Chriſtus habet de naturâ. Mirari tamen ſatis neqvimus, qvod nobiliſſima ea Creatura, quæ mundi miraculum eſt, propter quam creavit Deus cœlum & terram, & quæ in eâ ſunt, adſerviendum neceſſitati ejusdem, ſicuti & homo Deo ſervire obſtrictus eſt, adhæreat tàm tenaciter ſubjectis ſibi Creaturis, non tendendo ad finem & originem ſuam, quæ verum Dei lumen eſt, cùm tamen ignis, lapis, & cuncta elementa propriâ ſuâ naturâ ferantur ad ſuam Originem.

Q. Quid, qvæſo, hîc cenſes obſervandum? R. Duo ſunt hoc loco obſervanda, unum eſt impedimentum obſtans, qvo minus homo ad finem ſuum & tendat & perveniat; alterum eſt medium, Via ſeu modus, quo qvis ad eum perducatur.

Q. Cùm fieri neqveat, quin magni momenti ſit obſtaculum, cujus culpâ homo ſegregatur à bono ineffabili, quæritur, qvod genus hominum impeditur tanto ſui damno? R. Et ſecularium & ſpiritualium hominum genus diſtinetur eo impedimento vel per totam Vitam vel per multos dies & annos. Seculares planè contrarii ſunt Lumini divino, quà tenebris immerſi perpetuis, hi ſcilicet, qvi tàm Creaturis, quàm ſenſibus externis ſuum affigunt deſiderium, eoq; actu ac modo qvi perpetuatus eſt, atterunt cunctas eorum potentias, Virtutes ac ſenſus, ut taceam

omne

omne tempus, quod intereà velociter fugiendo unà cum iis perditur. Spirituales verò qui densam, ceu putant, externarum tenebrarum Caliginem discusserunt, hactenùs magno luminis nomine ac specie inclaruerunt, inveniuntur in fundo suo manifesti pharisæi, quorum arbitrium & philavtia sunt facta verum & adæqvatum Objectum rationis eorum: ô quàm difficulter dignoscuntur tales, qvi Amicorum Dei speciem forinsecùs aptissimè mentiuntur! Ecqvis enim inter nosceret hos, quos ab exercitio orationis, jejunii, vigiliarum, strictiorivè aliorum operum erogatorum observantiâ cernit sanctis apparenter similes, nisi sit ipse Dei Amicus spiritu sancto rectus.

Q. An ergò in nullâ re extrinsecùs differunt? R. In Unicâ re differunt etiam externè à veris Dei amicis, eâ scilicet, quod alios homines, imò & ipsos Amicos Dei judicant, & invidiosè tractant, seipsos verò non judicant, eò quod falsum eorum fundum quærit seipsum in omnibus, sivè Deo sivè Creaturis. Veri autem Amici Dei nonnisi seipsos solùm judicant.

Q. Cùm iste pharisaismus adeò profundas in humanâ naturâ jecerit radices, ut totus homo sit eo imbutus, quæritur, an possit exstirpari necnè? R. Quàm difficulter, nec nisi per solam Dei potentiam, hoc autem tunc demùm fit, cùm Deus hominem sibi subjicit, subjectum domat, domatum regit, totumq; possidet; ast hoc rarissimè fieri quis nescit?

Q. Dic, cujus culpâ hoc fit? R. Non Dei, sed nostrâ culpâ id fieri certissimum est, quia qvod locum in nobis cedimus peccatis, hâc ratione Deo carere debemus. Peccata supponunt otium, otium autem non debet reperiri in homine prudente, siquidem tenetur is ubiq; ac semper per Creaturas, quas vel tractat vel usurpat, in Deum tendere, & nusquàm nisi ibidem quærere reqviem, solatium, pacem, & refocillationem. Annon autem maxima pars hominum dedita est vitæ dissolutæ, undè insigne hoc damnum emergit.

Q. Cùm sic à tantâ hominum multitudine Deo ter optimo infertur injuria & contumelia, à cujus vel solâ mentione succuti-

tur cujusvis probi hominis animus, qværitur, quid faciendum est homini, qui hanc malitiam adeò damnosam de vitare cupit? R. Oportet hominem falsum suum fundum diligenter ac seriò observare, non per horas vel dies aliquot, sed totâ suâ vitâ, qvoniam id nunquàm totaliter superatur qualicunq; adhibitâ diligentiâ. Summa hæc difficultas est sola impedimentum, quod homini pervicaciter obstat, quominus veniat ad suum æterni luminis principium: quod cùm ità sit, desperant multi aut tædio capti revertuntur ad lumen naturale, quod tàm desiderabile est, ut impar ei sit omnis mundana felicitas.

Q. Annon gentiles etiam versati sunt in naturali hoc sivè rationis lumine? R. Eos omninò magno desiderio lumen naturale coluisse constat, cumq; is erat eorum scopus unicus atq; quæsita voluptas, hinc factum est, ut tàm constanter in eo manendo non ultrà processerint.

Qværitur nunc, quânam viâ rectissimè qvis perveniat in lumen verum, originem rerum? R. Brevissima via est vera sui ipsius abnegatio, pura & simplex ergà Deum Charitas, immediatum solius divinæ Gloriæ desiderium, libera omnium occurrentium adversitatum è manu Dei susceptio & oblatio, sicut in hominis principio nobilisſimo nil aliud sit qvàm fluxus atq; refluxus à Deo in Deum. Hîc habes succinctam viam perfectionis Christianæ, quæ incipit in vero animæ fundo (mente), rectaq; & immediatè in eo terminatur, ad quem perducit, Deo; hîc separantur veri Dei Amici à falsis, hicq; dignoscitur falsum fundum à vero. Nam quisquis hoc fundum in se gerit accuratè, potisſimùm est verus Dei Amicus: ast si quis usq; ad mortem amorem suum reflectit ad seipsum & Creaturas, non Lumen Dei videbit in æternum.

Q. Cùm fieri nequeat, quin falsum seu naturale Lumen occulto & noxio modo misceatur divino Lumini, sicut sœpenumerò non advertente homine mera natura sit, ubi respectus Dei falsò supponitur, quæritur, qvî possit interstingui veri luminis à falsi præsentiâ? R. Hæc interstinctio redditur attento

animo

animo exin perspicua, quod veri Dei Amici statim ac iis afflictio gravis obvenit, hâc ipsâ eorum passione confugiunt intrò ad Dominum nostrum, eamq; sic à manu ejus suscipiunt, uti patiuntur eam propter ipsum, hoc est, sine ullo respectu medii per quod infertur. Hâc ratione Dominus tàm reddit iisdem familiarem suam amicitiam, ut cunctas afflictiones sine notabili molestia, & potius læto sustineant animo. E contrario autem si Pharisæis seu Inimicis Dei afflictio obvenit, nesciunt quò currant pro obtinendo consilio & solatio, quovè se vertant, eorum quoq; versio foràs tantùm spectat, quo sibi conqvirant remedium, cùm aliàs festinent ad desperationem.

Q. Annon est metuendum, ne tales tandem pereant? R. Verè magna Cura est adhibenda, ne pereant: Nam cùm in puritate cordis non amant Deum dum vivunt, hinc in agone non eum inveniunt in fundo (mente) eorum. Ruit autem omnis vitæ suppellex, quæ super Petram Christum non est aggesta & firmata.

Q. Annon est longè difficilior medela eorum, quàm secularium ac plebejorum? R. Id ità esse dubitandum non est, cùm homines plebeji in Dei timore humiliter agnoscunt peccata, cujus plura occurrunt exempla in Christi doctrinâ, quoniam populus sequebatur Christum, quem superiores tradebant in mortem; ast pharisaica indoles non recipit sanam doctrinam, sed potius frendendo perstrepit sæviter adversus eos, à qvibus reprehenditur, hactenùs peccata sua non agnoscunt, sed moriuntur in iisdem. Qvem ergò lateat, quàm sit difficilis medela, imò nulla, si plaga est insanabilis, hinc & cognoscimus, cur simplices faciliùs salventur inflatis, eò scilicet, quod sua confitentur peccata, timentq; Dominum, quod illi non faciunt.

Q. Cùm hoc impedimentum sit ingens, quæritur, annon à Deo munimentum datum sit, sivè auxilium, qvo removeatur illud? R. Quod sic: nam Deus Dominus noster clementissimus ex nimio ergà nos affectu misit filium suum in mundum eo fine, ut ejus sanctissima vita, virtus perfecta, Imago & doctrina, varia in

superpaſſio, miſeria, probrum, & paupertas (qvæ cuncta propter nos, & propter noſtram ſalutem paſſus eſt) nos revocet è tenebris noſtris, & nos veraciter introeamus in domum Domini Dei noſtri. Hæc omnia ſunt noſtra fortalitia, fulcra, & arma, qvibus vincamus nos ipſos, atq; promoveamur in ipſam noſtram Originem, Deum.

Q. Ecqvis autem capax eſt divini Luminis? R. Nonniſi is qui pauper eſt, non qvidem bonis, ſed ſpiritu; ſunt enim multi pauperes, qvi carent facultatibus ſeu bonis externis, qui etiam conſeneſcunt in eâ paupertate, attamen nec ſemihorulâ unqvàm fuerunt pauperes ſpiritu. Neq; enim ſequitur, quod ratio & ſenſus capiunt, fundatum eſſe in ſpiritu, cùm res ratione comprehenſa poſſit eſſe à ſpiritu prorſus aliena. Neceſſum ergò eſt, ut homines deſiderioſi, omni ſtudio, cunctisq; tàm ſpiritûs qvàm naturæ viribus eò allaborent, quo luminis divini influxum modo quodam ſenſibili percipiant, taliterq; promoveantur ad ſuum principium. Utq; res proſperè ſuccedat, rogandi ſunt Amici Dei, qvi unà coadjuvent, rogantemq; ſecum unà pertrahant ad Deum omnium Creatorem.

Q. Si Lumen divinum omnes illuminat, imò & intimum hominis fundum (mentem) radiat, dic, quæſo, cur tot videantur homines quaſi nihil illuminati? R. Divinum lumen etiam ſi ſplendore ſuo tangat intimum hominis, homo qvoq; expectare ac dignè id obſervare debeat, nihilominus cùm ſe avertat penitus inverſo ordine hinc indè vagando, hæc ſenſualis extra vagantia facit, ut lumen divinum non recipiat. Hâc ratione adverſantur huic lumini, qui cor mundanum habent, de quibus dicit Chriſtus, filii mundi oderunt Lucem & dilexerunt tenebras: Johannes verò æqviparat eos generi Viperino. Et ità fieri nequit, quin tales ſint etiam contrarii his, qvi lumen divinum diligunt, qvi & in magno verſantur periculo, eò qvod qvaſi tantùm à limine hærent in lumine fidei. Probatur hinc facilè, quàm ſit infirma natura, quamvè nil boni ab ipſâ profluat, idcircò largitus eſt ei Deus potentiam auxiliatricem, nimirùm lumen gratiæ.

tiæ. Hoc lumen obtinet natura ad inſtar doni deſuper accepti, quod ſecum fert omnia, quorum natura hactenùs indiget. Lumen ſupremum increatum eſt Lumen gloriæ, divinum, Deus ſcilicet ipſe. Enimverò cùm Deum veraciter cognoſcere debeamus, per Deum id fieri debet, cum Deo & in Deo, ſicut Propheta dicit: In lumine tuo videbimus lumen, hoc eſt, ſuper ſubſtantiale. Ps: 35. Hoc lumen divinum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, bonos ſcilicet & malos, ſimiliter atq; Sol ſuum ſpargit lumen ſuper omnes Creaturas, quarum qvæ cæcæ ſunt, proprio earum damno non vident; ità ſi homo in obſcuro conclavi detentus tantum luminis impetrat, cujus ope feneſtram reperiat, futurum eſt, ut ſtatim ac ſuum Caput per eam exporrigit, in eo lumine ſit, atq; teſtetur de eo.

Q. Qualiter oportet hominem ſe gerere, ut lumen hoc veraciter recipiat? R. Oportet eum abſtrahere ſe ab omni temporali & caducâ re. Nam hoccè lumen funditur tàm in inferiores qvàm ſuperiores potentias, id eſt ſenſitivæ & Mentis.

Q. Quid vocas hoc loco potentias inferiores? R. Animæ ſenſitivæ facultates, videlicet concupiſcibilem & iraſcibilem.

Q. Quomodò debet facultas concupiſcibilis eſſe præparata ad receptionem divini luminis? R. Debet ſe ab initio ſeparare ab omni voluptate naturæ, & ab omni eo, qvod humanam cupiditatem & ſufficientiam poteſt explere, ſivè conſiſtat ea in hominibus, ſivè in veſtibus, ſivè in qvacunq; aliâ re oblectante, exceptis iis rebus, quæ ad neceſſitatem quotidianam reqviruntur, quæ Deus etiam unicuiq; clementer largitur. Et hoc eſt deſertum, in quo vox Domini perſonat, ideoq; vocatur vita abſtracta.

Q. Quid iraſcibilis facultas indè acqvirit? R. In eâ diſcit homo conſtantiam & fortitudinem, ſic ut ſi dignè recipiat Lumen, reddatur impermotus atq; reſiſtens qvaſi mons ferreus, contrarium exhibet, qui ſicut arundo à vento agitata facilè movetur quærendo & amando comoditatem corporis. Utcunq; enim multi homines mundanas res contemnunt propter Deum, nihilominus ſe patiuntur ſubitò moveri hinc indè & exarcerbari à

qvovis vento malignorum verborum, quæ tamen non possunt nocere animæ. Ad qvid enim noceret verbum? Non procul est spiritus malignus, qui insusurratum accedit, & exaggeratum talia, qvibus augeat iram & excitet vindictæ cupidinem: per hoc tentatur homo mobilior arundine. Ast hæc & similia debent abesse, si res est integra, secùs corrupta sunt omnia.

Q. Quid si divinum Lumen illuminat superiores potentias seu potestates mentis, Intellectum scilicet, voluntatem & amorem? R. Intellectus intuetur longè dissita. Sit homo illuminatus, tametsi nondum persistat in hoc fundo, nihilosecius, qvam primùm audit aliqvid de rebus occultis divinis, statim assensum præbet dicendo in se ipso: Verum hoc est. Plus autem qvam hoc intueri in Intellectu, non est hujus fundi, sed longè alterius, nimirùm, quò nequit accedere intellectus. Ibi enim veraciter videtur lumen in lumine, hoc est, in lumine animæ interno intelligitur lumen divinum mediante lumine gratiæ, ab initio qvidem occulto modo. Ad hoc divinum fundum non pertingunt potentiæ animæ propter immensam distantiam; præter id & ingens latitudo, quæ se in fundo divino repræsentat, non habet speciem, formam, nec modum, tempus nec locum: siquidem abyssus est profundissima in seipsâ pendens sine fundo. Quemadmodum fluunt maria, refluuntvè alterno ascensu descensuvè, sicut nunc qvasi non adsit aqva, mox iterum in altum levata appareat, ac si omnia sint submersioni tradenda; ità quoq; in abyssum præcipitatur id omne, quod propius accedit. Hîc Deus habitat propriissimè: Quicunq; huc veraciter contendere posset, inveniret Deum verè, seipsum autem purè in Deo, quoniam Deus nunqvàm se separat indè. Deus esset ibidem præsens, quin & æternitas fieret homini perceptibilis ac degustabilis. Ibi non est præteritum, non futurum, ad hoc divinum fundum neqvit pertendere creatum lumen ullum, neq; eò illucere, ast solùm Dei mansio propria ibidem est. Deindè nequit ulla Creatura hoc fundum scrutari, implere, saturare, aut pacare; sed tantùm solus Deus cum suis divitiis implet eam, propterea scriptum

tum est: abyssus abyssum invocat. Abyssus hæc alluceret etiam potentias sensitivæ, traheretq; tàm mentis quàm sensitivæ potentias junctim ad originem earum, dummodò homo se ipsum unà cum fundo eo seriò observaret auscultando voci in deserto eidem acclamanti. Nam fundum hoc tàm est desertum, ac solitarium, ut nulla cogitatio eò pertingere queat: hinc nullæ cogitationes, quas unquàm rationabiliter de SS. Trinitate habuerunt homines (sicut id à multis factum esse constat) hoc fundum unquàm attigerunt; imò nec unica. Ob istam simplicitatem sivè discriminis carentiam adeò in infinitum distans extenditur, ut locus & tempus perdatur, eoq; nihil percipiatur. Qvicunq; hâc verè statueretur, putaret se ab æterno affuisse, etiamsi ejus duratio esset tantùm momentanea, hoc ei restat, quod id momentum sentiat velut sonum sonantem in æternum. Pf: 42.

Q. Quid hîc dicis longè à captu vulgari alienum? R. Audi, sed aure mentis intelligente. Hoc Lumen dehinc affulget, quod Deus in fundo eo (mente) testatur, antè Creationem fuisse hominem ab æterno in Deo & sicut Deus in Deo: hinc dicit Johannes: Omnia quæ sunt creata, erant in eo vita una. Sic Homo quà est in naturâ creatâ, eatenùs fuit in Deo ab æterno in naturâ increatâ, una scilicet cum Deo essentia. Argumentum hinc tale desumendum: quamdiu homo non asseqvitur eam puritatem, juxtà qvam defluxit è suâ Origine, hoc est, ab increato in Creaturam, nunquàm sic, uti debet, revertetur in Deum. Nam omnis propensio, omnis adhæsio, omne arbitrium, & omne qvod id fundum perturbat, ac deturpat in propriâ possessione, debet penitus exturbari, insuper & id, quod homo unquàm volenter cum voluptate possedit in Spiritu & naturâ velut accidens à cognitione & voluntate receptum, debet totaliter expelli, sic ut homo sit uti à Deo profluxit. Hoc ità persvaso nostræ cognitioni, ecqvis non videat, quàm istiusmodi puritati nunquàm satis fieri possit, nî spiritus transformetur per lumen gratiæ, siquidem per hanc redditur capax majoris illuminationis? Quodsi beatus homo secreto modo sæpè divertit in fundum

suum

ſuum internum, non rarò continget ei momentanea qvædam interni fundi affulſio, ubi qvid Deus eſt longè clarius manifeſtatur, quàm qvid ſol oculis eſt. Quin & nonnulli gentiles Philoſophi ſimplex hoc fundum agnoverunt, cujus adeptionis causâ res qvasvis temporaneas contemtui habuerunt, inter eos claruerunt Proclus & Plato, qui alios id per ſe non valentes indagare inſigni diſtinctione docuerunt, propterea dicit S. Auguſtinus, Platonem ſuo tempore Verbis obſcuris expreſſiſſe initium Evangelii S. Johannis: In principio erat verbum &c. usq; ad ea verba: Erat homo miſſus &c.

Quin & diſcriminatam SS. Trinitatis perſonalitatem adinvenerunt non alio Duce niſi eo, quod amabant, & ſemper obſervabant fundo.

Q. Cùm Pagani agnoverint id, qvod Chriſtiani paſſim ignorant, dic, quæſo, unde venire ſoleat, qvod miſeri, excœcati & neglecti homines (qui volunt Chriſtiani & eſſe & nominari, qvi & à noſtrâ ſanctâ fide, à gratiâ Dei uberrimâ im̃enſum obtinent adminiculum) tàm multos annos ad mortem usq; tranſigunt, nihiloſecius tamen ſeipſos non cognoſcunt, tantominus qvod in iisdem latenter continetur fundum? R. Id nimium propudioſè aliundè non provenit nisi ab immenſâ diverſificatione, qvà ſemper ad externa prorumpens fertur animus, eoq; transformatus ſollicitudine capitur, hoc eſt, qvod homo ſemper nititur per ſenſûs externos operari, ſua fingendo inſtituta, legendo, ſtudendo orando &c. idq; ſuâ ſponte, vel Authoritatis vel Commoditatis propriæ causâ. Seipſum hactenùs poſſidendo detinetur in morâ, ne queat purè ac ſimpliciter in fundum animæ ſuæ divertere. Cùm itaq; hæc imperfectio ſit communiſſima, ſvadetur his, qvi tàm ignari & cæci ſunt, ut ſi qvà perqvàm nobile vas animæ ſuæ neqveunt vino optimo implere, repleant id vili, aut ſi non vino, ſaltem cinere vel lapidibus, ne vanum & vacuum ſi manſerit, Diabolus id poſſideat.

Q. Dicendum adhuc reſtat, qvomodò divinum lumen perfundat poteſtatem deſiderii ſivè amoris, qvò & voluntas unà referri

referri potest? R. Hîc sunt notanda sequentia: sub hâc illuminatione intelligitur charitas vulnerata, qvæ vel sola deberet ducere hominem in fundum præfatum. Quamdiu aliqvis in eâ charitate persistit, debet semper eam excitare & oppugnare, eoq; suam altitudinem sublimare altissimùm; id quidem se habet activè: passivè autem tunc homo se habet, cùm se demisit in charitatem captivam ejus abyssi mancipium ejus factus, nimirùm sui impos, ubi non cogitatus, non virium operatio, non virtutum adest exercitium, qvia charitas agit pro lubitu. Sed si quà tantum libertatis concedatur, ut superveniente cogitatione recidat in vulneratam charitatem, subitò transiliendum est erecto animo, ut inardescat ergà charitatem, desideret, roget, & cogat eam. Si neqvit loqui, desideranter cogitet, aut cum Augustino dicat: Domine præcipis, ut te diligam ex toto corde, totâ animâ, totâ mente & cunctis viribus, ideò da Domine quod præcipis, ut te amem ex omni, omni, omni. Id homines non faciunt, qvi sine exercitio desident, ac si sic omnia benè gesta essent, inprimis non habent hanc charitatem.

Q. Annon & his hoc loco jungitur charitas furens sivè impetuosa? R. Imò & hæc accedit huc, & ejus ardor sentitur, cùm facit tumultum exagitatis cunctis potentiis: hanc pius homo desiderat, quamvis cùm habet, eam non advertat, exiccat autem penè succum & sangvinem. Hîc circumspectione opus est, ne quà natura ab indiscreto externo exercitio destruatur, eoq; cedere cogatur charitati operatum adventanti; sed potius apta & potens maneat obtemperandi ei cum activitate furente.

Cupiunt autem nonnulli se custodire ab eâ violentiâ, ne destruantur, cùm non conveniat eorum statui; nam irruente impetuosâ charitate perit opus hominis. Tunc Deus accedit effatum unum verbum per talem hominem, id quod majorem præstat utilitatem, qvàm infinita omnium hominum verba. De hoc dicit Dionysius sic: Cùm verbum æternum dicitur in fundo animæ (mente) fundum verò tantoperè

præparatum eſt, ut verbum hoc in ſuâ excellentiâ queat capere, non ex parte, ſed integrè, non poteſt fieri qvin unum fiat fundum cum verbo, ſervante tamen fundo naturam ſuam creatam ſub eâ Unione. Id ipſum teſtatur & Chriſtus, cùm dicit: volo Pater, ut hi ſint unum, ſicut & nos ſumus unum. Huc nemo aliter poteſt pervenire, niſi per viam charitatis. De viâ autem eſt hoc notandum, quod ſemitæ ſunt magis directæ, ſubtiles, quæ feſtinantibus diſtantiam reddunt longè breviorem, quàm communis & lata via regia. Idcircò ſi qvis ſeipſum probè obſervando ſemitas directas poſſet invenire adhibitâ omni diligentiâ, (tramites dico, qui ſunt obſcuri, peregrini, ignoti, aſt breves) certum eſt, non fore adverſitatem tàm parvam, presſuram tàm gravem intus vel foris, aut defectus ei accidentes, qvin junctim eum ducant, alliciant aut pellant in hoc fundum: & ideò eſt obſervanda via ſpiritûs ad Deum, & viciſſim via Dei ad nos, quæ eſt occulta & ignota. Quam plurimi hoc iter faciendo aberrant valdè, dum currunt ad externa exercitia & curas, quapropter poſſunt aſſimilari viatoribus inexpertis, qvi volendo contendere verſus orientem, vadunt ad occidentem, ſic namq; tantò plus viam elongant, quantò plus vadunt. Hi tandem aliud edocti revertuntur qvidem ad directam, quà tutius itur viam, ſed nimis ſerò, quatenùs in viâ aviâ conſenuerunt deperditâ ſanitate, tunc dolet caput, mox artûs, non poſſunt charitatem ſeqvi, nec ei ſatisfacere actu impetuoſo. Quapropter cùm homo ſe deprehendit conſtitutum in tali charitatis orgaſmo, non debet reſpicere ad ſenſus, non ad humilitatem vel alia, ſed ſolùm imitando ſatis det charitati taliter operanti: ſolet autem & homo impetum charitatis ſuſtinere in ſtatu rigiditatis, ſeu frigiditatis, in reſignatione, in duritie; tunc totum ſe debet mittere charitati oſtenſâ fidelitate, atq; ſe detinere in miſeriâ, & carentiâ ejus, quod non eſt charitatis: in hoc habendum eſt inceſſabile deſiderium ac fiducia in Deum, corde ad charitatem obverſo. Nam etſi tantum ſentiret, quantum nec ullus homo ſenſit, ſi fides ejus non ſit integra, declinat deſiderium, hinc nihil fit. Et certocertius eſt

est, etsi qvis haberet prælata signa omnia, quæ sunt habenda in tempore, confusa tamen sunt omnia, si absit divinæ charitatis testimonium. Hâc ratione malignus Dæmon libenter permittit homini virtutes cunctas alias, saltem ut ei deficiat veræ charitatis testimonium; qvin & admittit falsam charitatem, ut opinetur homo se veram habere: ast dummodò in fundum internum sese receperit circumspectum, haud difficulter inveniet, qualiter cum charitate sit comparatum. Noscendum hinc est, totum defectum consistere in eo, qvod non in verum fundum divertit; contrà si eò veniret, futurum esse, ut gratiam Dei reperiat, quæ indesinenter hortatur ad animum suprà seipsum levatum habendum. Multi homines quàm plurimùm resistunt divinæ gratiæ suis propriis inventis eam deperdendo sic, ut redditi eâ indigni fortè nunquàm fiant ejus participes, cùm è converso, si influentiæ divinæ gratiæ obseqverentur, se possent promovere ad tantam Unionem divinam, quà, qvod in æternum est usurpandum, in tempore adhuc sentirent, sicut id observatum est in sanctis quibusdam hominibus, qui per sublimem hanc vitam à Deo tracti sunt, & adhuc trahuntur, dummodò iis locus & tempus concedatur.

Q. Restat adhuc superaddas aliquid, quod differentiam spectat inter lumen naturæ, & lumen gratiæ? R. Ex lumine naturæ cognoscit anima esse Deum, prætereà de eo nihil scit: bona verò anima desideranter quærit cognoscere quidpiam de eo, quem tantùm esse cognoscit Deum. Quoniam autem scriptum est: quærite & invenietis: hinc fieri neqvit, qvin sciscitanti animæ affulgeat lumen gratiæ, quod indigitat genitum Dei verbum, quod loquitur omnia. Hanc genituram divinam cupiunt non nulli attingere lumine naturæ, ast summâ eorum perditione, cùm nihil sit quod possit ostendere, quæ, qualis, quando & ubi sit, nisi Lumen id, quod verbum ipsum revelavit esse. Cumq; hæc revelatio suum habeat tempus, quod nullo unquàm conatu anteverti potest, hinc sunt dementes, qvi spretâ morâ multa præsumunt antè tempus & invenire & impetrare. Bo-

na quæ Deum quærit anima habet tria observanda Primo desiderium qvod quærit, Secundo modum perquisitionis, Tertio Inventionem geniti. Considerandum quoq; est, hominem constare tribus partibus, corpore sensibili, animâ sensitivâ, & spiritu immortali. Crassum & obscurum est sensuum corpus, subtilius sensitivum principium, subtilissimum intellectualis substantia, de qvibus prima hujus libri pars sufficienter egit. Qvodsi subtiliatum sensibile transit in suum principium, hoc verò in ipsum spiritum, clarificantur cuncta per eundem spiritum, & sic mutatur diversitas in Uniformitatem, in qvâ solum clarum lumen lucet in veritate excussâ obscuritate Idearum ac similitudinum, cùm jam ipsum Luminosum divini partûs apparuerit. Exin cognoscitur, lumen naturale cum cunctis suis Ideis mergi in occasum oriente sole divino vel hoc modo; qvatenùs ratio separat Ideas rerum sensarum à sensualitate transmutando eas in rationales, deindè se ipsam quoq; abnegat mutata in ipsum spiritum: sic anima observat seipsam (desiderium qvod quærit) posteà observat etiam modum quærendi, qvi itidem consistit in his tribus, utpotè

Primo in amaritudine sivè mortificatione sensuum. Cùm enim in principio antè omnia opus sit expulsione concupiscentiæ, id sanè absq; magno tædio, labore, onere &c. esse neqvit. Diligentiâ, vigilantiâ, observantiâ opus est, cùm tantò acerbior sit rerum omnium desertio, quantò dulcior fuit anteà eorum Cupido (possessio). Non quidem deserit homò cibum, potum, somnum, quietem, fomentationem &c. ut quod ista ad vitam sunt necessaria: deserat autem necessum est earum voluptatem, gustum & delicias, ne intro surrependo inqvinent animum. E vestigio transeant qualescunq; oblectationes cum suis Creaturis, quarum sunt, transeat quoq; bonæ conversationis cupiditas, quæ ad præfatam lautitiem pertinet. Est & calamitas atq; afflictio quædam species amaritudinis, è qva vel maximum tædium oritur minùs exercitatis, qvæ tandem à Deo recipienda esset animitùs, qvatenùs nonnisi a Dei amore obvenit adinstar

adinſtar doni præſtantis, ac ſummè utilis. Enim verò omnis paſſio ſivè maxima ſivè omnium minima eſt ab æterno à Deo prævisa atq; ſic in occurſum homini præparata, qvo præparet debitam in eo aptitudinem. Tenetur ergò homo pro tanto conſilio per afflictionem effecto Deo magnas gratias reddere, tanqvàm pro ſingulari gratiâ, qvam certocertius obtinent, qvi multum affliguntur ſi quà ſua bona, honorem, ſolatium &c. amittunt. Hîc poſſet aliquis obſtare ac dicere: quæ nam Utilitas è calamitate adjecta homini ſuo merito? R. Sivè ſit ex merito, ſivè non ſit, convenit tamen Deo agere gratias pro miſſâ ei paſſione, idq; in patientiâ. Qvæ homini videntur confuſa, ea ſunt plana Deo ac ordine eo diſpoſita, qvò in adverſum labentia hominem exerceant atq; ad altiora promoveant. Qvod autem afflictiones non nunquàm parum aut nihil proficiant, id culpâ hominum evenit, qui ea dona non debito modo recipiunt, ut cùm in pœnitentiâ, abſtinentiâ, oratione aut in quavis aliâ devotione ſuas phantaſias, arbitratum & inventiones admiſcent, Deum autem ſinunt præſtolari tamdiu, donec propria ſua peregerint. Tales homines ignorant, qvàm Deus nil curet opera aliena, hoc eſt, quæ non per DEUM ipſum facta ſunt: hâc ratione docetur, DEUM non præmiari alia opera, niſi propria ſua merita cum iis, quæ homo ſincerus per gratiam Dei cooperatus eſt.

Cæterum amaritudo omnium amariſſima, qvæ ſuccum & ſanguinem liqvando corpus depaſcitur, eſt interna tentatio & obſcuritas. Tot modis autem, iisq; miris ac variis excruciat hominem atrox tentatio, ut nec ipſe eam expertus dignè ſatis de eâ loqui poſſit, cùm ſolus Deus noſcat, qvid ſibi velint hæc omnia: Tametſi homo non comprehendat imenſum Dei amorem, è quo promanant majora adverſa, non poteſt tamen negligere ejus obſervantiam absq; evidenti periculo: ſunt enim homini miſſa, ut ad profectum utatur iisdem. Qvodſi conqueritur aliquis de internâ caligine, frigiditate, aut ſiccitate

te animi, is longè beatior sic est, qvàm si devotus esset valdè. Sensatio præfatæ amaritudinis est diversa vel externa vel interna: qui sensibus externis degustant eam, sunt arbitrarii ac præsumtuosi, utpotè qui Deum præsumunt melioris informare, in causas dum inquirendo præventioni student, eoq; putant, multa sic evenire casû, fato aut fortunâ prosperitatem felicioribus gratis impertiente, hactenùs solent prætexere nisi, ajendo, ô si sic vel sic præcautum esset &c. Verùm qvod accidentia naturæ adversa non grato animo suscipiunt à Deo, exarcerbatur eorum passio amaritudine in fel acutum conversâ. Ast qui interno sensu velociter transcurrente amaritudinem velut solo apice tangunt, hi se confestim ab eâ liberant per medium Idearum rationabilium; attamen nec hi proficiunt, sed palmam concedunt simplicibus, quorum inter est, qvod sperant scire, appetere & consequi. Adeò non impendunt prudentes donum, qvod Deus eorum naturæ concredidit eò impendendum, quò tantò ocyus provehantur ad summum bonum.

Secundo. In amore flagranti per medium orationis succenso, unde sancta inardescit devotio. Scriptum namq; est, qvod oratio est cordis ad Deum elevatio, & hæc per simile flammæ hîc exprimitur. Igitur se habet externa oratio nonnisi per modum accidentis, qvatenùs excitat animum, ut sursum elevatus prorumpat instar flammæ in sanctæ devotionis incendium. Præter hoc nullum aliud commodum habet externa oratio, quæ & hinc remitti debet, quamprimùm suavis devoti animi odor rotatim sublimatur.

Tertio. In perfectâ ac humillimâ sui oblatione, quâ qvi fruuntur sunt verè admirandi, singulares, læti, ac beati dicendi, siquidem à Patre sunt ab æterno implantati seu geniti in filium filii. Vel eâ de causâ verè dicuntur admirabiles, qvod Deus in illis offert seipsum, imò etiam, quod nec à mundo nec à seipsis cognoscuntur, cùm nihil unquàm de se teneant. Ad hanc perfectionem cùm difficillimè perveniatur, orant, qvi cupiunt, ut eam Deus largiatur, verùm invalida est oratio hæc, qvia non

nisi

nisi licita his, quorum fundum (mens) præparatum ac evacuatum est: quamprimùm id vacuum reperitur, reperitur simul ibi genitum Patris verbum, idq; est tertium, quod bona anima habet observandum, id est, inventionem geniti. Tunc enim Deus utrumq; perficit tùm rogando tùm dando, quia præter Deum ibi nil nisi nuda anima, adeoq; inter rogandum & dandum non intercurrit actus humanus, sed opus omne solius Dei est. Hîc unà est observandum, quid liceat rogare, nimirùm, quò fiat, ut Deus largiatur nobis firmam aversionem & desertionem nostri & omnium Creaturarum, pariterq; veram & essentialem ad Deum conversionem.

CAP. V.

De sequelâ Christi.

Q. Cognitâ nunc divinâ Christi vitâ simul & luce verâ, restat ut homo mediante gratiæ lumine ambulet in vitâ Christi vestigia ejus calcando & usq; ad mortem Crucis eum sequendo. Seqvela autem Christi reqvirit aliquam doctrinam, per quam noscatur, qualiter cum fructu instituenda ea sit, tu ergò, trade eam, qvæ est verissima & purissima? R. Ea qvæ tibi breviter tradenda est doctrina, continetur in epistolâ S. Pauli ad *Rom: 6.* atq; paucis his verbis includitur, nimirùm, quod per baptismum cum Christo mortui sumus, ut cum eo resuscitati à mortuis in vitâ novâ ambulemus: Hæc est via omnium tutissima, brevissima. Nam qualitercunq; tractetur negotium Christiani per ambages, glossas, amplificationes, logismos, ac perpolitas orationes &c. reducuntur tamen hæc omnia in brevem bullam mortis ac Resurrectionis Domini. Qvisqvis est è Viatoribus, qui Christo cupit adunari, necessum est ambulet eâdem viâ, qvâ noster Præcursor præivit.

Q. Cùm

Q. Cùm Dominus noster, postquàm è sinu Patris in hunc mundum venerat, in eo indicibiliter cunctis vitæ suæ diebus affligebatur, expers deliciarum crucifigebatur, mortuus sepeliebatur, & subseqventer resuscitatus in Claritate, impassibilitate, immortalitate ad Patrem in veram beatitudinem transferebatur, quæritur, an qui cum ipso moriuntur, cum ipso resurgere, vel qui cum eo resurgunt, cum eo prius mori & sepeliri oporteat? Respondeo, quod sic: nam quomodò cum Christo resurget, qui non cum eo moritur? Num propriis viribus resurgere quis potest sine Christo? An etiam vel non mori vel sine Christo mori quis cupiat? Illud esse nequit, istud non decet. Si qvis incedit in viâ Domini, in Christo emoriens naturæ suæ indubiè resurgit cum Christo, imò & aliqvomodo resurgit immortalis, & impassibilis, eoq; unitus cum Christo coascendit in Cœlum in sinum Patris, atq; eâdem beatitudine cum eo fruitur. In nihilo differt ea beatitudo nisi in hoc, qvod est Christi per naturam, hominis verò per gratiam, illius æterna, hujus tempore intercepta. Quisquis in eâ viâ perpetuò ambulat, beatus est antè mortem, ejusq; evectio tàm eminens est, ut inter eum & homines vulgares idem discrimen intersit, qvod est inter hominem & brutum, si comparantur.

Q. Dic undè tanta Christianæ vitæ differentia? R. E diverso conatu, diversavè hominum inclinatione: hîc namq; magni refert diligentia, cura, constantia, assiduitas, quarum causâ prosperè succedit labor & exercitium, ad eum propè modum, qvo unus discipulorum evadit doctus Magister, alter vix discit rudimenta. Uti ergò una eademq; doctrina ignavum, incurium, inconstantem, negligentem, & indocilem discipulum non facit doctum, sicut qvidem diligentem; ità eadem viæ, vitæq; Christî regula non promovet in obsequentes, somnolentos atq; vecordes ad altiorem beatitudinis gradum, sicut promovet vigilantes ac sedulos: qvamvis enim tarda ejusmodi ingenia laudabiliter incipiant, mox tamen lassati obdormiunt, & iterum ad naturam deflectunt.

Q. Qua-

Q. Qualiter præfigit sibi homo salutariter Exemplum Christi? R. si desideranter contemplatur, qvàm amabiliter ambulavit Dominus noster in dolorosissimâ passione, quoniam inter omnes homines qvi unquàm mortui sunt & morientur, non fuit nec erit, qvi in totâ suâ vitâ tàm pauper, miser, atq; solatii expers fuit, sicut Christus fuit; nec erit nec fuit, qvi finivit aut poterit finire vitam morte tàm acerbâ, atroci, funestâ, omnium immanissimorum dolorum societate incruciatâ, mente interim in suâ perstante beatitudine, sicut mortuus est Dominus noster. Qvapropter quicunq; veraciter in purâ vitâ imitantur Christum sinè interno solatio cum omnimodâ miseriâ, ac indigentiâ renunciando cuivis adjumento, in his simpliciter revelatur Regnum Dei.

Q. Quid habet vita Christi in se, quod imitari debemus? R. Obvium est in viâ Domini nostri Jesu Christi, eum perfecto modo vixisse. Cùm autem perfectus modus sit omnium optimus, sequitur nos, qvi perfecti esse tenemur, perfectum vitæ modum imitari debere, siqvidem quo Christo similiores, eò sanctiores reddimur. Hoc loco solent mundani multa objicere sub naturalis imperfectionis prætextu eo solùm fine ut instituta ecclesiastica evertant. Verùm utut student semper contrarii esse; itâ & hîc mediâ aversatâ viâ excurrunt à tramite recto ad spatiosa campestria, ut tollant pro more usum cum abusu. Eqvidem prout negari nequit, nos Christum quoad externum modum non posse in omnibus æq; imitari; itâ concedendum est, nos eum in multis comprimis internè ac spiritualiter posse imitari. In hoc, qvod Christus quadraginta dies jejunavit, non possumus imitari eum, neq; tenemur id imitari, siquidem prout in aliis, & in hoc est Christi voluntas, ut eum sequamur internè, hoc est, ut jejunemus spiritu, cùm Corpore tamdiu jejunare nequeamus. Enim verò sequela Christi quanquàm in simplicitate cordis instituenda sit, vel maximè tamen requirit sapientiam, nimirùm cognitionem ejus, quod in Imitatione sui ab eo plurimùm amatur. Et nequis à suâ decipiatur imprudentiâ,

noſcat oportet, Deum potiſſimùm amare ſequelam Amoris Dei & proximi, verùm iſtæc ſequela non corporis ſed ſpiritûs opus eſt, internum non externum, adeoq; optimum. Fruſtraneus omnis externus conatus, qui hoc movente interno caret, quin & nocivus, ſi alium finem habet præter ſolam Dei gloriam; fructuoſum verò qvodlibet exercitium ab amore ſivè dono interno præſtitum. Ut cauſa non ſine effectu; ità nec Virtus eſt absq; actu: à Virtute profluunt opera, ut ultima reſpondeant primis, & per effectus ſuos conſervatur virtus, hinc homo tenetur virtutem edere per opera externa omni qvo valet conatu. Quoad jejunium quadrageſimale cùm homo non poſſit imitari Chriſtum externo opere, neceſſum eſt ut Spiritu jejunet, quod & tunc factum dicitur, cùm à peccatis abſtinet omnibus: qvod autem & Virtus tenetur facere opera externa, neceſſum eſt, ut corpore etiam jejunet tantum qvantum poteſt. In hoc negotio per pulchrè proviſum eſt Eccleſiæ per ſucceſſores Apoſtolorum, qvi perſpectâ humanâ impotentiâ non interdixerunt Univerſo Corporis cibo ad quadraginta dies, ſed ne hoc loco ſeqvela Chriſti ſaltem quoad Spiritum negligeretur, inſtituerunt tempore quadrageſimali devotionem ſtrictiorem, cujus adminiculo ab omnibus peccatis abſtineamus in jejunio Spiritûs. Cùm autem iſtæc devotio non poſſit ritè peragi corpore à pleno victu infarto aut per jejunium rigidum exhauſto, hinc ſapienter cautum eſt, ut eo tempore abſtineatur à largiori, eoq; & carnis eſu. Nam ſicut per obſervantiam hujus inſtituti promovetur devotio, nimirùm ſpiritu non aggravato, ſed magis libero & agili; ità externè ſimul aliquâ ex parte obſervatur ſequela Chriſti, idq; magis ob cauſam internam, ſic ut dici poſſit hoc modo Unum obſervari & alterum non negligi. De hâc autem quadrageſimali devotione docet Author noſter in hunc mundum, dicens: Quamprimùm ſe homo obſervat extrà Ordinem vagatum, atq; ad malum propenſum neceſſum eſt, ſuæ inclinationi confeſtim reſiſtat, id quod probè tenendum eſt ſemper, comprimis tempore Commemorationis, & celebrationis paſſionum Dominica-

minicarum. Enimverò cùm homo sit omni tempore pronus ad cogitandum mundana & prava, præsertim cùm venter ad satietatem gulæq; cupidinem usq; repletus est, sequitur eum teneri linqvere pravas cogitationes & sacra meditari animo constanter resistenti, utq; hoc ipsum præstare valeat, tenetur abrenunciare cupiditati sensum, seq; ipsum in eo vincere. Ad censum rerum desiderabilium refertur etiam cibus & potus lautus ac delicatus, (ut alias res prætercam) qvarum usum non necessitas, sed Carnis, gulæ & Oculorum voluptas suadet. Quod si desiderabilium rerum inclinatio est vetita, frustrà alteramur pro Conservatione earum, qvæ insuper sunt nobis nocentissimæ, qvod exemplum concupiscentiæ Protoplastorum per pulchrè designat. Suasit ergò Ecclesia fideliter pati aliquid in Carne propter gloriam ejus, qvi nostri causâ longè majora passus est. Ipsa carnis abstinentia etsi careret exemplo, & jejunium præcepto, est tamen opus obedientiæ & humilitatis, qvam nemo veraciter dicat esse intermittendam. Si nullus unquàm fuit homo humilior Christo, sequitur, tantò fidelius hominem pati, ac sequi Christum, qvantò humilior redditus est per obedientiam. Et cùm vocabulum cæcæ obedientiæ non reperiatur in scripturâ, non est hìc ejus repetenda commemoratio: præstat Dominum nostrum ità in omnibus imitari, ut quantumvis nostra infirmitas multum impediat, eò tamen perveniamus, ut Deum nobis propinqvum credamus aut sentiamus. Qvod quidem tamdiu ità cognoscimus futurum, quamdiu forti propensione inclinamus servare mandata Domini in obsequio ergà ejus voluntatem.

Q. Annon qui Christum sequi volunt, id sine labore & molestiâ præstare possunt? R. Minimè. Ascensionis enim tempore duxit Dominus Discipulos ideò secum in montem oliveti, ut isto exemplo docerentur tacitè, sequelam Christi non esse sine suspirioso conatu, sicut nec ullus monticulus in mundo tàm est jucundus aspectu, qvem qvis conscenderet sine sudore aut Corporis molestiâ. Quid indè discunt Christiani in Veritate, nisi

Digitized by Google

qvod pari conatu cum Christo & Apostolis ascendendum sit in montem oliveti? Quid per conatum Ascensionis indicatur nisi voluptuosæ naturæ resignatio? Permulti sanè sunt, qui Christum seqvi vellent, si sine conatu, sine molestiâ esset, ast in seipsis hi quærunt solatium, pacem & lætitiam, eoq; non seqvuntur Christum, quamdiu non scandunt in montem, hoc est, per passionem & acerbam molestiam, qvam indicat Propheta, cum dicit: Ps: 38. locum suum posuit in valle lachrymarum. In dubium est nullius frugis esse, inq; nihilum abire, qvotqvot versantur extrà hanc passionis vallem. Devotus homo desiderando desiderat Dominum suum, qvi cùm in altis habitat, tàm absconditus redditus est ei, ut nonnisi innotescat per vallem lachrymarum, cujus tanta est dignitas, ut ejus receptio in modo & gradu respondeat robori tactûs divini: & si quà fortè citrà profundiorem tactum locus sit passioni, ea certè perquàm necessaria est ratione sordidæ impuritatis in naturâ corruptâ latentis, quatenùs homo per peccatum sæpe sæpius impeditur, quo minus ad Deum se magis magisq; vertat, qvovè minus Deo res cunctas sincerè humiliterq; incessanter offerat (qvod qvidem per gratiam Dei fieri posset, ac deberet) & ideò hoc impedimentum tantò deterius est, qvod sæpe sæpius naturæ corruptela dominatur latenter, ubi Deo convenit regnare.

Q. Siccinè aliàs non restat obstaculum impediens, qvominus caput nostrum sequamur Christum? R. Nil prorsus est, qvod impedire queat sequelam hanc: Ipse enim dixit: Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad Deum meum & Deum vestrum. Qvodsi autem is Pater & Deus noster est, qvi Christi Pater & Deus est, annon ad Patrem nostrum eundo unum & eundem seqvemur Christum, qui viam ostendit, imò qvi trahit & conducit. Beatitudo Christi est eadem nostra in eo ipso, qvatenùs ex ipso ordimur, cum ipso sumus & in eundem rursus terminamur, dummodo volumus. Et ideò præcessit Christus in Vitam æternæ beatitudinis cœlestis Patris, ut eum ponè sequamur ex integro.

Q. Cùm

Q. Cùm Christus præcursor noster sit, seqventibus autem nobis conveniat ejus calcare vestigia, ne aberremus in viâ ascensionis in Cœlum, dicendum est, qvâ regulâ qvovè modo sit à Christo instituta longissima istæc ad Patris beatitudinem (Patriam Cœlestem) peregrinatio? R. Cùm ipse sit via, ostium & vita, conseqvens est hanc ipsam Domini vitam esse exemplar, modum & regulam quam teneamus oportet, ejusq; vestigia, in qvibus pervadamus. Eadem via nobis eunda est, qvam vita Christi annorum 33. ad amussim delineat, qvæ sanè non nisì in miseriâ, paupertate, contemtu, amaritudine & morte absoluta est; hæc via est per quam præcursor nobis vestigia fecit, & per eandem ascenditur cum Christo in Cœlum.

Q. Id ità si est, annon hæc ipsa Christi vita perfecta doctrina est? R. Tàm est perfecta doctrina, ut in casu carentiæ universi dogmatis, scriptorum & librorum, sola sanctissima hæc vita Christi sufficiat, nobisq; satis doctrinæ & eruditionis exhibeat. Sit ergò vita Christi absolutum compendium doctrinæ beatæ, sanctus terq; commendatus codex noster, cujus folia volvamus assiduo studio, cujus literas punctaq; exactius perpendamus, & cùm is ipse Dominus noster sit via, veritas & vita, consequens est, per nullam aliam viam nos posse feliciter procedere & seqvelam ad finem usq; perficere, nisi per eam ipsam, qvâ Dominus eo tempore præivit conductum nos eò ad sequelam: sic namq; conduxit olim filios Israël 40 annis per desertum in paupertate, miseriâ, amaritudine, contemtu & morte.

Q. Annon hîc plurimum conferat sapientia, qvà qvis in cunctis suis functionibus pernoscat interstinguere, qvid Deus sit, qvid natura, sivè qvid Deus in eo, qvidvè natura perficiat? R. Id dubio caret omni: Utinam saperent omnes, prout monet scriptura, non prævaleret peccatum; cùm autem mundus jugiter appellet ad desipientiam, qvî non dominetur iniqvitas?

Q. Annon & solatium potest apud eos locum habere, qui versantur in valle passionis? R. Imperfectis est necessarium, ut consolatione obfirmentur ne qvà urgente gravitate passionis

debiliores redditi deficiant, sed tantò facilius tolerare valeant cruciatum.

Q. Cùm homo intus & extus cruciatur amarissimè, sicut à Deo se derelictum censeat, qvid opus est factu in tali carentiâ solatii? R. Oportet meminisse beneficiorum Dei juxtà id quod
Eccles: dicitur: Fili in diebus malis nè obliviscaris beneficia Dei. Hoc
11. ipsum reqvirit status devoti hominis, ut spiritus pacem habeat, corpus afflictionem, qvia & Dominus mundi in civitate pacis passus & mortuus est: ubi pax & quies, ibi solatium. Quicunq; se suamq; passionem subdit voluntati Dei, habet pacem cum Deo, & hoc ipsum satis est solatii. Deniq; oportet abnegare seipsum tàm in spiritu quàm in naturâ, futurum namq; est, ut homo bonus tradatur Judæis traditoribus, qvi flagellatum, martyrizatum eum ejicient, & judicabunt vitam ejus modo scelerato, ut si possibile esset ex omnium viventium memoriâ eum delerent, & hoc ipsum est, quod oportet emori penitùs, ut Deus vivat in homine.

Q. An qvod Judæi Christum subsannatum affecerunt martyrio, hinc est adscriptum consimile judicium sequacibus Christi? R. Qvi Christum sequi cupiunt, judicio mundi æq; subjecti sunt atq; Dominus qvem seqvuntur, idcircò alii cum Domino suo coronantur diverso Martyrii genere, alii hominibus sceleratissimis comparati despiciuntur, atq; pro lubitu judicantur si non aliâ, saltem eâ causâ urgente, quod putant se Deo præstare obseqvia debita. Beati verò, quibus contingit in Civitate Jerusalem tanta pati tormenta (hoc est, in tàm irrequieto statu pacem in se habere) neq; enim fieri potest, qvin ipsa vera Dei pax in eo progignatur essentialiter.

Q. Cùm Christus caput nostrum ad cœlum ascenderit, annon & membra ejusdem decet ad caput quod in cœlo est ascendere relictis in terrâ fulcris solatii & lætitiæ &c? R. Tenentur omnia membra semper & ubiq; studiosè sequi desideratum Præcursorem, eademq; procedere viâ, quâ ipse amabiliter præcessit non sine acerbâ passione. Ipsa quippè ratio dictat, eundem esse

esse observandum progressûs modum, si capitis atq; membrorum mutua connexio adsit; hæc autem omninò est in Christo & Ecclesiâ. Constat autem oportuisse Christum per mortem & passionem ingredi in gloriam suam, ex quo seqvitur nos esse obstrictos constanter seqvi Ducem nostrum, qvi tantâ cum patientiâ nobis prætulit amaræ passionis vexillum. Luc. 24

Q. Dic in qvo sita est sequela Christi? R. In eo, ut veri Christi Imitatores humiliter suscipiant jugum Christi, hoc est, passionis cujuslibet, promeritæ vel non meritæ, externæ vel internæ, cùm sic futurum sit, ut mediante patientiâ ascendant in vitam æternam ad Filium Dei cum jubilo & triumpho. Enim verò si Mercator causâ lucri terram percurrens, pontumq; pernavigans se multis periculis exponit; quantò magis competit bono homini exponere se cunctis accidentibus causâ summi boni post habito temporali commodo. Sane vivum membrum non est, qvod non adhæret Capiti suo, & quod vivum non est, corrumpitur: omnia verò corporis membra prout suo Capiti connectuntur, ità quoq; abeo in vitalitate & integritate conservantur, idcircò quod sustinere in cumbit Capiti, id membra perferant necessum est unanimi consensu.

Q. Quid sibi vult testimonium quod Christus à suis discipulis postulat, cùm dicit: oportet vos esse Testes mihi in Hierusalem &c? R. Per id nil aliud significatur nisi sequela Christi. Hierusalem à pace nomen obtinet, in quâ Dominus pacis non pacem invenit, sed acerbissimam passionem & mortem: in pace ergò qvæ sub amarissimâ passione obtinetur, firmavit Dominus testimonium suum, sic ut necessum nobis sit testificari Christo non solùm verbis, sed etiam factis, perfectâ scilicet & juxtà omnes vires emensâ sequelâ vitæ. Act: 1

Q. Annon & hi veraces Christi testes sunt, qvi testimonium Christo libenter perhiberent, dummodò iis in pace vivere liceret, & juxtà cordis vota, qui libenter vellent sancti esse, dummodò sine laboris & exercitii molestiâ esset, qui solatio saturati libenter Deum confiterentur, dummodò sine amaritudine, absq; acer-

acerbâ tentatione & ſine internâ obſcuritate fieri poſſet? R. Si hoc eſſet, excreſceret Sanctorum Teſtium numerus in immenſum, qvi tamen nunc parvus admodum reperitur. Reſtat ergò dicere, non eſſe veraces Chriſti teſtes, qvi ſtatim in mores antiqvos recidunt, qvamprimùm ſe foris vel intus ſentiunt deſertos. Eos autem duntaxat veros Domini ſui teſtes dicendum eſt, qvibus in pugnâ pax, in triſtitiâ lætitia, in diverſitate unitas, ſolatium in amaritudine eſt. Sed hæc omnia non niſi naſcuntur, & permanent in iis, qvi pacem ſemper ſtudioſè qværunt ſub turbis & tumultu: nec enim ſanctitatem conqvirunt, qvi ſeipſos decipiunt, decipiunt autem ſe, qvi quærunt pacem & requiem ubiq; in omnibus eorum actionibus, cupientes ſcilicet id utile & commodum, qvod erat abnegandum.

Q. Qvid datur per id intelligendum, qvod Chriſtus antè & poſt mortem ſuam freqventer pacem & pronunciavit & dedit diſcipulis ſuis, qvi tamen externam pacem non habuerunt? R. Id datur intelligendum, qvod modò dictum eſt, cùm ſit in dubium, diſcipulos Chriſti præſenti ſemper animo pacem internam habuiſſe in cunctis adverſitatibus, ſumentes à morte Vitam, ab odio & condemnatione gaudium: Eccè teſtes Domini!

Q. Ergonè potiores Chriſti teſtes hi ſunt, qvorum non ſolùm anima divinâ conſolatione (ſuavitate cœleſti) affecta eſt, verùm etiam corpus, ſic ut ſibi medullas & oſſa eâdem perfuſa cenſeant? R. Conſimiles non eſſe ſimpliciter hinc patet, quod plerumq; confunduntur, præprimis ſi paſſione tentantur & obſcuritate; annon exempla multorum docent, qvàm tales ſint puſillamines, qvàm nihil proſint, quamprimùm à Deo & Creaturis intus & extus deſeruntur? quos enim leves procella invenit, proſternit impetus. Quid vehementius deſertione internâ, externà adverſitate, tentatione enormi, quà mundus, ſatanas, & propria caro exercet hominem? num poterit delicatulus & in expertus ſtare aut ire audentius in occurſum? Qui hoc præſtare nequit, nil proficit, nec unquàm veram pacem invenit, hanc autem ubiq; inveniunt, qui mediante patientiâ frangunt impetum & reſiſtendo vincunt.

Q. Quid

Q. Quid porrò refertur ad testimonium præfatum? R. Amor Dei, Laus & gratiarum actio, qvod Christus tacitè per Etymologiam vocis (Judæa) indicavit, & istæ actiones respiciunt pariter statum tàm adversum qvam prosperum, sic ut vir nunqvam cedat tentationis insultui.

Q. Sicciné non erunt testes Christi, qvi qvidem opportuno tempore sibi promittunt pacem, censentes se Deum pro tantis beneficiis nunquàm satis laudare & amare posse, importuno autem tempore se recolligere nesciunt, & hactenus cunctorum præactorum oblivione capiuntur, perterriti catervâ malorum junctim eos invadentium? R. Non sunt.

Q. Dic cur hi sunt tales, qui tamen aliis videntur esse boni homines? R. Ideò sunt tales, qvia internum eorum fundum non respicit solum Deum, sed aliud quidpiam, hoc indè constat, qvod suavis eorum sensatio est fundamentum debile quod posuerunt, nimirùm fragilis eorum fiduciæ columna, quà decipiuntur imperceptibiliter secùs quàm fieret, si omni tempore in solum Deum fiduciam ponerent. Veri testes Dei incessanter persistunt in Dei voluntate rebus tàm adversis qvàm secundis, sic qvia sunt semper contenti, sivè dederit Deus sivè abstulerit, nunquàm gloriantur de suis factis & institutis, sicut aliàs hi faciunt, qvi factis suis cùm prosperè successerint, nimium fidunt.

Q. Cùm autem compertum sit, Deum sæpenumerò subtrahere hujusmodi hominibus fiduciam in propria facta, puta, cùm efficit, ut nihil valeant eo tempore, quo multa intentant facere, nimirùm, ut dormiant cùm vigilare volunt, comedant, cùm jejunare volunt, conversentur, cùm sese abstrahunt ab hominum commercio &c. quis, quæso, finis est talium contingentium, qvæ sine censurâ Dei fieri neqveunt? R. Hæc & similia fieri permittit Deus eo fine, ut corruat columna seu fundamentum fragile fiduciæ in propria facta, utq; emineat, ad qvam demandantur, humana exiguitas seu proprium Nihil, cùm sic futurum tunc sit, ut (qvod solum fieri debet) homo spretis caducis rebus soli Deo sincerè confidat, eum in fidei puritate ardentius a-

met, cum omnibus rebus in Deum ipſum remeet, ac tali oblatione debitas Deo gratias perſolvat.

Q. An factis hinc nil tribuendum eſt, qvoad de illis non gloriandum eſt? R. Non ſeqvitur, eò qvod in facta non eſt ponenda fiducia, ergò iisdem nil tribuendum eſſe: hâc aliàs conſeqventiâ tolleretur promiſſio divina, tolleretur quoq; pietatis Exercitium velut inanis & vani laboris. Verùm ideò non eſt ponenda in eo fiducia, qvia non in ſuam proprietatem; aſt facta meritoria primariò ad Deum pertinent, ſecundariò ad hominem, cui dona piarum actionum à Deo data ſunt. Idcircò cùm homo adunatur Deo, hoc eſt, cùm ſpiritus hominis in Cœlum ſublimatur (ubi ſancti omnes Deo arctius uniti ſunt) conqvirit ſummam beatitudinem mediante ſuavi boni ſummi deguſtatione, qvo facto trahuntur unà & reliqvæ potentiæ animæ ſurſum, quantum quidem nunc fieri poteſt: & tunc, (qvod benè notandum eſt) non licet abnegare dona ſingularia, qvæ Deus gratis & clementer confert, qvin potius æqvum eſt ea confiteri, laudare & amare cum gratiarum actione: neq; enim tunc poteſt fieri, ut qvis de iis tanqvàm de propriis glorietur, qvatenùs has omnes donorum laudes in ipſo Deo confitetur.

Q. Dic, qvid reqviritur ad perfectam Chriſti imitationem? R. Eò reqviritur tùm naturalis donum fortitudinis, tùm animi nobilitas, inſuper & ſanctus Spiritus ſuperaddit dona gratiæ diverſimodè, iſta diverſitas reſpicit captum cujuslibet pro ratione ordinis donorum tàm naturalium qvàm ſpiritualium: exindè ſequitur, non omnes, qui cupiunt, obtinere hanc perfectionem, cùm non omnes habeant Spiritum fortitudinis, imò & pleriq; ſint naturatenus imbecilliores animo & corpore, cujus pro ratione adjicit Spiritus dona ſua communiter juxtà proportionem menſuræ (dico communiter, quia nonnunqvàm dona majora largitur infirmioribus, hoc autem fit rarius) ideoq; ſcriptum eſt: non omnes capiunt Verbum. Item: Non omnibus datum eſt. Eorum autem qui ſunt debiliores, duplex invenitur genus, unum eorum, qui Vitæ Chriſti ſequelam

quelam prorsus negligunt visâ Christi vitâ acerbâ & laboriosâ, hinc solent naturalem prætexere imperfectionem ajendo, qvod nemo ad impossibilia teneatur; ast hi nec unqvam qvod poterant præstare, faciendum sibi proponunt. Alterum genus eorum est, qvi duræ ac asperæ Vitæ Christi respectu perdunt animum, & cùm se deprehendunt molles naturâ, impotentes, incapaces, cùmq; nec à movente interno se sentiunt impulsos, autumant se à Deo procul remotos imò desertos esse. Qvod primum genus attinet, hi titulo Christiani penitus indigni sunt, & hactenùs de pravâ hâc sobole nil hîc dicendum est. Alterum verò genus versatur in tali errore, à qvo mediante genuinâ doctrinâ qveunt liberari. Bonæ voluntatis homo non habet, qvò se à Deo longius remotum censeat, sivè defectus parvos consideret, sivè naturæ imbecillitatem, sivè impotentiam gravioris pœnitentiæ, sivè imparitatem virtutis aut servitutis Domini. Restat enim remedium, qvo se corroboret, id qvod consistit, (ut alibi dictum) in studio ac exercitio, cujus ope sic potest defectus è medio tollere, ut nolit imposterum transgredi mandata Domini ullius Creaturæ gratiâ sivè vitæ sivè mortis amore. Inprimis autem non est, ut homo bonus reputet se procul à Dei gratiâ distare, licet nondum sit debito modo exercitatus, tunc enim proximus Deo est, cùm voluntatem ac firmum ejus rei propositum habet, tametsi non valeat aliis parem sivè duram præstare pœnitentiam, præstet tamen in cordis sinceritate tantum qvantum potest. Attamen hi procul à Deo sunt, qvi nec propositum verum habent, nec peragunt tantum qvantum possunt. Sola operatio externa, etiamsi, qvà talis, parum prodest, prodest tamen, si è verâ pietate provenit; siqvidem hæc ad omnia utilis est juxtà effatum Apostoli, imò in omnibus optimum operatur. Sed in exactâ hujus dicti expensione multum est situm, qvoniam citatione ejus utuntur multi ad obtegendam invidiam, qvà ardent adversùs externa opera, si vel tantillum excessivi in iis cognoscant, qvi hactenùs etymon pietatis habent in ore contrà terminum supererogationis operum, &

 nihilo-

nihilosecius fructum sive virtutem pietatis fugiunt. Homo verò cognoscens pietatem & fructum ejus, si bonus est, studet utrumq; impetrare, idcircò quærit modum in rebus bonis, qvo possit uti cunctis illis, è qvibus aliquid boni effulget. Eâ de causâ bonus homo, quamprimùm videt proximum suum in opere bono occupatum, laudat Dominum pro gratiâ divinâ, per quam potitus est proximus Virtutem sequelæ dominicæ. Adhæc & gratias reddit Domino tunc, cùm incapacem se reperit imitandi sanctos, hactenùs se reperit indignum virtute aliis elargitâ, sic autem abjiciendo se coràm Domino amat aliorum donum, qvo caret ipse. Et certocertius est, eum posse per amorem & voluntatem (prout alibi dictum est) id ipsum impetrare, qvod alius per opus impetrat, utpotè si quà mojori affectu strictissimam vitæ regulam desiderat, quàm is qvi magna opera pœnitentiæ peragit, indubium est, qvin coràm Deo parem mercedem sit obtenturus tàm veraciter atq; ipse qui operatur. Et siqvidem hoc ipsum in scripturâ satis testatum reperitur, tantò minus distat, qui vult cùm neqvit, illo, qui potest cùm vult, quantò longius distat à Deo, qui non vult quandò potest. Enimverò cùm Deus non procul sit ab unoquoq;, dici tamen possit, eum esse procul à perversis, expedit nôsse, qualiter possit procul esse, qui omnia implet penetrando. Propè est Deus unicuiq; per Essentiam, procul est ab aliquo per aversionem gratiæ, ideoq; dicitur Deus recedere, introire, aut præterire, qui quidem modus dicendi refertur ad hominis præparationem. Voluntas hominis est ostium, quo clauso dicitur Deum expectare pulsando, donec prætereat, aut ostio aperto introëat in hominis animam, puta per gratiam. Hinc facilè potest intelligi, quî Deus neqveat procul esse ab eo, cujus ostium semper invenitur apertum. Scriptum namq; est, Deum intrare in animam apertam, cœnare ac requiescere in eâ, indè tranqvillitas animæ provenit. Cùm & perspicuum sit, Dominum nostrum habitare ibi, ubi Imago Christi vitæ per patientiam, amorem, aliasq; virtutes in homine repræsentatur, hinc

hinc facilè pernoſcimus, qvibus mediis invitetur Deus ad cohabitandum; ſed iſta media expendantur ſine operum graviorum apparatu, quatenùs ſunt virtutes ſeu potentiæ, non ipſius actûs, undè etiam infallibiliter ſeqvitur, opera graviora quà talia, cùm aliundè queant habere cauſam, non poſſe valere qvidpiam, niſi à præpoſitis internis virtutibus progignantur. Virtutum hanc prærogativam dum aliqvi cognoſcunt, deſciſcunt more ſolito â viâ mediâ, & carni verſutè gratificantur, quin & ſub hypocritico virtutum prætextu cunctos modos operum externorum rejiciunt, aſt in hoc perperàm faciunt, quod rem magni momenti craſsâ indiſtinctione mutilant: Nam quod dicitur, Opera gravia à luce falsâ producta nihil valere, dehinc non ſequitur, cuncta opera incluſivè, hoc eſt, externa opera à luce verâ producta nihil valere, id namq; falſiſſimum eſt & contrà ſcripturam. Quodſi ipſa ſine actu virtus tantum valet, quantò magis valere neceſſum eſt, ſi actum ipſum ſummo conatu exerat? ſed quod objicere hîc ſolent eſt hoc, non omnes, ajunt, homines eſſe æq; capaces vitæ reſtrictæ ſeu durioris, & jugum caſtigatæ vitæ contrariari Chriſtianæ libertati, cùm quod uni eſt impoſſibile, malè imponatur omnibus in univerſum. Verùm iſtæc objectio tantùm eorum eſt, qui libertatem Chriſtianam non intelligunt, qvi potiùs juxtà vanitatem carnalium cogitationum utuntur libertate ad mortis peccatum. Hi verò nôſſe deberent, tractu temporis teneri unumquemq; ad id qvod ei poſſibile eſt, & ad qvod per gratiam Dei, perq; naturæ capacitatem velut manu ducitur, ſi qvidem unus altero plura ac majora tractare poteſt officia. Quilibet pro dono ſibi collato operetur aſſiduè, & ſi datur gratia pro gratiâ, indubium eſt, ſedulo operatori cum tempore addi tùm robur tùm aptitudinem, quam antecedenter nondum habuerat, qvia per exercitium acqviritur qvæſtus cœleſtis. Non omnes homines poſſunt eundem vivendi modum ſervare, eò qvod ſit eorum conditio valdè diverſa, nec omnes eâdem viâ ad Deum vocati ſunt. Qvantum ergò vitam ſtrictam attinet, ſciendum eſt, teneri qvemlibet obſervare, ac diligenter ſcrutari, ad

 quem

Digitized by Google

quem modum occultè ducitur potiſſimùm, qvo invento convenit, ut eum præ aliis teneat, ſiqvidem futurum eſt, ut ejus in exercitio ſentiat Dei gratiam, cunctosvè reliqvos modos in hoc uno ſibi comparet, modò volenter ac ſincerè deſideret cunctos piè vivendi modos. Ratio hujus doctrinæ hæc eſt, qvod actio hominis hinc obfirmatur in bono infallibili, cùm alioqvin mutatio modorum ſolvat conſtantiam pariendo ſæpè fallacem inconſtantiam, id quod non eſt timendum ſub certitudine unius boni modi, qvatenùs id qvod bonum ac laudabile eſt, poteſt inveniri in alio atq; alio modo, ſicut in eo, qvi cuiqvam communis eſt.
ſæpè Per hoc etiam medium obtinent plebeji ac ſimplices homines majorem theſaurum bonorum cœleſtium, quàm modis diverſis decepti hujus mundi prudentiſſimi, quia non infallibilibus. Id autem per qvod & homo plebejus fit particeps cunctorum bonorum modorum, eſt, ſi purè Deum amando futurum optat, ut Deus cunctos amet homines in omnibus modis eorum. Nam per amorem id genus boni participabile eſt, qvod in altero amatur, tametſi externa modorum via non ſit eadem, nec omnibus trita, ſufficit unam eandemq; omniũ viam eſſe internam, hoc eſt, amoris viam. Modum autem non habet, qvi Deum non amat.

Q. Spectatnè ad Chriſti ſeqvelam dictum ejus: Nemo venit ad Patrem, niſi per me? R. Ad eam refertur & dictum & totum ejus negotium, ſiqvidem Chriſtus eſt oſtium & via ad Patrem, præter qvam non datur alia. Nunc opus eſt cognoſcere, qvaliter ſe ſit gerendum, ut & oſtium inveniamus & per id intromittamur. Per fidem invenimus oſtium, per Chriſti ſeqvelam intromittimur. Qvid eſt, ſi oſtium invenero, clauſo tamen eo foris relinqvor? Ardua ergò res eſt ſeqvela Chriſti, qvam ut rectè inſtituere liceat, ſciendum eſt prius, qvod competit homini ſe obſervare res ſuas providè curando tàm foris qvàm intus, proindè oportet, qvantum poſſibile, contineat ſe, ne ulla intrà ſeipſum conſurgat voluntas, inclinatio, concupiſcentia, cogitatio, delectatio, qvæ differt â voluntate divinâ ſic, ut committatur hactenùs actus, qvi homini, non Deo poſſit adſcribi, imò ſi talis

qvæ-

qvæpiam ſit excitata concupiſcentia, ſubitò cavendum eſt, ne veniat ad actum, ſed ut qvantocyùs ſuffocetur, & ſicut hoc factum fuerit, ità peccati opus facilè ſuppreſſum unà atq; extinctum erit. Deſertio hæc eſt interna ſeu ſpiritûs, qvæ ſi pro voto reſpondet, ſeqvetur itidem externa, qvæ in eo conſiſtit, ut homo ſibi caveat, ne ſe ad creaturam vertendo committat aut intermittat aliqvid, qvod Deo ſit contrarium aut non glorioſum, decorum, eoq; non per ipſum Deum in naturâ humanâ factum: huc pertinent omnes actiones, præconceptiones, pacta, inſtituta, geſta, mores, ſivè omnis modus vivendi, qvibus homo in loqvelâ, ſilentio, ſomno, vigiliis, paſſione vel intermiſſione utitur tàm ergà & cum ſe, qvàm ergà alios & cum aliis. Qvicqvid ſic homo volenter ageret intrinſecùs forinſecùs, nonniſi Dei eſſet ſivè à Deo, & hoc modo (non alio) imitaretur vitam Chriſti, qvæ talis erat in gradu perfectiſſimo.

Cognitâ Chriſti vitâ cognoſcitur unà, qvaliter per Chriſtum itur ad Patrem, nimirùm per ſeqvelam Chriſti conſiſtentem in vitâ ejusdem: nam Chriſtus dicit: qvi ſervus meus cupit eſſe, ſeqvatur me, qvin etiam vult, ut ſervus ibi ſit, ubi ipſe eſt. Exemplum hujus præbet Dominus, qvi ſervo eximio proviſus eſt, quocunq; Dominus ierit, ſervus veſtigia calcat, & ideò intromittitur ſervus ubiq;, ubi Dominus intrat. Pari formiter qvi Chriſtum è veſtigio ſequitur, cum Chriſto ſimul intrat in Regnum Cœlorum ad Patrem, & quisquis vult, agit, & patitur, qvod Chriſtus voluit & egit, is eſt ſusceptus à Chriſto in ſervum, qui ſequatur ad Crucem usq;, quapropter in formâ ſervi fidelis cum ſponſo ambulat & intrat in Patris gloriam. Cognoſcimus ſic, qualiter per Chriſtum, per oſtium, per viam itur in ovile vitæ æternæ: cognoſcimus etiam ſubſeqventer, quod, quisquis graditur aliâ viâ, deceptus eſt, nec intrat per oſtium Chriſtum, tantò minus venit ad Patrem, ad æternam beatitudinem, ſed foris manet cum inſenſatis virginibus tanquàm fur & latro. Quilibet ergò probet ſeipſum, atq; ſcrutetur, num ſueta incuria, negligentia; impietas mundo perqvàm

qvàm familiaris, libertas malè ordinata &c. sit recta via vel ostium, per quod intrent in Regnum ad Patrem. Hoc certè non inveniet; imò quoad damnabilis hæc socordia & incuria non est via perducens ad vitam, in promptu est ratio, cur nec in Christo, nec in discipulis ejus unquàm inventa fuit. Verùm ut pessum eat præfata incuria, homo quoq; externus præparetur ad obseqvium, necesse est, ut homo cognoscat Patrem tàm Christi quàm nostrum, imò cognoscat oportet, qvare Pater sit ac dicatur noster, siqvidem Patris est deducere vel trahere filium, & scriptum invenimus, qvod nemo venit ad Christum, nî Pater traxerit eum. Est autem Pater id bonum perfectum extrà quod non est Ens aliud verè bonum, nec Opus ullum bonum, perfectum vel perficiendum. Hoc bonum qvia est omne in omnibus, hactenùs etiam est suprà omne bonum, eoq; optimum solum verum. Quod autem est infinitum, ideò non potest comprehendi ab ullâ creaturâ, qvoniam nil aliud comprehendit Intellectus qvàm speciem rei finitæ, quam anima hactenùs cogitat, considerat ac denominat. Deum autem nec cogitare nec contemplari potest, adeoq; nec nominare, qvatenùs rem quamlibet non aliter apprehendit nisi per externam speciem terminis suis undiq; clausam idq; speciei objectum cùm non habeatur de Deo infinito, hinc nulla datur Dei comprehensio. Quapropter quæcunq; †Deo de nobis concessa est cognitio, non est Essentiæ, sed virtutum ac attributorum ejus tantùm, nec ista cognitio est scientiæ, sed fidei revelatæ, per quam cognoscimus (uti dictum) bonum optimum esse Deum, idq; bonum, si generat Filium suum Unigenitum in homine divino, appellatur relativo modo Pater. Deindè scriptum est etiam, hominem trahi à Patre ad Filium; ast non adeò manifestum est, qvid sit & qvaliter fiat istæc sublimis tractio. Scriptores divini ajunt, tractionem hanc esse Revelationem qvandam summi ac perfecti boni, eamq; ut plurimùm fieri ad modum tactûs, aut ictûs oculi, undè & etymon tractionis desumtum videtur, quia per eum commotionis seu infusionis modum trahitur, ac excitatur homo ad suscipiendum aduna-tio-

nationem summi boni. Testantur hoc factum ii, quibus divina benignitas fuit propitia, eosq; præfato modo docuit, excitavit & illuminavit: ajunt autem ex hoc tactu nasci in homine desiderium approximandi & uniendi se cum bono perfecto, undè sequitur, quò plus amoris, hoc plus revelationis, & quò plus revelationis, hoc plus amoris suscitari in tali homine. Vide qualiter ad Christi vitam trahatur homo, nimirùm per revelationem summi boni, quod ipsum quatenus trahit ad eam, testatur, neminem posse ad ejus unionem pervenire, nisi per vitam illam, ad quam trahit. Id autem bonum non nisi in personâ Christi spectandum se præbet, idcircò qui contemplatur illud in Christo, amet id quoq; in Christo necessum est. Ast quid amat homo in Christo, cùm ei nil aliud innotescat de Christo præterquàm vita & doctrina, quæ vitam ejus concernit? Certè in vitâ ejus invenit totum Christum & ipsum bonum perfectum, hinc ista tractio est manuductio ad eam viam, quâ itur ad bonum ipsum. Sic homo per Patrem (bonum perfectum) tractus seu edoctus cum desiderio suscipit, ac veneratur vitam Christi, per quod probatur, bonum ipsum traxisse hominem eum, in quo vita Christi conspicitur, sicut & per hujus vitæ defectum comprobatur, hominem non esse tractum ad Christum, eoq; nec pervenire ad Patrem, nam scriptum est: nemo venit ad Patrem, nisi per me. Hinc etiam cognoscimus non posse seqvi Christum, hoc est, pervenire ad vitam Christi, & consequenter ad Patrem, nisi tantùm eum, quem traxerit bonum perfectum.

Quicquid de tractione, revelatione, seu illuminatione dictum est, pertinet adhuc ad vitam externam, nilq; aliud est, præterquàm via sivè aditus ad vitam internam, hinc licet meritò eam vocare initium vitæ internæ. Et quoniam hoc ipsum est prægustus quidam sivè sensatio boni perfecti, idcircò fertur homo in ejus desiderium, & subsequenter in meditationem profundiorem. Sub eo desiderio præparatur homo internè, cùm omnes Creaturas quoad Essentiam & bonitatem earum sentit unà cum seipso colliquescere in Chaos unius & summi boni, è quo ceperunt,

runt, in quo cæpta persistunt, ac terminantur, quapropter quicquid in illis amat, considerat, ac possidere cupit, est omnium earum atq; solum principium, bonum perfectum, in hoc principio defixum cunctatur desiderium, hinc quicquid est diversitatis & accidentium rerum creatarum, id pereundo annihilatur ibi, hoc ipsum & ratio comprehendit sic esse oportere, qvoniam dato bono perfecto qvod omne sit & solum ubiq; essentialiter, seqvitur omne bonum, qvod est in qvâdam specie circumscriptum, non esse terminatum quoad esse, sed esse unum solum infinitè bonum, soli ei hactenùs tribuendum, non verò Creaturæ, nisi per modum inhæsionis, vel immanentiæ. Hoc bonum supponitur verè bonum, sivè demum sit Essentia, Vita, sivè cognitio, intellectio, scientia, potentia &c. sub exclusivâ apparenter, sed falsò boni. Cùm autem nunc obvium sit, bonum omne sivè in homine sit, sivè extrà eum esse solius Dei, de hinc constat, nil homini relinqvi qvod suum proprium diceret, nilq; attribuendum ei esse, qvod verè bonum est. Qvapropter dicat, qvi velit, si homini nil remanet, qvod verè dicat suum, num dives an pauper sit? certè sublatis cunctis, qvæ potestatis ejus sunt, manet nudus, vacuus, atq; pauperrimus. Sic scriptum est: ad qvid extollit se homo, cinis & pulvis? cape qvod tuum est, cinis cinerem, pulvis pulverem: Nec hoc ipsum est hominis sed Dei. Homo cùm id cognoverit, correcta est ejus vita externa. Inprimis hoc durante incipit vita interna: nam in statu paupertatis nil aliud est, vivit, intelligit, scit, cognoscit, amat, vult atq; agit nisi solum bonum, Deus, & qvicqvid potest attribui, alterius non est nisi Dei. Hîc est spiritus, internus, novus, integer homo qui Christum seqvitur, sanctus, impollutus, vivens, aptus ad omne opus bonum, humilis, patiens, obediens, filius Dei, frater Christi, qvia non est ibi nisi unum, solum, verum, bonum perfectum.

Q. Si homo vacuus reqviritur, ad qvid bonum vel utile in Creaturis? R. Bonum est ideò, insuperq; & diversimodè in creaturis, ut homo discat in illis ac per illas agnoscere bonum, & dignoscere meliùs à bono electivè, sic enim futurum est, ut tandem

dem perveniat ad seqvestrationem & cognitionem optimi. Ea propter autem sunt cuncta opera Dei bona, qvoniam ceu digito monstrant industrio homini latens in iisdem bonum optimum, dicitur etiam per opera Dei parari homini aditum ad observantiam optimi. Valdè bonum hinc est, ut homo eligat optimum, cui se applicet per charitatis vinculum.

Q. Qvodsi bonum in Creaturis Deus est, bonum autem unum est, cur indicantur gradus bonitatis? R. Unum verum bonum effulget clariore lumine ex uno qvam ex altero creato, propterea pro nostrâ capacitate dicimus, unum esse melius, excellentius vel perfectius altero: sic homo eruditionis cupidus qværit inter singula melius meliusq; & qvod melius est, magis amat; Imò si absq; errore pergit in tali pervestigatione, graditur de meliori in melius, hoc est, de virtute in virtutem, donec cognoscat tandem atq; intelligat æternum, solum perfectum, numero ac mensurâ carens esse optimum, atq; ob id cunctis creatis præferendum ac appetendum. Et sic cognoscimus, qvaliter qværendo optimum per Creaturas progrediamur à principio ad Creatorem. Imo Initium hoc omnisq; progressus, qvocunq; demum modo ad finem usq; fiat, non homini sed Deo adscribenda sunt, vel ideò solùm, qvia bonus, bonum autem omne Dei Domini nostri est. Hæc est ad vitam internam spiritualem Via, in qvâ qvicqvid agitur vel amatur, fieret in silentio sine gloriatione, qvoniam non satis intelligi, ne dum verbis exprimi potest. Solùm amandum, quod semel agnitum est optimum, solumq; curandum, qvò adhæreamus ei, qvantum possibile.

Q. Annon & in hâc vitâ potest seduci homo sic, ut aberret, vel retrocedat ab eâ? Respondetur qvod sic. Enim verò tametsi Spiritus aptus ac pronus, caro tamen infirma est, qvicqvid ergò carni possibile est quoad naturam, id semper spiritui timendum est, & hactenùs injuncta est circumspectio, ne qui modò stat, imposterum cadat. Potest autem homo ab hâc viâ declinare per medium seductionis, utpotè per falsa dogmata, per lumen naturale, & per malè ordinatam libertatem. Nam qvi

prætexit libertatem ſpiritûs, decipitur faciliimè per rationem, ut opinetur quædam eſſe libera, quæ tamen non ſunt licita. Verùm qvàm lumen naturale ſeduxerit ac etiamnum ſeducat viros cæteroqvin prudentes ac virtuoſos, magis conſtat, quàm quod verbis poſſit exprimi. De falſo dogmate nemo ambigit, qvàm facilè à viâ veritatis avocet ejus Auditores: undè qui mutuam naturæ & gratiæ cooperationem deſiderat, is triplici remedio ſe præſervabit à poculo ſeductionis.

Remedium primum eſt, cùm homo aſſiduè (inceſſanter) à Deo flagitat pœnitentiam veram tametſi graviorem, cùmq; unà ſemper confitetur peccata ſub agnitionis & ſatis dationis debitæ optatu. Sed hîc eſt probè obſervanda neceſſitas conſtantiæ, ut ſcilicet iſta voluntas permaneat ſemper cum evitatione cauſarum & fugâ occaſionum malarum: ſine hâc enim ſi fuerit, ſubtrahitur Dei gratia, undè neqvit fieri, qvin homo labatur in falſam peccati libertatem.

Remedium ſecundum eſt, cùm proximi ſui, id eſt, omnium hominum ſalutem æq; exoptat, deſiderat, & à Deo flagitat atq; ſuam propriam, imò cùm ad ea, quæ poſſunt juvare, ſuam promptè adhibet operam absq; reſpectu hoſtilitatis. Hoc enim ſi fecerit, erit à luce naturali præſervatus, quæ ſolet per hoc ſeducere, qvod jubet amare amicos, odiſſe inimicos. Remedium hoc reſultat ex amore communi, & hinc videtur è duplici pharmaco compoſitum, quorum hoc unum eſt, ſi homo Deum amans ex animo optat atq; deſiderat futurum, ut omnes homines eodem amore proſeqvantur Deum, atq; eatenùs per eos ſivè in eis voluntas Dei perficiatur. Hoc deſiderium non eſt naturæ, ſed gratiæ, hinc etiam divinæ voluntati conforme eſt, in hoc naturam ſuperat, nec hactenùs à luce ejus ſeducitur. Alterum eſt, ſi homo amat inimicos, juvando hos qui eum offendunt, quia & hîc natura cedit gratiæ: Hoc exercitium charitatis pertinet ad Chriſti imitationem.

Remedium tertium eſt, cùm homo inceſſanter cupit vivere juxtà vivum Domini noſtri exemplar, precatus Deum, ut intus

&

& extus couniatur Christo, nec aliud quicquam in eo agnoscat, nisi solum Christum Crucifixum. Quicunq; hoc usus fuerit remedio, hunc falsum dogma non abducet; hæc enim est via ad vitam, quia per Filium, propterea scriptum est: qui ambulat in me, invenit vitam. Deniq; qui sic cum Christo ambulat, pervenit tandem eò, quò ipsam mortem exoptet eò tantum fine, ut cum Deo imediatè uniatur. Quo quidem facto agnoscimus naturam esse devictam & superatam per gratiam, ità ut quæ sui conservationem qværebat, nunc ejus destructionem expectat. O admirandam Dei gratiam!

Q. Cur Deus vitam Christi proposuit nobis, quæ regula sit vivendi in viâ perfectionis, cùm tamen simus nimis imperfecti, fragiles ac peccato dediti? R. Eâ de causâ Deus proposuit nobis regulam vitæ per Christi exemplum, quia olim dixit: Habitabo inter eos & ambulabo cum illis, ero eis Deus, & illi populus meus. Quâ de causâ porrò scriptum est: perfecti estote, quia & Pater vester perfectus est. Nec obstat nostra fragilitas (quâ imperfectionem excusare solemus) siqvidem testante Petro magna nobis dona promissa ac data sunt propter præfatam Dei cohabitationem, qvibus ad cursum habiles, ad pugnam expediti reddimur; imò ad victoriæ & conseqventer ad coronæ obtentionem larga potestas datur, hinc omnis excusatio invalida est. Qvod etiam scriptum est: omnia sunt possibilia credenti; item: omnia possum cum Christo, qvi me fortificat: ejus ratione dixit Christus: exemplum dedi vobis, ut mea seqvamini vestigia. Hæc sunt integritatis vestigia, qvorum causâ dixit Deus ad Abraham: Esto integer, qvasi dixisset: Esto totus meus, ex toto corde, ex animâ totâ, ex totâ mente, ex omnibus viribus tuis. Qvisqvis enim est, qui non integrè ambulat coram Deo, dicitur ambulare Keri, hoc est, temerè, casu sivè per accidens in conspectu Domini, qvia sic absq; timore, absq; amore, & absq; reverentiâ, prout alibi de hoc etymo verba feci. Is ambulat temerè coràm Deo, qvi servit duobus Dominis, Deo scilicet & mundo; qvantum enim mundo servit, tantum

tùm Deum offendit, ideoq; amor non est perfectus in eo, nec hactenus vocandus amor, qvia hypocrisis. Amor est ignis, qvi consumit quicquid est temporalis sivè formalis creaturæ, his exustis nil manet nisi perfectum per ignem probatum. Cognoscimus hinc, amorem divinum & mam̃ona esse (velut dici solet) incompatibilia. Qui cupit solvi à compedibus peccati, exoneret se necessum est à sarcinâ bonorum terrestrium: nam exeundo è tuguriis temporalium introimus in æterna tabernacula. Consideret homo seipsum, & cognoscet se esse partim temporalem partim æternum, dehinc fatebitur, se tantò remotum ac alienum esse à bonis æternis, quantò se cernit addictum temporalibus, quia taliter friget ac cæcutit in divinis, imò etiam in rebus instabilibus ad quas conversus est, redditur inconstans ac deformis, nec unquàm verâ pace fruitur. Idcircò antè omnia consideret Christianus homo, qualiter ad Christi vitam suivè immutationem queat pervenire. Omnium primum medium est resignatio sivè totalis abdicatio cunctarum creaturarum, cui succedit abnegatio sui ipsius, sine qvibus si est, non pervenit ad Christi sequelam. In Christi sequelâ est illuminatio, clarificatio, & spiritûs cum Deo adunatio. Hæc est perfectionis via, in quâ hîc ambulatur magis vel minus pro ratione accepti & observati doni, uti scriptum est, unum decem, alterum duo fæneratos fuisse talenta. Hîc itur de virtute in virtutem, sicut in psalmo expressum est, & additur ejus ratio, videlicet, quia videbitur El Elohim. Expedit pio Christiano nôsse tùm virtutes tùm & virtutum catenam, quali scilicet modo eatur de virtute in virtutem, quarum sum̃a est transitio vel potiùs com̃utatio voluntatis humanæ in divinam, id est, cùm tantum volo quantum Deus vult, prætereà nihil volo, quia quantum ego sic volo, tantum vult Deus ut ego. In hoc perficitur sequela Christi qui dicebat: non mea, sed tua voluntas fiat. Hæc voluntatis paupertas est apex in classe Virtutum, ad quem quis aliter non pertingit nisi per paupertatem spiritûs. Proindè in quantum sum pauper spiritu, in tantum nil omnium volo: eâ de causâ com̃endavit Christus paupertatē

Matth: 6.

tatem Spiritûs. Sed ad hanc non pervenitur, nisi per passionem opprobrii: nam in qvantum tolero odia & convitia, in tantum sum pauper spiritu, quâ de causâ beatos prædicavit Christus eos, qui tolerant omne malum verbum innocenter. Sed ad hanc passionem non pervenitur, nisi per humilitatem: nam tantò sum humilis, quantò minus convello vituperantes me: quâ de causâ beatos prædicavit Christus humiles. Sed ad humilitatem non pervenitur, nisi per patientiam: nam quantò patientior, tantò sum humilior: propterea commendat Apostolus patientiam. Sed ad hanc non pervenitur, nisi per egestatis indolentiam: nam quantò minus inopiam sentio, tantò magis sum patiens: quapropter Christus pauperes appellavit fratres suos. Sed ad hanc non pervenitur nisi per voluntariam paupertatem: nam quò ad paupertatem proclivior sum, hoc tardior ad querelam inopiæ: verùm tantò sum ad paupertatem pronior, quantò minus honoris & comodi cupio. Sed hoc minus bonorum sum cupidus, quò magis me ipsum contemno. Tantum autem me contemno, quantum me ipsum agnosco. In tantum me agnosco, in quantum postpositis externis intrà me ipsum maneo. Sed in me ipso maneo tantum, quantum à peccatis abstineo, & hoc ipsum in tantum, in quantum Dei mandata observo. Eâ verò mensurâ teneo mandata Dei, quâ Deum amo, qvin Deum amo tantū, quantum eum agnosco. Deum verò agnosco tantum, quantum Intellectus meus rectificatus est, hic autem sic in tantum, in quantum sensus per sapientiam sunt illuminati, qvin & hi tales in tantum, quantum cor meum tranqvillum est. In tantum autem tranqvillum est cor, quantum Deo obsequens sum. Tantum etiam Deo obedio, qvantum mihi ipsi abrenuncio. Sed istæc abrenunciatio quæ est illuminatio à luce gratiæ influens, non potest obtineri, nî homo mundanam sapientiam unà cum ejus cupidine contemnendo vitaverit: istæc namq; Cupido est velum seu pulvis, quo mentis oculus obumbratur, obex quo tanquàm in scrinio thesaurus virtutum obserratus deprehenditur, quem si amoveris, thesaurum obtinebis.

Q.

Q. Cùm sic sit necessarium nôsse, quomodò sit imitandus Christus, nè qui vult imitari, aberret, dignare, qvæso, docere, qualiter in veritate homo seqvatur Dominum nostrum Jesum Christum? R. Præter ea quæ dicta sunt, noscas, in hoc totum esse situm, ut quis sequatur Deum in veritate; ast eò pertinet totalis desertio omnium rerum, quæ Deus non sunt, à quibus aliàs fundum hominis obsessum est. Deus namq; est Amator cordium, qui sine corde se non convertit ad externum. In vivâ devotâ benevolentiâ, quæ promtam habet inclinationem ad omne quod est divinum ac virtuosum, ubicunq; id reperitur, plus in est veritatis, qvàm si oraret tantum, quantum totus mundus orare posset, aut si canticorum clangore totum cœlum repleret, imò & plus inest quàm in omni opere externo, vigiliis, jejuniis &c. siquà sit, quod suum cor non simul Deo offerat. De Imitatione autem hoc habeto, quod ea fit aliquo modo secundum amabile exemplum Domini nostri, alio verò modo in devotis cogitationibus, sanctis desideriis, laudibus & gratiarum actione, rursus alio nonnunquàm, hoc est, in viâ propinquiori sine omni modo, sine cogitationibus &c. non nisi interno silentio, animovè in Deum verso, sic ut homo expectando observet, quid velit Deus operari in eo juxtà suum beneplacitum, & ista via tutior ac brevior est. In altera quippè viâ inveniuntur non rarò homines, qui è bono externo exercitio tantam sibi capiunt complacentiã, ut Deo dehinc reddantur in accepti, quin & ea oblectatio posset esse tanta, ob quam avertat Deus suam curam.

Q. Undè venit ea voluptas animi? R. Indè, quod homines faciunt opera sua à se ipsis cum insigni affectatione, & appropriatione (tanquàm ea sua essent propria) cùm alioquin omne bonum sit Dei usq; adeò, ut ejus nil propriè spectet ad hominẽ.

Q. Qualiter potest ea voluptas animi separari ab eo quod bonum est? R. Ea separatio potest quodam̃odò cognosci è figurâ V. T. quæ assignata est, ibi legitur, quod Sacerdotibus prohibita erat comestio adipis ex holocaustis extracti, præcepta verò ejusdem combustio per ignem Deo in oblationem. Ad eum

Levit. 3.

mo-

modum debet omnis delectatio habita in operibus & exercitio virtutum, in ignem charitatis conjici, Deoq; redofferri, quoniam ejus est. Ast oblectatio & sufficientia, qvæ operibus (qvà bonis) adhærent naturaliter, potest homo simplici modo habere sine ullâ affectatione.

Q. Quid est præterea notandum circà verbum Christi, sequere me? R. Hoc est notandum, qvod, cùm homo deserit omnia, seq; ipsum in omnibus, oportet eum seqvi Dominum cum homine externo pariter & interno in verâ sui ipsius resignatione, in omnibus modis intus & foris. Ecqvid enim habemus, quod Deus non est largitus? Si autem dedit omnia, tenemur cuncta ad eum referre tanquàm non accepissemus. Hæc non dicuntur iis, qvi sanctis imaginationibus, cogitationibus, modis, rebus & factis dediti sunt, nam qui sic occupantur, ad hos non spectat hic sermo; eos tantum attinet singulariter, qui tenebrosam viam calcare debent, ac perreptare angustam semitam, id qvod non omnibus datum est, qvoniam inter est his, ut longè aliter peregrinentur, qvàm ii, quorum jam mentio facta est. Dicendum hîc adhuc est, quomodò & ubi debeant res eas habere, cùm quædam sint facienda, quædam intermittenda: habenda sunt in potentiis sine appropriatione, quoniam natura humana inclinat semper ad habendum, noscendum & volendum, hæc sunt potentiarum seu facultatum operationes. Sex modis perficitur imitatio Dei, qvorum tres in potentiis inferioribus (sensitivâ) firmantur per humilitatem, mansuetudinem & patientiam, tres alii in superioribus (mente) per fidem, spem & charitatem. Fides deprædatur rationem excæcando & privando eam omni scientiâ, sic ut cogatur se abnegare. Accedit & sanctus humilis timor, honestaq; sancta anxietas, cum spe permixta, quæ securitati aufert habentiam, seu habitudinem. Postremò se sistit & charitas, quæ voluntatem spoliat ablatâ proprietate seu possessione ejus: hiscè in occursum properant humilitas, mansuetudo & patientia, qvæ sensitivæ hospites sunt, ad dandum responsum tribus divinis virtutibus, Fidei scilicet, Spei & Charitati.

tati. Humilitas totaliter se mergit in abyssum, ubi nomen perdit spectando suum nihil, & ignorando humilitatem. Mansuetudo privat amorem voluntatis arbitrio, hinc omnium rerum paritatem notando nil habet contrarii, virtutis suæ possessionem ignorat, æqvali pace in rebus fruitur, nam virtus essentialis facta nomen amisit. Simile quid est dicendum de patientiâ. Ejusmodi homines desiderando sitiunt passionem dehinc non recedentes propter patientiam.

Q. Quodsi verò post talem resignationem elabatur durum verbum. R. Non terreatur homo hactenùs: nam Deus ad bonum finem id ità permisit, ut tantò profundius submergatur in suum nihil; pari modo & ira accendit se nonnunqvàm, quæ & ipsa ceu digito monstrat continuandam esse abnegationem, qva homo indignum se reputat bonarum cogitationum à Deo concessarum. Summatim totum est situm in profundissimâ immersione sui in nihil abstractissimum. Neq; enim talium hominum interest alligari externo exercitio, aut modis, aut imitationibus, sicut quidem eorum interest, qui hucusq; nondum pervenerunt, qvibus hoc exercitium est necessarium, cùm & his Deus peccata condonet, Regnumq; Cœlorum ex gratiâ impertiat. Interim sciendum est hoc, qvod per hoscè modos & exercitia non tantum obtineant, qvò fiant servi prædictorum hominum, cùm sit futurum, ut eorum commercium, quocunq; pervenerint, sit valdè gratum & suave ibidem, tametsi negari neqveat, quin plenum sit periculo, nempè nón minus quàm hominis suo modo dissolutissimi. Hæc enim via est valdè obscura, atq; de eâ scriptum est sic: via viro obscura, & tene-
Job. 3. bris circumdatus est. In viâ hâc tenebrosâ persistere debent viatores abrenunciando cunctis, quæ contrà objici possunt, verbis. Quin & ipse Salvator continuò dicit: sequimini me. Quodsi qvis diceret: Domine qvis es tu, quem sequi oportet per vias tàm profundas, sylvestres, & horrendas? Responderet ei Dominus sic: Ego sum Deus & homo, eoq; plus qvàm Deus. Audi & nota quod sequitur. Si homo ad ea verba ex fundo essen-

tiali

tiali posset replicare taliter: Domine, sic ego nihil sum & minus quàm nihil: jam penè actum esset. Innominata quippè Deitas nuspiam invenit locum tàm appropriatum, ubi operetur, qvàm in fundo annihilationis. Quodsi ab ea essentiâ transformatio fieri debeat, oportet in hòmine evanescere omnes formas susceptas in potentiis, qvarum sunt cognitio, scientia, arbitrium, operatio, objectatio, perceptio, appropriatio. Paulus nihil videndo videbat Deum. Discussis cunctis formis, quæ Spiritûs fulcimenta erant, fit, ut in momento transformetur homo, & ità progrediendum est semper.

Q. Annon huc spectat id, quod dicit Propheta: Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis? R. Imò aptissimè huc possunt ea referri verba, tanquàm qvibus vocamur propius accedere semper, mergiq; profundius in abyssum ignotam innominatam suprà modos, Ideas & formas, quod fit, si transcendendo potentias totaliter amittimus, abnegamus, & deformamus nos: in istâ hominis deperditione nil aliud manet præterquàm fundum, qvod essentialiter in seipsum redit una essentia, unum merum ubiq;; hactenùs dicitur homo per abstractionem carere cognitione, charitate & spiritu. Jer. 3.

Q. Nunquid hoc est de proprietate hominis, an aliundè paratur? R. Non est de proprietate naturæ, sed provenit à transformatione quam Spiritus Dei largitus est Spiritui creato ob ejus profundam amissionem & resignationem, tunc dici potest, qvod Deus in iis sese cognoscat, amet, seq; utatur, cùm nil sit nisi una vita, una substantia, una operatio cum eo. Quod si qvis properaret ad eum modum mediante injustâ libertate seu falso lumine, id summè periculosum esset. Via autem quæ ad hunc finem ducit, est talis per venerabilem vitam & passionem Domini nostri; quoniam ipse est via per quam eundum est, & veritas, quæ in hâc viâ prælucere debet, ipse quoq; vita & finis, ad quam oportet pervenire. Ipse quoq: cùm ostium sit, qvicunq; per aliud intrat, est fur & latro. Per placidum id ostium eundum est, rumpenda natura & exercitium faciendum cum humilitate,

mansuetudine & patientiâ. In veritate ergò notandum est, qvod qvi per hanc viam non ingreditur, errat & cæcus manet, etiamsi Deus tùm præcedat, tùm pervadat eum: contrà qui viam hanc perambulant, in eos nulla potestas agit, qvia Deus ipse fecit eos liberos. Non iis est temporis otium, nec tædium; Non sic mundani homines, qui de fastidio temporis qværuntur sæpius. Qui firmitati insistunt, horum substantia quoad partem superiorem (mentem) transcendit tempus, quoad inferiorem (sensitivam) ab omni re liberati, qvalecunq́, obvenerit, non efficit, qvominus continuâ (essentiali) pace fruatur, à Deo enim cuncta accipiunt, rursumq́; Deo offerunt, etiamsi externus homo plurimùm patiatur & moveatur. Hi sunt beati homines, & ubi sunt, laudandi, verendum autem, nè valdè rari sint.

Q. Qualiter simplices homines oportet se gerere, qui studium sapientiæ sibi comparare neqveunt? R. Cùm passio Domini nostri sit Codex, è qvo desumitur omne solatium, omnis veritas, sapientia & studium omne, oportet eos librum hunc evolvere, diligenter legere, ac relegere, quod quidem si fecerint, dubium non est, quin totam scripturam intelligant, & noverint discernere bonũ à malo, verùm à falso pro reqvisito beatitudinis, adeoq́; dici solet: Qui Christum benè scit, satis est si cætera nescit. Scriptura proponit fidelibus exemplar vitæ & passionis Christi, ut habeant regulam, quà metiantur omnes vitæ actiones, eò qvod cunctis imposita est coæqvatio, assimilatio & imitatio Christi, idq́; propter Symbolum beatitudinis, quæ uti singularis sivè una est, ità qvoq́; conformitatem unius beati & beatitudine dignissimi hominis Jesu Christi per vitam ejus expressam requirit. Petrus
1. Petr: 2. dicit: Vobis relinqvens exemplum, ut seqvamini vestigia ejus. Qui Christum seqvi cupit, sic eum seqvatur oportet in amore ac vero respectu, ut nil desideret aliud præter solam ejus laudem & gloriam.

Q. Nunqvid Præcursor noster Christus exemplum nobis factus est juxtà internum, an juxtà externum hominem? R. Juxtà utrumq́;, id est, juxtà omnes partes humanitatis. Etenim benignus

nignus Salvator obtulit Patri suo cuncta qvæ unqvàm ab eo acceperat, nec ab eo qvod solam Patris quærebat gloriam ullo unqvàm facto recessit, qvanqvam internus ejus homo erat divinæ naturæ unitus sic, ut ejus respectu non cessaverit cunctorum hominum verba & facta contemplari cum discretione; non tamen æstimabat rapinam Deo similem esse, nec qvicqvam suæ omnipotentiæ seorsim sibi appropriando cuncta reddebat Patri suo qui ea donaverat. Hanc ejus oblationem & spiritualis paupertatis documentum fideliter seqvi tenentur omnes Christi Amici & fideles, ut scilicet ea, qvæ Deus iisdem committit dona patiantur saltem, Deoq; ea ad majorem ejus gloriam sacrificent. Hæc est seqvela interni hominis juxtà Exemplum interni. Qvantum autem ad hominem externum, sivè ad potentias sensusvè corporis, testatur scriptura exemplo suo nobis præivisse Christum in hoc, quod omnes pharisaicas traductiones, cavillos, omnesq; afflictiones qvibus tentabatur, patientissimè perferebat, & hujusmodi ac similium passiones multæ exercebant externū ejus hominem, & hoc ipso exemplum dedit Amicis suis, ut solum eum sequantur sub cunctis mundi exactionibus, in opprobrio & perseqvutione &c. Cùm aliter fieri nequeat cum veris Dei Amicis, quin ob hanc vitæ formam judicentur ab his qvi pharisaismo affecti sunt, qui suis modis quærunt se ipsos non obstante eorum juratâ ergà Deum obstrictione.

Q. Cùm Dominus noster suum pro nobis effuderit sanguinem, annon hoc ipso præbuit exemplum imitationis? R. Sanguinis Christi profusio exemplo nobis est, ut etiam nos fundamus sanguinem nostrum pro eo, qvemadmodum ipse suum pro nobis effudit sanguinem.

Q. Quot modis potest homo fundere sanguinem pro Christo? R. Profusio sanguinis pro Christo potest quatuor modis fieri, & quidem:

1. Fit in carne & spiritu per modum veræ pœnitentiæ Enimverò cùm homo à Deo aversus cupidine suâ aberrat, animumq; caducis rebus applicat, necessum est se hinc aversum rursus ad Deum

Deum convertat, hæc si qvà fit vera ejus aversio, veraq; conversio est, vocatur pœnitentia essentialis. Quis neget sub tàm acerbo & violento versionis actu fundi sanguinem tantò qvidem copiosius, quantò desiderium creaturarum desertarum est ardentius? Hæc quippè profusio est sanguinis inter luctandum absumtio, cùm fieri neqveat, qvin omnes, qui veram essentialem pœnitentiam agunt, luctamq́; contrà peccata viriliter aggrediuntur, tantum deperdant carnosæ & sanguineæ substantiæ, ut præ marcore pallescant, ac deformentur, utut formosi ac robusti antecedenter apparuerint.

2. Fit in sensibus externis, ut cùm eorum (puta oculorum, aurium &c.) concupiscentiæ cohibentur, sensusq; domiti in ditionem spiritûs rediguntur, qualis conversio non sine absumtione carnosi habitûs, nec sine sanguinis floridi deperditione fieri potest. Huc etiam refertur ea sanguinis effusio, quæ electorum est, cùm hi ab Inimicis Dei variè affliguntur, & sauciantur. Hîc obiter oritur quæstio: Num deceat talem perseqvutionem, ubi facilè fieri potest, devitare? R. Dari qvidem fictos sanctos, audaces, & prudentes homines, qvi nec hoc loco fugam passionis concedunt, cùm tamen nec ipsi noscant qvid fugiendum sit. Verùm tamen electi Dei Amici, (qvibus constat, quid & qvamdiu id fugiendum sit) concedunt fugam præfatæ perseqvutionis vel eâ de causâ, quod aliquandò sub innocentium præsentiâ vulnera proximi exacerbati reddantur deteriora, quo in casu tutius est ad tempus se subducere, donec cesset furor proximi: & hæc etiam est vera imitatio Christi, qvi se solebat abscondere ab improbis Judæis, ne viso vel audito Christo sibi gravius peccandi causam sumerent.

3. Fit in animâ verorum Dei Amicorum, ut cùm id quod vident malum pessimum tolerare, quia non auferre tenentur. Ecquid enim deterius esse potest eo, qvod subditi Dominum, Creaturæ Creatorem, liberati Redemtorem, Filii Patrem tantà ignominiâ afficiunt, quem tamen omni submissione venerari debent? gladius utrinq; incidens dissecat corpus & animam piorum

rum hominum, cùm isthæc Dei prophanatio summo dolore eos afficiat: nec minus affligit eos communis membrorum Christi miseria, quatenùs in propria sævitur viscera, cùm proximus proximum persequitur, cùm cogitatur quo modo alter alteri noceat, idq; sine ullâ perpensione ac pœnitudine. An potest tales homines ullum Christianæ fidei & sacramentorum documentum excusare unqvam?

4. Fit in Spiritu puro & sincero, ut cùm eidem intus proponitur bonum sum̃um, qvod Deus est, & rursus eidem subtrahitur, tanqvàm id quod à mortali ullâ creatura possidere neqvit, attamen ex eâ revelatione tantum cognoscitur fore, ut omnis amor, honor, laus & jubilatio, quam sancti & angeli omnes Deo reddunt, impar sit dignissimo Dei cultu, hinc fit, ut spiritus tantò arctius se recondat in centrum sui nihil, qvantò magis agnoscit supereminentem gloriam immensitatem & infinitatem Dei. An ergò possibile est Spiritui, ut se prehendat, quin potius se det præcipitem in eam abyssum qvæ Deus est? In dubium autem est, eam effusionem, qvà scilicet creatura se totam fusissimè mergit in Dominum Deum suum esse omnium beatissimam.

Q. Sunt autem ignavi Christiani, qvi nec ordinem nec modum discernendi, nec sensum, diversitatem, necessitatem, nec scopũ credendorum, tanto minus censum sublimium ac æternorum, præstantiam Mysteriorum, concatenatam seriem revelatorum, omnium minimè autem summi boni adeptionem curant, nec volunt considerare ea, qvæ uti putant, eos non attinent vel de quorum cognitione vel adeptione desperant ajentes, se tantũ nôsse, tantumvè credere, qvantum satis est, adeoq; manere se tales, qvales sunt, comprimis quod nihil prosit sivè sciverint, sivè nesciverint, idcircò quæritur: quid sentiendum sit de ejusmodi hominum incuriâ, quæ aliis non nisi summo scandalo esse potest? R. Hujusmodi hominum scandalo mediante totum mundum esse perversum, ac inquietum redditum constat: idcircò sentiendum est, ignaviam hanc certissimo indicio esse, quod nunquàm sint bonum sum̃um adepturi, vel saltem tamdiu eo carituri,

ri, qvamdiu averso animo id non desiderando desiderant. Quod autem hoc bonum largiatur solùm ad id conversis ac desiderio sumō appetentibus, testatur S. Scriptura, quin & sancti Patres ejus rei testimonia luculentissimè tradunt, quorum unum quod S. Bernhardi est, hîc subjunxisse sufficiat, cujus verba hæc sunt: si qvis desiderat sanctissimam vitam, eaq; propter Deum incessanter exorat, is certo certius eam impetrabit, si non statim, saltem die vel horâ mortis, vel deniq; in æternitate.

Q. Sumā doctrinæ hujus quæ? R. Sumaria doctrina sequelæ Christi est comprehensa in seqventibus Articulis. Tenentur homines, qui verbo Dei credunt

1. Subjicere se Deo, cunctisq; creaturis per humilem obedientiam. Cùm enim qvaliscunq; homo quoad defectûs suos sit similis abjectissimo homini, sequitur eum non habere jus judicandi aliorum defectûs.

2. Quæcunq; obtinuerunt bona dona præ aliis offerre ei cujus sunt, humiliter, atq; cum gratitudine.

3. Quantum in illis est, pacem habere cum omnibus suppressâ curiositate, & operis alieni traductione.

4. Evacuare se ab omni creaturarum curâ & attributione intus & extus.

5. Respicere ac in seipsos divertere ad operandum in omnibus quisq; suam beatitudinem.

6. Deum simpliciter atq; sincerè, hoc est, ex indiviso toto corde amare & observare.

7. Cavere, ne per scrutationem rerum obscurarum aut captiosarum illaqveet se, & confundat, sed potius constanter persistat in humilitate, suiq; abnegatione.

8. Acceptare à manu Dei qvamcunq; passionem sivè internam sivè externam, idq; ex amore ad Laudem & gloriam Dei.

9. Incusationes, in simulationes sufferre patienter, nec accusare eas, aut si necessitas requirit, modestè tantùm ac parcè non nisi animo simplici. Longè enim nobilius est insonter perferre insimulationem atrocioris delicti, qvàm minimi defectûs sontico coram Deo animo.

In

In hâc compendiosâ doctrinâ consistit primordium sanctitatis, quam discere, eoq; ad plenum exercere convenit ei, qvi ad majorem Sanctitatem seu perfectionem cupit ascendere. Quisquis eò pervenerit, aptus est ad progressum, sic ut scandat ad limina sublimium habitaculorum. Ibi occurrit ei adhæsio sivè adunatio cum Christo, per quam efficitur, ut homo semper cum Christo ambulet, nimirùm in terrâ & in cœlo, sicut scriptura dicit, inter cives cœli, sanctos & Angelos scilicet, inter agmina perfectorum spirituum, inter primitias Agni in Civitate Dei. Istam conversationem spectant loca scripturæ de unitate Dei hominisq; tractantia, sicut scriptum est: nec Judæus, nec Græcus, nec mas nec fœmina, sed omnes sumus unum in Christo.

Q. Cùm jam ostensum sit, qvaliter oporteat sequi Christum, qværitur insuper, num prostent exempla, & qvi nam sint, qvi vitam Christi ceperunt imitari? R. Exempla prostant, atq; eorum qui juxta normam vitæ Christi vixerunt, sunt primò Mater Domini nostri Jesu Christi, deindè Apostoli, horumq; Discipuli, posteà Martyres confessores, ingensq; turba hominum bonæ voluntatis in priscâ Ecclesiâ & sic porrò.

Q. Quia fecisti mentionem Beatissimæ Matris Mariæ, quæ plena fuit gratiæ atq; virtutum, speculum omnis Sanctitatis, dic, quæso, qvaliter fuerit comparata vita ejus, ac digna esse speculũ ad imitationem? R. Hæc beatissima Mater, qvæ Domini Ancilla erat, tenebat se toto vitæ tempore conversam in charitate perfectâ ergà Deum, sic ut sine eo nullam unqvàm Creaturam dilexerit; qvin inter charitatem ejus & Deum nulla species pro medio erat, adeò indivisa ea cum Deo charitas, etiamsi omnes Creaturas in Deo amabat. In fundum internum, ubi latet Imago Dei, præcipitabat potentias suas ad habitandum in eo templo, & adorandum ibi Deum in spiritu & veritate. Noscebat, qvàm Deum dignè laudare nequibat, eoq; desiderabat fore, ut Deus dignaretur seipsum in eâ laudare, tàm Dei forme erat fundum ejus, ut nunquam à Deo usquàm diverteret.

Q. Qualia erant ejus exercitia, quæ propter infinitam gratiam

nem ad summum usq;. Primò namq; considerabat altitudinem & omnipotentiam immensi Dei, qvam præ Angelis magis cognoscebat & hoc ipso humilimè se submittebat in suam exiguitatem. Secundò pensitabat, qvàm Dei judicia, quæ sunt profunda sicut abyssus in sapientiâ ejus, sunt creaturis abscondita. Tertiò qvàm bonitas Dei immensa sit in æternâ ejus charitate merissima origo omnis boni omnisq; gratiæ. Qvartò recogitabat super-abundantem Dei suavitatem, in qvâ acqvirebat tantam dulcedinem. Quintò lachrymabunda meditabatur humilitatem sui Filii, nimirùm quantoperè immensa Deitas humiliaverit se tàm excessivè abjectas vias perambulatum, ut se humiliorem reddere neqviverit. Sextò considerabat passionem Filii sui tàm variam ac maximam, & hoc ipsum

Primò, Faciebat cum devotâ compassione, & istæc consideratio erat similis gladio scindenti animam, indeq; Coronæ Martyrum tàm particeps fiebat, quàm ullus unquàm Martyr.

Secundò: Meditabatur passionem Filii sui vivâ sequelâ, siquidem in mente ejus versabatur, quàm charus ejus Filius continuò vixerat in passione & contemtu, ideoq; totam vitam exponebat passioni ac oppressioni tàm constanter, ut nunqvàm ejus abbreviationem expetendo æternam potius eam voluerit, si Deo sic visum fuisset.

Tertiò: Circà passionem Filii sui pensitabat, quàm perfectâ patientiâ sustinuerit passionem sine reluctatione, nimirùm ex ardenti charitate ergà nos sub spiritûs lætitiâ. Quæ omnia cùm beatissima Mater fecisset, ibat in templum recipiendo se in angulum submissis oculis extensòvè in æternitatem animo meditabatur mandata & verba Domini nostri: ibi conducebatur anima ejus in contemplationem divinam longè suprà rationem, quin & in mente suâ simul clarificabatur per cunctas potentias animales. Memoria elevabatur in simplicitatem, & firmabatur in unitate spiritûs, suprà omnes sensibiles species.

Intellectus perfundebatur claritate, in quâ cunctas cognoscebat virtutes, modos & exercitationes, insuper & scripturæ ob-

ſcuritates cum diſcretione. Voluntas erat accenſa calore igneo in charitate tranquillâ & in tranſcenſu creaturarum omnium: in hâc elevatione ſiſtebatur ſuprà modum & diſcretionem. Hîc accipiebat divinam attentionem abſtracto modo & ſpiritus perfundebatur à ſupereſſentiali fonte ſuprà omnem activitatem virium propriarum. Hîc qvieſcebat in Deo præter alia cuncta amittendo ſeipſam in complexu charitatis immenſæ, in abſtractiſſima Deitatis obſcuritate, hactenùs immediatè uniebatur unus cum Deo ſpiritus facta & exaltata ſuper creata dona, gratias & lumina in ſimpliciſſimo lumine quod ſeipſam inceſſanter renovabat in intimo fundi ejusdem, hoc eſt, in ſupremâ ſpiritus excellentiâ. Qvid quod in hoc ipſo præſentiebat futuram beatitudinem, amabat Deum æterno increato amore, à quo creata dona, virtutes, opera & exercitia cum totâ naturalitate exulare debent, ſiquidem hîc transformabatur à divinâ claritate ſuper omnes Ideas & rationem. Intuebatur quoq; æterna lumina ac Ideas ſic, prout videntur in æternitate, idq; ineffabili divinâ lætitiâ, ut ſi poſſibile eſſet totius mundi lætitias cunctas in unam colliqveſcere, nil niſi mera amaritudo eſſent in comparatione ad minimũ gaudium divinũ, quod Mater Domini noſtri hîc obtinebat. Inſuper præ cunctis hominibus habebat Beatiſſima Mater decorem ſivè ornatum quendam ſibi acceptum, ſiquidem utut in contemplativam vitam evehebatur, nil minus tamen res alias cernebat & obſervabat, externum hominem tàm exactè regendo in omnibus ſanctis modis & officiis, ut internus nil indè impediretur: erant enim ſuperiores potentiæ (mens tota) imediatè in ſuam originem converſæ, inferiores verò (ſenſitiva) ſuperioribus perfectè obſeqvioſæ ad eum ferè modum, quo Adam in Paradiſo conſiſtebat in primâ juſtitiâ. Idcircò ſub eâ contemplatione obſervabat æq; cultum externum cum magnâ devotione, profundaq; cordis humilitate ſine ullo faſtidio. Sub meridiem tandem domum reverſa accepit ſæpè ab Angelis alimoniam. Poſt meridiem ad veſperam usq; laborabat benedictis ſuis manibus, quælibet autem opera ſua qvantumvis exigua perficiebat ſub ſingu-

ſingulari reſpectu ad Dei gloriam: cùm non laborabat, loquebatur aut loqui audiebat de Deo, de vitâ divinâ, aut ſcripturam legebat. Appropinquante nocte ſe conferebat ad meditationes & cogitationes ſanctas, meditando ſcilicet perfectam vitam Filii ſui, ejusq; ſuavem doctrinam, undè cor ejus implebatur perceptibili æterna dulcedine. Poſtremò flexis genibus incipiebat gratias Deo agere pro eo, quod eam tùm illo ipſo die tùm cunctis aliis diebus tàm benignè reſpexerit, quo facto placidè ad ſomnum ſe componebat copiis Angelorum ſtipata, ne ſpiritus malignus ad lectum ejus accedere potuerit: quapropter nunquàm habebat vana inſomnia, phantaſmata, nec alias Ideas præterquàm ipſius Dei illuminationem ſub ſanctiſſimæ Trinitatis cuſtodiâ. Beatiſſima Mater Chriſti ad ſomnum ſe non diſponebat, priusquàm ſum̃o deſiderio eum ad gloriam Dei ordinaverat, taliter autem Deo unita reponebat caput benedictum ad pectus Patris cœleſtis ſuaviter quieſcendo. Cùm demum experge facta ſurgebat, tranſigebat diem conſimili exercitio, qvali transegerat præcedentem in omni ſcilicet ſanctitate & virtute.

Hæc ſunt ex parte dicta de ſanctâ vitâ Matris Chriſti, quam ideò nobis tanquàm ſpeculum præponere debemus ad imitationem, quò Deo fideliter ſerviamus, nosq; totos, quantum poſſibile, conferamus in templum animæ noſtræ; huc inſervire poteſt promotio, quæ aliter impetrari nequit niſi mediante oratione inceſſanti pro gratia & adjutorio divino, ut ſeqvamur beatam hanc Matrem, & ejus infantem, ſicq; porrò cum iisdem partem obtineamus in æternum.

Q. Nullusnè reſtat prætereà modus, quo homines Chriſtum imitentur? R. Imò etiam in hoc ſequendus eſt Chriſtus, ut quilibet antè omnia ſuam curet vocationem, qualis ea ſit, quominus negligat vivere juxtà eam. Nam & juxtà ſuam quisq; vocationem ſeqvuti ſunt Chriſtum Patriarchæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Doctores, Virgines, & alii ſancti homines usq; in hodiernum diem. Et hoc ipſo honore afficimus unà ſanctos quoslibet, ſi in verâ abſtractione cum iisdem immer-

gimur in fundum, in quo est omnium tàm eorum, quàm nostra beatitudo.

Q. Quid hîc conveniat nôsse, ne, quæso, averseris explicare? R. Qualiter Beatissima Virgo Maria seqvuta sit Filium in suâ vocatione jam est propositum: de sanctis hîc loqui expediet, quali modo quælibet Classis seqvuta est Christum. Primæ Classis sunt Patriarchæ Vet: Testamenti, qui sunt seqvuti Messiam in desiderio anxio & fide in ejus Adventum. Hi erant Deo conjuncti in sanctâ charitate & spe, atq; intrinsecùs evacuati ab omni eo, quod Deus non erat. Intereà quod possidebant extrinsecùs, participabant cum populo electo adhibitâ omni curâ, ne quà deficeret, undè Messias nasceretur, adeò nil suo appropriabant corpori, quo minus adjuvâssent cunctos eos, è quorum ge-
Apoc. 7. nere is fructus erat nasciturus: hinc legitur: Eorum qvi sic seqvuti sunt, è quolibet tribu fuisse signatos 12000. præter multos alios, quorum non erat numerus.

Secundæ Classis sunt S. Apostoli, qui post Nativitatem Christi tales exstiterunt Imitatores vitæ Christi, qvi & cum eo versati, ab eoq; conducti fuerunt in viam longè sublimiorem, nimirum ad majorem perfectionem. Nam hi non solùm cuncta deseruerunt quoad internum fundum, sed etiam quoad externam possessionem professi totalem paupertatem tùm corporis, tùm spiritûs, idq; in supremo gradu.

Hos est seqvutus infinitus sanctorum Martyrum numerus, qui non solùm deseruerunt bona externa, verùm etiam vitam nullo mortis modo unqvàm excepto, per quem placuerat Deo se glorificari.

Prægrandis est Classis ea, quæ seqvebatur, Confessorum scilicet, Eremitarum & Doctorum, qvi multi modè vocationem suam seqvuti nomen Domini celebrârunt. Eorum non nulli dilexerunt Deum in abstracto veritatem intus attentè observando, ac verbo æterno, quod in illis loquebatur, silentiosè auscultando; ideò quod ex re erat abstractè vivere, fugiebant in loca deserta, inq; speluncas: alii vicissim ædificando sanctam Christiani-

ſtianitatem prædicârunt, docuerunt, ſcripſerunt, hæreſes oppugnaverunt, ſemper parati ad ſeqvendum Deum quocunq; voluerit, ſub reſignatione omnium rerum, quæ Deus non ſunt.

Eſt alius cætus valdè celebratus, nimirum ſanctarum atq; caſtarum Virginum, quoad corpus & animam im̃aculatarum. O quàm admiranda eſt iſta corporis immobilitas, virtus verè angelica, ſi quà Deus tantoperè dignatur hominem, ut in eo veſtitu inveniatur, in quo & ipſe pariter ac Beatiſſima Mater ejus voluerunt incedere rejecto quovis ornatu alio: dubium eſt, an talem hominem ulla res qveat contriſtare, ullum damnum aut opprobrium confundere, quoad is ob ſuum quem poſſidet theſaurum ſemper exhilaratur. Hîc obiter dicendum eſt, opus eſſe, ut, qui theſaurum hunc in ſuo pretio conſervare deſiderat, pugnet patiendo nec averſando vulnera, qvæ cordi ejus infligunt ſimul & ſenſus & naturæ, mundi hoſtiumvè perverſitas. Noſcendũ quoq; circà hoc eſt, quod quilibet impulſus tentationis generat novam puritatem, ſi quà ſeipſum tunc homo obſervat, & hæc eſt merces ſivè prœmium tentationis: Utinam ad eam mercedem ac generationem attenderent homines.

Poſtrema cohors eſt reliqvorum ex plebe hominum, qui in virtute vivunt & progrediuntur, qvoniam & hi ſervantur per fidem, per paſſionem & meritum Chriſti atq; per comprecationes Amicorum Dei: verùm & his opus eſt expurgari ac præparari per varias paſſiones.

CAP. VI.

De veris Dei Amicis & Servis.

Q. Cùm in præfatis oſtenderis, quod eorum qui Deo ſolùm ſerviunt, & hactenùs in Amicorum Dei numerum recipiuntur, officium conſiſtat in vitæ Chriſti ſequelâ, noſcere cuperem

rem adhuc, quid habes teſtimonii (exempli) de S. Martyrum imitatione, quà Chriſtum glorificaverunt? R. Pater cœleſtis ſingulariter dignatus eſt Martyres eo dono, qvo facti ſunt conformes Imagini Unigeniti ſui Filii mediante cruciatu & amaritudine pretioſi calicis, è quo biberunt, ſicut ipſe bibit eum, hoc eſt, qvod paſſi ſunt Martyrium voluntariè propter gloriam nominis ejus, id qvod iisdem ſingulari ceſſit honori, eò quod per gratiam pertigerunt ad eam dignitatem ad quam evectus eſt ipſe Chriſtus per Calicem diriſſimæ paſſionis & mortis. De magnis iis Heroibus, Deoq; chariſſimis circumfertur adhuc teſtimonium priſcum, quod Calicem Domini biberunt, & Dei Amici facti ſunt.

Q. Quotuplices ſunt qui mediante Martyrio ſeqvuntur Chriſtum? R. Duplicis generis ſunt: Unum eorum eſt, qui Martyres fiunt extrinſecùs per gladium, ignem, aut alterius modi occiſionem: alterum verò eorum eſt, qvi martyrizantur intrinſecùs per charitatem morientem (mortificantem). Nam & hi fiunt Amici Dei, qvi paſſionem Domini noſtri probant mediante dignâ pœnitentiâ in vitâ moriente, ad quam eſt opus paſſione.

Q. Paſſio vitæ morientis quomodò dividitur? R. Bifariàm: Una namq; eſt externa, qua quis reſiſtit cunctis cupiditatibus
Gal. 5. reatum facientibus juxtà id quod Paulus ait: Qui Chriſtum attinent, crucifixerunt carnem ſuam cum omnibus concupiſcentiis ejus. Altera paſſio eſt Spiritualis anxietas, preſſura, macilentia, ariditas ſeu privatio ſenſibilis gratiæ, ut cùm homo ſe ipſum paulatim deperdit ſic, ut nonnunquàm cogatur ad Deum hactenùs divertere. Ità cenſent nonnulli deperdita tunc eſſe omnia, cùm intellectionem ſublimem, comprehenſionem, perceptionem & devotionem non habent. Aſt ſicut iſtiusmodi ſenſibilis ſufficientia competit principiſtis ſeu inſtantibus; ità viciſſim parvi æſtimantur ab iis, qui nobiliſſimam charitatis virtutem habere deſiderant. Tametſi autem verum ſit, quod ea facit præparationem ad alteram, per ſe tamen ipſa eſt valdè exigua.

exigua. Veri Amatores si quà inveniuntur, sunt pauci; multi quidem cupiunt sequi Christum, ast solùm propter suavitatem, qvam nî degustent, niq; trahantur per vulneratam charitatem, non volunt seqvi Deum. Notato historiam. Vidente Deo, eos ad se atq; sui sequelam trahi non posse nisi per suavitatem, allicit eos mediante vulneratâ charitate, ut sic conducti ad charitatem captivam neqveant evadere. Quo facto inflammantur â furiosâ charitate, quæ tàm fortificat eos, ut nil non audendo ad gloriam Dei se dent præcipites in passionem & opprobrium, quod illis à Deo mitti potest, atq; sic offerant se in abyssum Deitatis summâ cum pœnitudine dicendo: O Domine, si nos servare vis, aut perdere sicut est in tuâ potestate, fiat voluntas tua in nobis. Quò cùm pervenerit homo, adeptus est totum id qvod eò spectabat, quin etiam Deo perindè est, qvo modo quis eò venerit. Ut autem Deus omnem animam ad se traheret, hinc elargitur sua dona uberrimè, suaq; gratiâ tàm amicè nobis inservit, undè oportet noscere, hoc tantùm fieri ideò, qvo anima se Deo offerat in omni resignatione sine aliquo effugio aut contradictione, ex quo se sentit trahi per gratiam, & suavitatis perceptionem. Notandum est etiam, subtractâ suavitate si anima rursus in arida deserta statuatur, futurum esse, ut Deus eam super alium gradum constituat, utpotè qvod Deo suetum sit auferre, quod largitus est, & sibi ipsi relinquere hominem in opem & miserum eo fine, ut discat resignare, & nuspiam acquiescere præterqvàm in solo Deo.

Q. Cùm passionis atq; Martyrii sequela consistat in verâ Dei charitate, dic qualiter homo ad eam perveniat? R. Via per qvam homo tendit eò, duplex est: prior quidem habet delectationem (suavitatem) in gratia Dei. Placet hîc homini se fatigare in bono Exercitio, & Deus id sic efficit, qvo magis carnalis voluptas extinguatur, ipse autem ex charitate se obliget. Ea obligatio consistit in hoc, cùm animo virili contemnit quasvis delicias temporales, eas præ magnitudine charitatis tàm pauci æstimando, ut alios homines qui hoc observant, in admi-

rationem rapiat: hujus exempla refert multorum ſanctoru vita, de qvibus legitur, quàm feſtinanter ſe à mundi gaudio commoditate abſtraxerint, ut aliis mirum viſum ſit: hoc pro cul dubio dicendum eſt à Spiritu S. factum per charitatem potentem. Poſterior via habet deſertionem & paſſionem, quatenùs homo (ut antè dictum eſt) omni privatur ſolatio. Exinde naſcitur ſpirituale hujus materiæ robur, nimirum è ſterilitate devotionis, ideoq; tametſi ſpirituales hujuſmodi Martyres ſint variis ſubjecti paſſionibus, nihilominus amant Deum, nec minus qvàm alii veram intendunt virtutem.

Q. Quid agitur cum his pauperculis? R. Sollicitâ curâ anguntur in hâc vitâ, cùm neſciant, quò ſe ob eam calamitatem vertant, nihilominus innituntur fidei, ſpei & charitati in denſâ caligine. Nolunt enim peccare ob qualemcunq; cauſam, cor contritum & humiliatum in ſe gerunt, ab aliorum hominum gratiâ cruciantur, non quod illis invideant eam, ſed quia putant ſe propriâ ſuâ culpâ carere ſimili gratiâ, tanquàm quod non promereantur eam: quid quod & accidit his, ut quò majorem adhibent operam, hoc magis intus arefacti rigeſcant, ſicut non nunquàm nequeant habere patientiam, ſiquidem de hinc magis excruciantur. Imprimis ſibi videntur hactenùs gratiam invidere aliis, undè augetur cruciatus; quin & defatigantur adeò, ut quid ſit faciendum ignorent. In virtutibus nollent ſe Deo infidos exhibere, aſt qualiter eò accedant, ignorant, vel etiam videtur iis, quaſi Deum irritent per impatientiam, deſperationem aut puſillanimitatem, cujus eos ex corde pœnitet, nam omnia peccata oderunt, eò quod noſcant ſola peccata eſſe Deo adverſa. Tandem autem componunt ſe ad patientiam licet quàm difficulter; viſo etiam quod ultrà neqveant, linqvunt ſe perferendo, donec mittatur a Deo mutatio. Hic modus eſt quem Deus uſurpat, cùm reſignationem docet in ſubmiſſione, cùm facit, ut homo ſe teneat ſub Deo in cunctis rebus, quatenùs per hoc fit illis æqualis qui abundant gratiâ, imò & aliquo modo præſtantior, eò quod gradus hic eſt Chriſto ſimilior, cujus vita ſemper erat plena

na passionis. Quapropter de Martyribus hiscè spiritualibus dicendum hoc est, quod censeant se esse omnium qvi vivunt, pauperrimos, cùm tamen apud Deum sint ditissimi, videntur sibi esse dissitissimi, cùm Deo sint propinquissimi, quasi abjectissimi, cùm Deo sint electissimi: sunt juxtà sensum eorum Deo infidissimi, quanquàm sint fidissimi, Zelum habent ad gloriam Dei promovendam, ejusq; contumeliam impediendam, tanquàm propter qvid hæc omnia patiuntur. Ob istam paupertatem tentatos se sentiunt vari modè, non tamen consentiunt, tametsi graviori passione afficiantur quàm ipsa mors est, maximè si qua in parte se victos intereà opinantur. Defectûs suos cupiunt superare pariter & exercere virtutes; sed id perficere nequeunt: hæc & similia sæpenumerò tantos in iis excitant cruciatûs, ac si infernũ paterentur. Hoc ipsum autem non aliundè provenit nisi à magnâ fidelitate & charitate, quam ergà Deum habent in corde suo, tametsi id nesciant ipsi. Etiamsi pro omnium pessimis huminibus se habeant, sunt tamen coràm Deo purissimi. Ast eo ipso non nunqvàm Deum contrà se provocant, quod eam passionem immensum extendunt, id quod Deus quandoq; ulciscitur, cùm eos permittit prolabi in impatientiam aut alium quemvis defectum, qui puræ adversatur charitati: eò sanè non proruerent, si verè resignâssent. Nam tenebantur in eâ acquiescere, eò qvod sic præ aliis magis proficiunt, id autem cùm secùs fiat, se ipsos privant eâ mediante angore, & malè ordinatâ tristitiâ. Hoc provenit partim ab ignorantiâ fructûs hinc pronascentis, partim à propriâ irresignatione, quatenùs sunt incapaces passionis aut durationis ejusdem impatientes. Proindè debent scire hoc, quod tantùm passionem, nî satis sustineant, prolongant majori sub aggravatione, præter id quod brevi se privant fructibus è voluntariâ passione, & iñocentiâ succrescentibus, qui tantò præstantiores essent illis, qvantò se gerunt simplicius; siquidem verissimum est, qvod hanc obscuram noctem seqvitur lumen clarum, quod fundum internum illuminat cum veritate æternâ, & hujus doni redditur intus certus per Deum (non coràm mundo)

ità ut queat pervenire ad fummè puram charitatem, ubi fe deferendo perdit propter Deum cum omni eo qvod fuum eft, factus cum Deo una charitas, quam nemo deftruere poteft.

Q. Dignare his addere, quid adhuc reftet nôffe de Martyrum fpiritualium beatitudine? R. Recogitandum eft fæpè, quàm fit immenfa & ineffabilis lætitia, beatitudo & gloria, quam obtinebunt, qvi clarè ac immediatè vifuri funt faciem Dei, ac fruituri fummo bono, quod Deus ipfe eft, qvatenùs in Deo eft, & includitur omnis delectatio, potentia, lætitia, & pulchritudo. In Deo itaq; poffidebunt, qvod bonum & defiderabile eft cum æternâ lætitiâ & fecuritate, immutabuntur, & nunqvâm à Deo feparabuntur. Immenfam oportet fore lætitiam, cùm intuebuntur SS. Trinitatem, clarificatam Chrifti humanitatem, S. Mariam Matrem ejus cum exercitibus Angelorum juxtà ordines eorum, omnes Patriarchas, Prophetas, Apoftolos, Martyres, Confeffores & Virgines cum fanctis omnibus tàm inter fe concordibus, ut etiam, fi effet poffibile fanctus in Cœlo quàm maximus libentiffimè participaret fuam lætitiam cum fancto minimo; viciffim & hic offerret fuam fancto fummo fine inviâ: adeò non eft concipiendum, quàm potenter accendantur in Charitate Dei. Defumendum hinc eft, quàm fint dementes homines, qvi animum applicando ad exiguam carnalem voluptatem, bonum temporale aut gloriam, oblivifcuntur, perdunt, repellunt æternam beatitudinem. Addi quod voluifti, addidi, addere autem liceat & hanc monitionem: Anima perpende hoc fummâ induftriâ, qvamdiu es in ftatu gratiæ, operare bonum; ne perdas æternam lætitiam, nulla in toto mundo res fit propter qvam velis perdere æternam Amicitiam & Charitatem Dei. Feftina, non dimorare, virtutes properanter exerce, nullius laboris te tædeat, in hoc momento temporis defuda fideliter ad acquirendum bonum æternum. Summâ enim diligentiâ eft advertendum, quod omnis paffio, triftitia, adverfitas, & miferia hujus mundi eft quàm exigua in comparatione ad vitæ æternæ gaudium, ideò valdè conveniens eft, ut mediante fanctorum omnium

omnium qui eo usq; pervenerunt, justâ probâq; vitâ Ideam tibi præfingas & tanquàm exemplar præponas quod imiteris, hactenùs quoq; pretiosissimæ mercedis eorum te reddas participem. Perpende anima, quanta gloria, lætitia & dignitas sit in Civitate Jerusalem cœlesti, in congregatione sancta; omnes autem sancti invenerunt viam securam, per quam ambulando emigrârunt ex hâc miseriâ ad vitam cœlestem. Qui eos imitantur, sunt veræ resignationis homines, qui & hoc peculiare habent (juxtà Christi effatum) quod eos seqvantur quinq; signa. Primũ est, qvod fugent dæmones in nomine Jesu, idq; sic faciunt omnes, qvi emoriuntur peccatis mortalibus verâ mediante pœnitentia. Secundum est, qvod novis linguis loqvantur, idq; sic faciunt omnes, qui deserendo verba inutilia & prava loqvuntur utilia, puta Verbum Dei, Evangelium, Orationes devotas, qvi peccata corripiendo erudiunt, ac emendant peccatores. Tertium est, quod sine noxâ super serpentes ambulare possunt, idq; sic faciunt, qui resistendo exstirpant malignas cogitationes. Qvartum est, quod hausto veneno lethiferi nil sentiunt, id faciunt, qvi propter Justitiam patiuntur opprobrium & perseqvutionem, ejus namq; venenum nocere neqvit, si patienter sustinuerint. Qvintum est, quod manus imponent infirmis, undè sanentur, id faciunt, qvi suis hostibus ex corde condonant prævaricationes, qui & eleemosynis subveniunt pauperibus. De cunctis his, qui qvinq; præfatis signis obsignantur, potest dici, quod sunt fideles Christiani, qui assumentur à Christo in vitam æternam.

Q. Quo signo dignoscuntur veri Discipuli, Servi & Amici Dei?
R. Dignoscimus eos dehinc quod serviunt Deo in veritate, eumq;, qvò traxerit, seqvuntur: qui tales inveniuntur, sunt Dei Electi.

Q. Indica modum, quo Deus trahit eos non sic trahendo alios?
R. Non potest certus assignari modus, quia non uno modo, viâ, opere trahuntur, sed pluribus: ast ubi Deus ipse est, ibi omne opus, via, modus est, Deus autem in omni re bonâ est. De Dei servitio noscas velim hoc, quod non veraciter Deo servit, qvi nescit

Digitized by Google

nescit servire aliter, nisi pro modo propriæ suæ institutionis, sivè consideres orationem, sivè spectes alia, indè enim oritur ea confusio, qvod nihil præstare possunt, si absq; consueto eorum modo sit. Quin, etiamsi Deus eos vult trahere per aliam viam, figunt pedem, suosq; flectunt sensus ad res circumsitas, sibiq; proximè objectas. Non Servi Dei sunt, sed homines nondum præparati, qvi sic à Deo se avertunt, cui è contrà servire debent ubiq;, omni modo & opere. Quodsi Deus in omnibus rebus est, isti verò homines non simpliciter in iisdem Deo serviunt, neq; intus eum veraciter sibi præfigunt, non potest fieri, qvin diversificent Deum, atq; eatenùs privent pace tùm opera, modos, tùm loca ipsosq; homines.

Q. Quænam est causa animi tàm dispersi (humanæ confusionis)? R. Ea, quod Deus non est essentialiter radicatus in fundo animæ (mente), & qvod homo tantùm habet excogitatum (fictum) Deum, ad suos modos relatum, idcircò qvamprimùm ei modus excidit, elabitur quoq; præsentia Dei; hinc autem constat, qvod non est verus servus, qui Deum seqvitur. Est præter hanc & alia causa, nimirùm, quà homo se diffundit adhærendo rebus, qvæ sensibus ejus obversantur, cùm tamen hoc neutiquàm fieri debeat, quatenus is, qui à multiplicitate non vult in diversum trahi, concedat opus est rebus sensibilibus suum fluxum, transeatq; per eas tanquàm per aliquid quod nihil æstimatur, qvicqvid accidit, excidat iterum, cùm nil sit usq; affectandum, præterquàm sola necessitudo pro tempore præsenti requisita; qvid qvod nec mora velut pro colloqvio concedatur intus Creaturis nec locus, ubi non est ad Deum pura intentio, liberum autem & vacuum se teneat qvasi dicendo: Qværo, intendo, venorq; solum Deum, qvicqvid venit obviam, salutet & benedicat Dominus, ego pergo qvò tendo; ast quid mihi magis posset esse infernus aut Spiritus malignus, quàm quod non amo eum, ad qvem contendunt cunctæ Creaturæ? Oportet cunctas hominis potentias perrumpere casûs, eosq; in Deum detrudere, sic ut quod tenet prosperum vel adversum, non eum attineat, quod

quod autem non attinet non judicet, sed fluxu concesso Deum sequatur candidè. Fit ergò, ut homo qvælibet sua opera possit facere sine sui extraversione, utq; Deus maneat ei præsens in multiplicitate, sicut & ipse in seipso nil diversificans manet, cùm scilicet, uti dictum, animus nuspiam hæret nisi in solo Deo.

Q. Quid si contrà Voluntatem aliud quid præterquàm Deus accidat inter operandum? R. Qvamprimùm homo operans advertit hoc, opus est, se elevet operationis vertendo navim remo discretionis. Quod si enim Servus Dei opus suum non incipit perverso modo in eoq; persistit, quicquid diversitatis in ejùs opera modosvè inciderit, non hactenùs diversificat, aut impedit eum, quin etiamsi Deus non ei usq; adeò præsens esset in ratione, potissimùm tamen inest intus in mente ejus; in dubium quippè est, nec opera nec accidentia posse inqvietare hominem, dumodò non irruant defectus, aut Creaturæ.

Q. Quid si vel opera vel modi inqvietant? R. Incumbit noscere, undè veniat (num ab ipso homine, an à qvoqvam alio) qvod ei deficit verum fundum, quod opera non sunt benè facta, qvod labor ejus non est directus ad solum Deum, quamprimùm ergò invenit homo, qvod Deus non solus in est ei, necessum est cunctis allaborare viribus, ut eum rursum acqvirat ejectis qvæ eum impediunt rebus, qualescunq; sint, qvalitervè nominentur.

Est autem cum eo comparatum sicut cum homine, cujus in corpore infixum est telum tàm profundè, ut sine dolore eximi neqveat, quod si præ metu doloris non extrahitur, neqvit fieri, quin cruciatûs atrociores subsequantur, carne scilicet postsaniem in putrilaginem abeunte. Haud absimiliter, si aliud qvid intus in homine est præterqvàm Deus, aut cujus Deus non est vera causa, non est locus ejus in eo, & nisi primus dolor sustineatur, qvicqvid sit, sequetur major, hoc est, væ infinitum, quod omnem sensum humanum exuperat. Oportet igitur, ut purè Deum intendat mens, nil aliud, utq; homo se sistat aptum, ac præparatum in cunctis modis & factis suis, qvasi sic dicendo: Domine, si possem tibi gratum qvid referre ubiq; & inter omnes

mnes homines, ad id conferrem me qvàm humillimè; ast ... qvod proximè perducit ad Deum, homo possit eligere, opor... eum recipere id in charitate eligendo fugam diversitatis, v... busq; collectis viriliter sese vertendo intrò in seipsum. Sic de... homo servire Domino non juxtà suam, sed juxtà Dei voluntate... in omnibus rebus, foris & intus, operando & non operan... Nam qvisqvis Deum non habet intus in fundo suo, tutus n... est, sed in periculo versatur tanqvàm solitarius juxtà scriptu... dictum: Væ huic, qvi solus est, cùm cadit, non habet, qvi ele... eum. Verè solus autem est homo, qvi Deum non habet in... nimâ suâ, & in suo negotio: qvisqvis autem se benè munivit cu... Domino nostro, ejus salva est munitio, id est, mens ejus, sic... nullus hostis valeat superare eum.

Eccles: 4.

Q. Qvid si homo Deum taliter præsenter trahit in anim... suum, dic qvid indè subseqvitur? R. Ejusmodi homo habet... cunctis rebus cum Deo sufficientiam, omnia quoq; fiunt hacten... ei via ad Deum, qvatenùs sunt bona & suppletiva imparitatis, si... deniq; sivè locus, sivè opera, sivè homines. Qvi Deum re... in se habet, proficit magis magisq;, qvin Deus ocyus acqviritu... sic, qvàm in paritate, quamvis natura magis aggravet. In disp... ritate opus est magnâ diligentiâ mentisq; conversione ad Deum, sic ut studiosè consideret, quale quid sit objectum suum in operando, qviescendo, in prospero, in adverso, taliter non est in paritate, sed qvicqvid ibi fit, fit suâ sponte per mortificationem & captivationem hominis. In eo disparitatis objecto advertit homo qvàm optimè, num sit fidelis Servus Dei, quin ejus insuper admonetur ibi; hinc si quà sibi excideret in ipsâ paritate, non diu se sic detineat opus est, potiusq; id suæ tenuitati adscribendo se rursus in Deum subitò vertat profundâ cum humilitate, qvò citius eò melius, nam brevi futurum est sic, ut sit æqualis. Neq; enim consultum est homini, ut suorum defectuum considerationi incumbat diutius, qualiter scilicet eò delapsus sit, qvid contrà faciendum fuisset: nam hoc ipsum detinet eum in injustitiâ. Qui tutus vult esse, convertat animum ad Deum sine morâ: si dispar factus

factus est, quî poterit ad paritatem redire felicius quam in Deo? quomodò potest effugere mortem fidentius, quàm mediante verâ essentiali vitâ, qvæ Deus ipse est? Et ubi potest homo magis incalescere, qvàm si ad ipsum accedit ignem? itá est in Deo.

Q. Siccinè dicis, omnia esse simpliciter Deo commendanda? R. Tenetur homo cunctas res suas Deo simpliciter imponere, eiq; soli commendare, qvoniam sic est futurum, ut Deus ei quam optimè provideat, sed huc reqviritur fiducia, ut homo confidenter recipiat omnia tanqvàm donum optimum, cum qvo contentus sit. Quodsi enim homo seipsum in verâ fiduciâ Deo offerret, futurum est certo certius, ut Deus eum intus & extus conservet infinities melius, qvàm omnes Creaturæ facere possent, utpotè qvod Deus plenus est gratiæ & veritatis, qvicqvid fiducialiter in eo quæritur, invenitur largius. Et sicut nemo Deum potest amare nimium, sic nec confidere potest nimium, dummodò fiducia & intentio est vera, simplex, & bona: Contrà verò, cùm homo non fidit Deo simpliciter, fit etiam, ut eo tempore, quo multa curare & operari præsumit, Deus multoties eum tradat *miseriæ*, eo fine, ut videat, quousq; proprio suo pertingat adjumento.

Q. Priusquàm in hiscè pergas, dignare, quæso, dicere, quid Author noster velit intellectum per paritatem & disparitatem? R. Per paritatem hîc est intelligendum id, qvod vocamus unum idemq;, sicut res qvælibet, qvæ nobis tractanda est, vel opus quodlibet quod alio plus æstimatur, non habet eam præcellentiam, pretium & æstimationis differentiam intus in mente, qvam obtinet in sensu communi, sicut (per exemplum) vinum non præferatur aquæ, lautum epulum buccellæ panis, aurum ferro (quod simplex etiam natura edocet) pretiosum donum ignobili, ingens labor parvo &c. sed ut per omnia transeat mens tanqvàm per umbram aut acervum, cujus partium diversitatem sola noctis caligo tollit reddendo eum identicum. Nam cùm nil judicet mens præferendum, dum solum Deum ubiq; quærit, pretium verò rerum notabilem faciat diversitatem, hâc ratione

diversitas ea dicitur menti inæqvalitas, imparitas, quam dum ut summum impedimentum præterire, aut negligere satagit, subest hinc ratio paritatis, seu æqualitatis, qvasi præter unum pretium nullum intelligat aliud, nimirùm respectu creati seu Creaturæ, cuncta alioqvin inclusivè pro pari æstimando sic, ut omnia simul aut seorsim sint menti unum & idem, quæ aliàs naturæ sensuali diversa sunt, convenit ergò hîc naturæ imparitas, diversitas, menti verò paritas, identitas. Hæc obiter.

Q. Dic, ubi docetur, qualiter boña fides, pax & lætitia qveat inveniri in cunctis operibus, modis & locis? R. Docetur & invenitur in intimo, hoc est, animo in fundum converso: hoc ipsum autem reqvirit à principio vacuitatem, tempus & locum, qvatenùs è vero interni hominis fundo crescit arbor cum ramis & fructibus. Enim verò in vacuitate internâ revelantur homini clarissimè tum viæ & modi ad Deum, tùm etiam modi & viæ Dei ad hominem, quæ & tantò veracius cognoscuntur, quanto sunt frequentiores. Hinc ubi homo defectum horum vel in se ipso vel in aliis deprehendit, noscat, hanc viam ideò defecisse, quia nec tempore, loco, & vacuitate usus est eò, nec etiam intus eam viam veraciter quæsivit. Sunt autem noñulli homines, qui toto vitæ decursu sub spirituali apparentiâ vixerunt in spontaneis institutis parum curando, num in iisdem institutis Deum reperiant necnè; interim autem falsò putant se vivere in resignatione, quæ opinio est vana, pœnosa incuria, cui perfacilè junguntur & alia, quæ Deo locum derogant, impedimenta, sivè ipsi sint ejusmodi, sivè quævis eorum alia. Quàm impossibile est, ut homo vivat sine animâ, tàm impossibile est etiam homini nil intimioris habere quod amet, sivè nôrit id, sivè ignoret. Sic homo cæco modo progreditur, qui infructuosè suæ iñititur apparentiæ aut bonis, quæ facit, operibus non observato fundo suo, sic qualitercunq; putat rectâ se processisse viâ, si tamen sub vitæ exitum in peccato mortali obdormierit, vadit in mortem æternam, quia non ambulavit in viâ, quæ Christus est. Hic enim cùm dixit: Ego sum Via, Veritas & Vita: certum est eum, qui non ingre-

Joh: 14.

ingreditur per hanc viam, esse deceptum. Est autem pergrande nefas & turpitudo, quod, cùm tàm multa alia cognoscit homo, se ipsum tamen unà cognoscere non vult. Nemo enim salutem suam ponere debet in aleam dubitationis, si non aliâ saltem summi periculi causâ, nec opinari licet, sed certò scire oportet, quàm Deus sit ei familiaris in corde suo, quàm etiam sit ipse desideriosus versus Deum. Si quà verò hæc certitudo deest ei, quærenda est inter sanctos & sapientes homines, ità ut eruditus non opinetur, sed certò sciat, qualiter cum eo sit comparatum, qvoniam hoc est certissimum, quod qvicqvid homo hîc negligit, in æternum non recuperabit, etiamsi omnes sancti, ipsa Mater Dei & cunctæ Creaturæ Deum cruentis lachrymis exorarent, adeò non possent post hanc vitam vel tantillum mercedis essentialis promereri homini, præter id, quod homo ipse apud Deum suo tempore sibi commeruit. Ejus exemplum exhibet S. Scriptura: quoniam quæ præparatæ erant virgines, ibant cum sponso ad nuptias, quæ verò se tunc præparare volebant, his sponsus jurabat in veritate dicens: Non nosco vos. Quid, non noverat eas Dominus? Non sic eas noverat, sicut suos novit familiares, Amicos, qui proximè coram oculis ejus stant, qvoniam nimis tardè venerant, idcircò utut pulsabant, non aperiebatur iis. Hinc dicit Augustinus: quod nulla res tàm certa sit prout mors, nil tàm incertum quàm hora mortis. Hoc ità cùm sit, nil mage necessarium est, quàm semper eò paratum esse, ac scire, non opinari: non propter quædam opera solùm sumus in hoc tempore, sed propter istam causam, id est, propter essentiam eam, è quâ manare debent opera sicut ex arbore fructûs.

Matth. 25.

Q. Dic ergò, qualis in tempore debeat esse maxima nostra cura & impendium? R. Eà, quà plus virtutum essentialium adipiscendo feramur propiùs ad perfectionem. Quotusquisq; ergò est, qui prius se ipsum probè attritum in animo suo potest suprà tempus extollere in voluntatem Dei, totamvè suam vitam ordinare in Dei Amicitiam, eum non diversificant, dis-

pergunt, aut impediunt res, quas tempus hoc habet, aut quæ à tempore accidunt, qvatenùs per eas tantùm meritò compellitur ire: Humanus animus, internaq; conversio, qvo magis annexa sunt Deo cum sincerâ intentione, hoc magis redditur homo pacatus, æqvalis ac ordinatus in suis negotiis insuperq; in bonis suis operibus manet expers confusionis. Nam veracissimum signum probi hominis est, si omnis ejus negotiatio sic instituta est, uti tunc vellet, cùm corpus terræ mandatur, fore, ut etiam anima ejus sine morâ sepeliatur in Deitatem imperscrutabilem; siquidem tantùm ejus rei causâ sumus in tempore, nullius præterea: contrà qui hoc hîc negligit, neglexit id in æternũ. & cujus est inscriptio, ei traditur nummus absq; contradictione. Ut ergò non negligatur hoc oportet, ut qvivis homo inspiciat sæpesæpius in fundum suum internum, quotidiè diligenter pervestigando, qualis sit ejus inscriptio, quid sit quod eum plurimùm solari, exhilarare, movere ac contristari queat, quid ibi sæpius reperiatur, quantus sit amor ergà Deum, ergà omnia divina, ergà Amicos Dei, ergà cultum Dei, quomodò animus, voluntas, verba, vita sua sit ad Deum conversa, num plus habet delectationis in proprio commodo, honore, bonis, amicis qvàm in divinis rebus; deindè etiam, quid majori respectu in eo diligatur, num Deus sit, à qvo possidetur ejus animus, cor, anima, qvod potissimum est objectum sui desiderii, intrinsecùs forinsecùs, ejusdem est cum suâ inscriptione, sivè tradetur ei sine ullâ contradictione. Qvisqvis hæc perscrutatur mediante verâ discretione, acquirit non opinionem, sed veram notitiam ejus, qvò ipse pertineat. Verum enimverò in cujus fundo amatur aliud quid, qvàm solus Deus, aut cujus Deus non est vera causa, sivè homo ipse sit, sivè aliud quidpiam, qvàm parvum etiam sit, cùm tamen persistat in homine cum voluntate & notitiâ, nunqvàm Deum anima veraciter accipiet, etiamsi possibile esset homini hactenùs fundere tot lachrymas, quot aquæ guttas pergrandis habet oceanus, nil planè juvat, qvin potius carendum est, qvamdiu durat æternitas.

Q. Jam

Q. Jam video, quæ ſint commercia mundi, qvàm miſeri homines viſupollentes aliàs, ſeipſos excæcant nolendo callidam obtueri (obſervare) naturam, qvæ tàm occultè obſeſſa eſt à Creaturis, tùm & à ſe ipſâ, hactenùs ubiq; ſe ipſam qværens in Deo & Creaturis, dic ergò, amabo, adhuc ſemel in compendio, qvid tibi factu opus videatur? R. Conveniret homini impoſterum feſtinare inceſſanter, cùm tempus qvod reſtat ſit valdè exiguum, id autem quod Dei eſt, quàm parvum etiam ſit, plus boni habeat in ſe, quam omne bonum habet, qvod hîc inferius eſt. Breviter hinc dico, proſpice, circumſpice foris intus, Deumq; ſincerè intende offerendo ei cor liberum, vacuum, expers curarum, quò Deus prænobile ſuum opus qveat exeqvi.

Q. Quî venit autem, quod Deus Amicos ſuos tàm frequenter ſubjicit Cruci? R. Immenſa Dei charitas & miſericordia eſt ea cauſa, propter quam Deus electos ſuos temporaliter cruciat, angit, premit, multisq; occultis modis afficit cavendo, ne quid in tempore diligant nimium, ſic enim impeditur Diabolus, ne poteſtatem in eos unquàm obtineat. Quoad modum excruciat Deus etiam unum ſic, alium aliter, unum plus minus alio, prout unicuiq; eſt neceſſarium, prout etiam unusqvisq; divinæ gratiæ Capax eſt, & hinc in unaquaq; paſſione debemus nos æqualiter habere, prout Deus permittit, adhæc non omnibus incidentiis noſtris credere debemus, nî habeamus verum divinum teſtimonium à Deo aut ab Amicis ejus, undè plus pacis obtinetur. Sæpè cùm volumus vitare dimidiam tentationem, (paſſionem), labimur in eam pronâ facie. Aſt niſi tàm inſipientes eſſemus, ſed noſceremus, quantoperè nos minima tortura (paſſio) religet Deo, quàm magnam æternamvè mercedem pro eâ conquiramus, & quàm citò Diabolum abigat, ne poteſtatem in nos habeat, procul dubio properaremus cruci in occurſum, gratias iis, qui nos unà premerent, agendo atq; ad viam eorum præ gaudio nos reflectendo, quo multas cruces invenire, ac portare valeamus ad exemplum S. Apoſtoli Andreæ, qui ſuprà modum lætabatur in cruce, quam tàm ardenti charitate

ea propter desiderabat, ut suo cum Deo ac Domino aliquam paritatem haberet, qvi crucifixus est propter nos. O quàm immensam gratiam possemus lucrari in tàm brevi recessu, dum̃odò nos liberè ac hilariter divinæ voluntati subjiceremus: siquidem qvaliscunq; passio tàm fructuosa est, ut hominem suo similem faciat creatori, & hujus ratione Deus non frustratur Amicos suos passione, qvin antequàm Electos suos fineret impræparatos, crearet passionem exnihilo, aut subjiceret eos irrationalibus sceleratis creaturis, quo ab iisdem exercitati præparentur. Nos autem hujusmodi fructuosis Dei donis hodie dum planè indigni sumus ac in capaces, qvia incurii, ut qvi iisdem qvotiescunq; fieri potest, refragamur, sufferre nolentes correptionem aliorum, qvâ aliàs premimur & exercemur; qvin potius fieri solet, ut quamprimùm adest, qui increpat, ut canis œstro percitus oblatramus subitò, adductâ verbosâ excusatione aut ad minimum intentionali, summatim sivè justi sivè injusti sumus, vetamus supprimi. O quàm adhuc indomita, tetrica est & nondum mortificata nostra natura! O qvàm insipientes sumus adhuc, qui potius nos omnis penè passionis indignos, omnisq; pressuræ indigos reputare deberemus, adeoq; semper hæc magna Dei dona acceptare humili gratiarum actione silentiosâ sub patientiâ, uti B. Job fecit, qvin etiam videri nobis posset, quasi nostro merito sit sustinenda qualiscunq; afflictio & injuria, quâ quis pro arbitratu nos posset afficere; nam sic perveniremus non solùm ad veram pacem, verum etiam excitaremus proximum ad virtuosam vitam, & hoc ipsum tùm Deo acceptius esset, tùm nobis utilius, quàm cuncta externa affectata exercitia, quæ suâ sponte seu pro arbitrio nostro facere possumus.

Q. Quomodò possunt rudes ac ignari facere talia, qvos nemo docet, qvaliter discernere debeant? R. Tametsi omnes Doctores defuncti essent, omnes libri combusti, sufficientem tamen doctrinam & discretionem invenimus in exemplo, imagine, speculo & vitâ Domini nostri Jesu Christi. Hic est liber, qvi docet omnem modum nobis necessarium, dummodò is sedulò per-

pervolvatur; in eo invenimus, qualiter Christus nobis præivit in silentiosâ patientiâ, in mansuetudine, in adversitate, & tentatione à spiritu maligno, in resignatione, contemtu, paupertate, inq; omnis generis acerbâ passione & cruciatu, sic ut dicendum sit, si nos freqventer in salutari & fructuoso hoc speculo contueremur, futurum esse, ut longè hilarius ac viriliter sustineamus omnem adversitatem & afflictionem, nec minus tentationibus & incidentiis undecunq; obviantibus longè efficacius resistamus, ut taceam labores, qui longè facilius sic perferuntur, ut & à visu & auditu percepta, qvæ sic in bonam partem vertuntur. Nam si ad eximiè fructuosam pacem cupimus pervenire in Deo, naturâ & adversus mundum necessum est, summo studio discamus prius omnia benè vertere, ac perferre in mansuetudine, qvosvis scilicet hominum mores, modosvè, quibus hactenùs urgemur, comprimimur, & excellemur sic, ut hi charitatis modi, ac mores sæpenumerò gignant tædium, aut displicentiam, hinc nostro insensu videtur nobis per sæpè, quod unus nimium, alter minimum loqvitur, iste nimis Zelosus est, ille valdè clemens &c. & quæ sic vario atq; occulto modo incidunt nobis Critiria, sunt multiplicia, quibus tamen locus forti resistentiâ disputandus est, & si qvà habitus causâ, infirmitatis nondum acqvisitus sit, ità ut firmiter in corde teneatur, ad minimum tamen potenter est resistendum eruptioni verborum, ne qvem corripiamus, judicemus, deq; vitâ modovè alicujus clam vel palàm nimium obloqvamur, qvalitercunq; videamur urgeri, qvoniam sine dubio sic promeremur plurimum, præter id qvod fracto obice longè facilius reddimur pacifici, mansueti, & patientes. Et hoc ipsum edoctum est per id, qvod Dominus noster proditori Judæ, cunctisq; inimicis suis tàm benignè (mansuetè) locum juxtà se concedebat charitate iis magnâ exhibitâ, cùm tamen eorum odium ac perfidiam, qvam exactè pernoscebat, tanqvàm expers culpæ & peccati potuisset reprehendere. In tempore hoc nemo, qvi se considerat penitius, tàm est perfectus, ut in seipso non inveniat defectûs qvos deponat, hinc autem nec jus nec ansam habet carpendi

alios.

alios. Qvi aliorum defectûs videt, discat indè necessum est suos noscendo deponere, qvapropter rogat Author noster omnes bonos homines, ut ejus doctrinæ velint attendere, qvam dicit se didicisse ex libro propriorum suorum defectuum, eo scilicet fine, ut blandâ hâc monitione cautiores redditi ad circumspectionem excitentur. Est namq; impossibile, ut qvis tentationibus potenter resistat ac veritatem simpliciter cognoscat, qvi non secum sedulò habitat, hoc est animo recollecto in fundo sincero, veraq; humilitate: ideò paupertas voluntaria & unio cum Deo prævalet cunctis totius mundi thesauris.

Q. Suntnè Amicorum Dei multi vel pauci? R. Qvanqvam S. Paulus nos omnes perfectos cupiat, eoq; nil intermittat doctrinæ, qvâ mediante feramur ad perfectionem, per pauci tamen sunt homines adeò perfecti, ut mereant vocari Amici seu intimi Domini nostri; imò tàm rari sunt, ut nec à nobis unqvàm cognoscantur, cùm sic futurum esset, ut conversando cum iisdē obseqveremur eorum suasibus, sicq; unà cum illis pertraheremur in Dei Amicitiam. Hi namq; sunt absconditi Amici Dei precibus suis fulcientes Ecclesiam: compatiuntur peccatoribes ad subeundam pro iis mortem semper paratissimi; aliàs arctissimè Domino nostro adhærent, hinc gratia qvæ è Vulneribus Christi in eos dimanat, ab iis rursus in eum remeat. Exindè innotescit causa, propter qvam Deus semper exaudit eosdem. Enimverò cùm gratia Dei cogat eos facere voluntatem Dei, hoc est, exorare Deum, seqvitur eos hactenùs cogere Deum ut eos exaudiat: hæc ratio est fluxus & refluxus gratiæ divinæ. Exuberans gratia (qvæ olim nondum sic abundare volebat) tempore Evangelii perfundit corda fidelium puriora, eaq; amore suo cogit adhærere sibi, qvapropter & ipse Deus cogitur ab illis. Dolenda autem & iterum dolenda est Amicorum Dei raritas, utpotè qvam ex tàm corrupto mundi statu colligere licet, cùm sentiamus Deum tàm esse remotum à nobis, ac si defecissent preces validæ qvibus flectatur ad propitiationem. Quodsi Deus parcere volebat Sodomitis, si decem animæ justæ fuissent inter eos

inventæ,

inventæ, quot erunt Amici Dei, quorum preces toti nunc mundo subveniunt, quot electi quorum causâ Deus abbreviat tempora? Hoc quidem nimis certum eſt, eos non cognoſci à diſſimilibus, quia tantum à ſimilibus, nam ſanctitas eorum eſt inviſibilis, & hactenùs humano obtutui æq; abſcondita atq; vena fodinæ aurea. Qui rebus temporalibus ac inventionibus modalibus deditus eſt, contrarius eſt hiſce Dei Amicis, quî ergò cognoſceret eos, quorum animus evacuatus, informis, ſilens, clarus, tranqvillus, non niſi Vulneribus Chriſti appenſus eſt? Modales hi non ſunt, eo q; nec amantes non confeſſum, quapropter ſunt omnium nobiliſſimi & venerabiles homines, non obſtante, quod ab aliis quos formâ externa & verboſitas decepit, judicentur, aut contemnantur. Cùm ſapientia non hinc vel indè, ſed tantùm è paſſione Domini eruatur, ſequitur hujusmodi homines ibidem inventos per eandem ſapientiam tantùm cognoſci. Cùm etiam quàm utile ſit Chriſtianis cognoſcere eos, quorum ad exemplum componantur & ipſi, hinc paucis hîc adjungenda ſunt ſigna, quibus internoſcantur ab aliis adverſo Charactere ſignatis. Sunt enim Amici Dei

1. Cruciati validâ compaſſione ergà eos, quos vident in peccatis defixos, olim ſe verè judicandos, nî reſipiſcant.

2. Obſervant Deum præſenter tàm in minimo, quàm in maximo, nec amplius eos cura inordinata rerum præteritarum aut futurarum mutat in diverſum.

3. Quamvis non habeant legem, cui obligentur, nihilominus diuturnâ ſui mortificatione, quæ vires ſolvit, debilitantur, & exiccantur; attamen ex amore & reſignatione ſpontaneâ longè humilius expediunt opera, quæ alii coactè ſeu causâ mandati eccleſiaſtici perficiunt.

4. Externè plus minus ſunt exercitio Eccleſiæ dediti, id eſt, juxtà capacitatem, majus tamen eorum opus eſt interna Dei obſervatio & evacuatio ſpiritûs.

5. Converſantur cum hominibus conſtrictis ſenſibus ſivè abſq;

Idearum receptione, compatiuntur quoq; iisdem absq; sollicitudine, amant eos absq; adhæsione.

6. Confessio eorum longè nobilior est, quia fit ex amore, si culpa desit.

7. Orantes perrumpunt sensûs, diligenter observando, si quà seipsos fortè per medium quæsierint, hinc à virtute divinâ erudiuntur facilè, quod Deus quem adorant, sit vita & causa efficiens in illis.

8. Edunt, bibunt, dormiunt &c. externè, utendo Dei donis ad gloriam Dei & ad necessitatem eorum, internè autem jejunant.

9. Sensus habent quietos, ceremoniis & superfluitate sermonis carent, inter se simpliciter conversantur, atq; concorditer fatentur opera ex illis ipsis manare sine illis.

Q. Ast si modales actiones exercent, quî possunt verè vocari evacuati, informes, modisq; carentes? R. Et perfectissimos homines per intervalla humanum qvid pati indubium est, idq; tàm ex se, quia homines sunt, quàm propter alios, qvos non offendere, sed per Exemplum erudire oportet, & sic externè modos & exercitia usurpant unus quidem plus minus altero, tùm etiam longiori vel breviori temporis intervallo, & hoc respectu sunt inter se diversi pro accidentium disparitate, quamvis in fundamento interno sint sibi pares, hactenùs formis modisq; carentes. Eo igitur tempore, quo istiusmodi homines immorantur sibi ipsis, durat arbitratus eorum: ast eo temporis tractu, quo à seipsis in Deum transeunt, perit omne arbitrium, omnis attributio, quia sola tunc illis est veritatis apprehensio. Cæterùm cùm alibi dictum sit aliqvid de inconstantiâ perfectionis, ea certè hîc etiam consideranda venit; siquidem ea est vicissitudo mortalis, ut nil sub sole sit stabile, quantò minus perfectio in homine corruptibili, & multum imperfect o, cujus vel sola positio tantò est mirabilior, quantò per gratiam alternatim diuturnior. Qvi ratione vicissitudinis utuntur ad subversionem perfectionis finitæ & transitoriæ, & dicunt, quicquid per vices alternat, esse instabile eoq; imperfectum, imperfectum autem non posse dici perfe-

perfectum, hi negligunt etiam rationem perfectionis plus minus absolutæ, eoq; recidunt à superlativo gradu ad positivum suppresso comparativo, fortè ideò quod vident, ad eam non posse pertingi nisi mediante vitâ sincerâ, oblatione humili & desiderio ferventi, sed talia nolunt degustare pharmaca. Hujusmodi homines non nisi res curant inutiles, hactenus liberam inversionem, & adunationem Dei (quam homines perfecti conservant) negligunt maximo eorum damno. Enimverò cùm tota scriptura N. T. velit, ut præparemur Deo in permanentem, vivam & acceptabilem hostiam (oblationem) sequitur nil eos proficere, qui in proprietate suâ se Deo subducunt, atq; impediunt, quo minus liberâ inversione dignè & integrè ad gloriam Dei sese offerre valeant, tametsi etiam totius S. Scripturæ sensum assequuti suâ doctrinâ alios ad Cœlum perducere possent, nam bonum internum Spirituale per negligentiam amiserunt irreparabili damno eorum.

Q. Quænam est brevior (propinqvior) via, quâ ambulandum est ei, qui Deo servire studet? R. Propinquior Deo serviendi via consistit in modis duobus, quorum prior est, cùm quis in vulgari bonâ exercitatione ducit vitam, puta in obedientiâ, paupertate, castitate, aliisq; consvetudinibus, quarum Christus consilium dedit in Evangelio, procul dubio eum in finem, quo homo externus redigatur in obseqvium ac in virtutibus progrediatur: posterior modus est, quo quis exercet se in passione Domini nostri Jesu Christi, utpotè cùm eam imitatur, quotidiè meditatur, & in omnibus punctis vitam suam eidem comparat sivè pro virili applicat, causas vel maximè observando, quas Deus ei mittit ideò, ut Christum imitatus taliter se totum Deo committat. Hîc autem est advertendum quod soleat fieri, ut homo deprehendat, quàm Deus misericordiâ motus homini semper tales suggerat causas, qvibus mediantibus ascendat sublimius, Christoq; fiat similis in passione, & actione. Adhæc necessum est, ut oculo mentis obtueatur cunctas suas actiones, quà vergant ad gloriam Dei, suosq; sensus sic subigat, ut charitas mundi quan-

S 2 tocyus

tocyus extinguatur in eo. Hactenùs passio Christi comparari potest Margaritæ, quam homo pius custodire tenetur. Custoditur autem, cùm homo quotidiè meditatur totam dominicam passionem incipiendo à Cœnâ Domini, & sic pergendo adusq; Resurrectionem ejus; ast quomodò quis hanc acquirat Margaritam quæstio est? R. Oportet emere eam pretio omnis possessionis, adeptionis, operationum, gratitudinis, & desiderii: Annon sic facilè possent vinci malignæ phantasiæ species (cogitationes) & prava naturæ concupiscentia? Imo sic facilè potest homo pertingere ad sinceram defectuum suorum confessionem, & ad profundam dehinc humilitatem, & sic porrò fit facilis progressus ad compassionem ergà Dominum nostrum, & ergà cunctos homines in verâ charitate: contrà qui se non vertit ad hoc, ut plurimum inhæret externo exercitio, nec discit intus cognoscere se, & etiamsi ab externis operibus plurimùm defatigaretur, nil tamen indè suavitatis internæ obtinebit, nî se simul intrò vertat studiosè.

Q. Qualem reportant fructum, qui margaritam passionis Christi custodiunt? R. Acqvirunt gratiam & animum se Deo offerendi in omni passione, quin etiam Deo fidendi in simplicitate. Deus autem regit insuper eos curam eorum gerendo, & quod homo hinc veram discit resignationem, datur Deo locus liberandi eum à suis defectibus. Hæc est charitas, quâ Deus nititur abstrahere hominem à creaturarum cupidine, homo quoq; sic incipit discere, qualiter rectè in rebus agendis & intermittendis discernat, hinc fidit Deo in hoc, quod intelligit quàm nihil de se tenere debeat, nec sibi sed gratiæ Dei tantùm insistere. Fidenter autem credit se non deceptum iri, sicut aliàs decipiuntur, qvi propriæ firmitati non cedunt, nec Deus desistit augere gratiam, cujus ergò fit, ut noscant discernere inter gratiam Dei, & inter sensibilem commotionem.

Q. Jam video, qvid velis, nimirum, quod servitium Dei in respectu Dei debeat esse perfectum, eò quod in respectu humano servitium Dei valdè imperfectum est & vix servitii divini nomine

ne dignum; proindè dicas, quæso, an non servitium eorum sit absolutum, qui vitam ducunt apparenter bonam, forinsecùs se humiles & simplices gerendo, etiamsi intus aliquid de se sentiant? R. Imò & isti homines sunt vani, ac imperfectum eorum servitium est.

Q. Quid iis desit exemplifica? R. Deest illis id, qvod habent, qvi pro virili allaborant se puros servare foris & intus, animo scilicet semper Deo religato, qvi suam afflictionem non nisi Deo indicatam volunt, qui qvod se avertunt ab hominibus, opprimuntur & confunduntur ab iis, qvi interim tacendo continuò se occupant in vitâ & passione Christi, quos etiam Deus confortat per passionem Christi, quo magis secum queant habitare, utut vituperatur in illis eorum desuper habita privata devotio. De talibus autem & hoc dicendum venit, qvod taliter faciunt in timore Dei & cum verecundiâ coram Deo, quia coràm hominibus id ceu falsum aut stultitia reputatur. Qvid qvod & Deum conscientiæ suæ testem habent, qvod ipsum in iis, eximiam excitat gratitudinem, sic ut super divinâ charitate exhilarentur. Hostis non potest eos capere laqueo tristitiæ, quia tutos reddit eos continuata inversio: neq; enim spem firmam ponunt in lumine naturæ, neq; in verbis humanis, neq; in aliis rebus apparenter bonis, sicut nec suavi eorum inversioni ac devotioni confidunt, quasi qvam benè uniti sint, si cuncta rectè procedunt. (nam qui sic sentiunt, potissimum decipiuntur ab hoste) sed omnia fundant super Deum, super exercitium & super tàm internam quam externam sui observationem, quà incessanter currant ad Deum. Adhæc tametsi corpus respirat foris, cùm cessat à bonis operibus, nihilominus non cessat cor Deum gratiarum actione honorare atq; resistere qualicunq; inæquali, quod charitati ejus contrariatur. Tales homines petunt à Deo remissionem peccatorum non propter metum inferni aut propter spem salutis, sed propter id qvod Deo displicent, neq; exorant Deum, quominus ei peccata displiceant, sed rogant ut ea condonet, ne quà obstaculum præbeant gratiæ acceptandæ, in

Digitized by Google

quâ discunt progressum in virtutibus. Orant futurum, ut Deus cum iis faciat juxtà voluntatem suam eo fine, ut gloria ejus hîc & in æternum perficiatur in illis. Huc accedunt, qui Christi passionem rectè exercent, hoc est, ad finem consimilem, in qvo constanter persistant: hi sunt exemplum, quod requisivisti, cape & fac cum illis comparationem, quos vanos appellavi.

Q. Cùm admodum pauci perveniunt ad summum, dic undè proveniat hoc? R. Indè, quod saltem immorantur externæ activitati, neq; ad Deum purè se intus convertunt. Taliter in vitæ curriculo sunt homines sibi invicem valdè dissimiles, ex tali autem fundo procedit omne, quod unus non potest esse contentus sine externo labore sineq; interno exercitio, alteri verò sufficit tantùm externum servitium, qua propter hæc pretiosa margarita non datur iis uno, eodemq; modo, sed valdè dissimili, & indè fit, ut dum se comportare nesciunt, se invicem affligant.

Q. Quid si id faciunt ex ignorantiâ? R. Istiusmodi eorum cæcitas est patienter perferenda. Quin & haud rarò fieri assolet, qvod Deus per similes homines plures alios doceat, & vocet ad veram viam, dummodò sufficienter intus in se diverterunt: nam constat, eos ipsos qui non satis deseruerunt se, antequàm introierunt, aut etiam qui nondum rectè introversi sunt, labi in plures errores priusqvàm id pernoscant, facilè enim inveniunt quod est naturæ conveniens & sensibus acceptum, hinc carent progressu spirituali. Deus autem, tametsi servitium eorum sensuale perfert, non tamen per id vult sibi satisfactum, quoniam eximii fructûs omnes (de qvibus antè dictum est) manent suppressi in iisdem æq; atq; in aliis qui poterant per eos corrigi, si primâ viâ devotionis sensualis relictâ se introvertissent. Igitur quod in servitio sensuali semper hæserunt, manent in fructuosi. Est autem necesse, ut homo se submittat divinæ voluntati, quantum potest, nimirum ut taliter glorificet Deum multosq; emendet homines, qvi suis peccatis Deum irritant, aliosvè ad peccandum incitant.

Quod autem hujus Margaritæ fructum attinet, eum edoctum nunc

nunc est, ab initio esse situm in suavitate, in perceptione, in charitate & exercitio; attamen à suavitate declinandum iterum est ad amaritudinem, resignationem & passionem ex charitate, quia qvò magis homo resignat suæ voluntati & voluptati, hoc magis liberatur à laqueo Diaboli, à tentatione injuriæ temporalis & ab inferno. Cùm gratia Dei adest homini, non facilè labitur in peccata, nî se volenter ad ea convertat, qvod qvidem non facilè fit. Ast uti prior via devotionis requirit opera virtuosa in suavitate; ità posterior requirit opera virtuosa in duro labore, morsu conscientiæ, dirisq; plagis, quæ sustinendæ sunt in patientiâ, in verâ fide & fiduciâ in Dei adjutorium. Et si quà videretur homini, se derelinqui à Deo, nihilominùs in firmâ spe persistere debet Deoq; fidere in omni, qvod facit secum in tempore, & æternitate. Nostin igitur, quid subsequatur meditationem passionis dominicæ, quà & ultimatim pertendit homo ad sublimiorem perfectionem factus cum Deo unus Spiritus?

CAP. VII.

De spirituali sivè internâ, sanctâ vitâ.

Q. Cùm veri Dei Amici non saltem sequantur vitam Christi externè, sed etiam internè in Spiritu, quo ipso vel maximè Laus Dei celebratur, de hoc quæ tua sit sententia edissere? R. Laus atq; veneratio Jesu Christi augetur per verè spiritualem sanctam vitam, quæ claruit in sanctis confessoribus.

Q. In quo consistit sancta vita? R. Consistit ea non solùm in externo virtuosæ vitæ exemplari, verùm etiam in cordis, sensuum animiq; verâ resignatione, in puro fundo mortificatæ sensualitatis, ut homo soli Deo sincerè serviendo semper complaceat

Joh: Trithe: in c. 12. ceat ei. Johannes Trithemius in epiſtolâ ad Capellarium, ad illud Levit: Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum &c. ſic ſcribit: Quid ſanctitas eſſe putanda ſit, Dionyſius Areopag: de divinis nominibus non tacuit: Sanctitas, inqviens, eſt, ut ſecundum nos loquamur, omni ſcelere libera, perfectaq; & penitus in coinquinata munditia. Deus noſter Sanctus eſt, nos autem peccatores & immundi. Cùm ergò inter diſſimilia non fiat unio, quomodò inter Deum & nos concordia fiet? Audiamus divinum Doctorem Auguſtinum: Nullus, inquit, ſanctus & juſtus caret peccato, nec tamen ex hoc deſinit eſſe juſtus vel ſanctus, cùm affectu teneat ſanctitatem. Dicit enim ſcriptura: ſepties in die cadit juſtus & reſurget, impii autem corruent in malum. Si cadit, inqvit Hieronymus, quomodò juſtus? Si juſtus, quomodò cadit? ſed juſti vocabulum non amittit, qui per pænitentiam ſemper reſurgit. Et non ſolùm ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſepties delinqventi, ſi convertatur ad pænitentiam, peccata condonantur. Et quamvis nemo fiat ſanctus viribus ſuis, cùm non ſit volentis neq; currentis, ſed Dei miſerentis, voluntas tamen noſtra bona ad noſtri ſanctificationem neceſſariò reqviritur, ut Dei gratia in nobis ſanctitatem operetur. Hæc ille

Q. In quo recedunt à vitâ ſanctâ, qvi non vivunt ſanctè, attamen videri volunt ſancti? R. Moderno tempore non deſunt, qui ſpeciem præſeferunt ſanctam & ſpirituales videri volunt, in hoc autem recedunt ab eâ viâ, quod ſibi ipſis in rebus malè ordinatis vim inferunt mediante exercitio vehementi, quo ipſo ſperant ſe immutari per gratiam in tales, quales non ſunt de naturâ. Conſiſtit eorum exercitium in jejunio, vigiliis, orationibus, in frequentiori Sacramenti uſu, in meditatione venerabilis paſſionis Chriſti, in operibus miſericordiæ, eleemoſynis, aliisq; quæ in ſe quà talia ſunt valdè bona; nihilominus ab omnibus his proficiunt nihil, quin potius ſine Deo ſuas atterunt vires, & ſine animæ promotione, inſuper ob falſam eorum intentionem in animæ periculum incurrunt. Quod autem ſic cum illis comparatum ſit, exin cognoſcere licet: Convertunt ſe ad ſeipſos, non

non cognoſcendo ſe ipſos, deficiunt indè undè proficere debent, ſiquidem putant ſe magnum quid eſſe, cum nihil ſint, putant ſe Deum quærere cùm id non faciant. Quoniam autem ſic ſemper vivunt, hoc eſt, juxtà proprium deſiderium & phantaſiam, undè erumpit arbitrium ſenſuale, hinc neqveunt ullum fructum capere è cunctis ſuis operibus. Quid quod ſic conſeneſcunt, tantò magis fiunt impatientes ac negligentes defectuum in verbis & factis commiſſorum, qvaliter & hi ſe gerunt, qvi ſe jam credunt ſublimatos.

Q. Undè hoc oritur in iis? R. E naturali concupiſcentiâ & inordinato eorum deſiderio. E.g. Cùm ſurgit in iis appetitus faciendi bona opera, ſæpenumerò componunt ſe eò etiam exceſſivo modo ultrà vires ſuas, volendo nunc facere hoc, mox aliud, & quaſi unum promoveat, alterum impediat, incautè ſe vertunt ab uno exercitio ad alterum; intereà putant hæc omnia ſervire illis intus, dummodò hinc ſentiant quandam delectationē & complacentiam in ſenſibus, ſicut è contrà putant minus inſervire id, quod non delectat intus ſenſibiliter; hinc ſunt inſtabiles, mutabiles, tanquàm qvibus nulla diu placet exercitatio, adeoq; quamdiu taliter decurrunt, nihilominus non adipiſcuntur verum fundum. Nam quò ſe quis applicat modo tàm inepto (quam bona ſit intentio) decipitur, idcircò fruſtrà hi putant ſe Deum ſolum intendere. Ecquis noſtrûm eſt, qui cupiat ſervire Diabolo? Neminem reor eſſe qvi cupiat hoc, nullus eam intentionem habet, dominium Diaboli nequaquàm acceptamus, aſt nihilominus voluntatem ejus adimplemus. Qvamdiu animus eſt nobis ſervire Deo ſolùm externis Operibus ſine merâ ad Deum intentione, nondum incepta eſt ſervitus Dei, quæ talis eſt in veritate cum rectâ devotione.

Q. Dic ergò, in quo conſiſtat, & non conſiſtat verum fundamentum perfectæ vitæ Chriſtianæ? R. Non conſiſtit in ſolo externo exercitio, quatenùs hoc ſolum eſt ejus adminiculum, ſed conſiſtit unà in bonis internis operibus (qvibus vel maximè opus eſt) horum ope fit, ut devitentur peccata, virtutes quoq; viciſſim

 ciſſim

cissim generentur. Ut autem id velut per exemplum magis clarum reddatur, dignum consideratu est, qvod passim obviam venit, nimirùm: inveniuntur homines, qui corpus castigant jejuniis, Eleemosynis, aliisq; exercitiis, quæ procul dubio sunt bona, nihilosecius tamen non sunt conversi ad Deum cum verâ charitate, neq; observant eorum fundum internum, ut à peccatis id repurgetur, quatenùs manēt iracundi, invidi, superbi, detractores, gloriæ cupidi &c. hoc est, implexi laqveis maligni spiritûs. Se ipsos hi omnes decipiunt, eò quod putant, solummodò se propter opera externa justificatos salvari, id quod in æternū neqvit fieri, cùm Deus cor unà desideret. Tales possunt comparari simulachris, quæ aurea foris apparent, intus verò sunt lignum aut lapis. Christus autem comparat eos sepulchris mortuorum, quæ pulchra sunt extùs, intus verò plena vermibus & ossibus. Ità dicendum est non satis esse, si qvis jejunat, orat, aut alia bona opera per agit, cùm sit necesse insuper & animum repurgatum esse à malitiâ. Raro hoc tempore inveniuntur, qvi vivant juxtà quàm decet & par est, nihilominus non est tàm impossibile, ut aliqvis vivat rectè, dummodò quædam adhibeatur industria, in quâ totum consistit; verùm tamen id in quo situm est omne, nemo cupit impendere, & in quo nihil consistit, eo mediante sperant salutem acquirere, cùm nihilosecius in eo sit grandis labor, magna molestia, quatenùs Deum diutius quærunt & non inveniunt, quem aliàs invenire deberent. Id omne autem provenit à defectibus, eò quod in se ipsis sunt nimis crassi, incapaces & inepti, dum ad impossibiles res se vertendo nolunt facere, quod sine impedimento facere possunt, averso indè & desiderio & charitate, adhæc habere cupiunt, quod impossibile est, applicando animum ad id, quod gratum illis est cum desiderio inordinato, maximè juxtà commotionem externi hominis, tunc causam conjiciunt in id, quod nesciant, quid sit agendum vel intermittendum. Verùm hæc excusatio est calva, cùm tantum absit, ut nesciant, quod potius qvàm optimè noscant, dummodò in viâ veritatis ac justitiæ se rectè continerent. Non enim ex igno-

Matth: 23.

ignorantiâ quam prætexunt, profluunt ea omnia, alioquin eorum conſcientia non accuſaret eos de negligentiâ, comprimis ſi facerent, quod ſciunt & intelligunt id ſivè multum ſit ſivè paucum, cùm Deus ipſe non plus requirat ab iis, quam quod aut revelavit, aut cognoſcendum dedit iis.

Q. Dic, qvæſo, ultimatim, quid faciendum ſit homini, qui cupit evadere in alium virum per gratiam, quàm quod eſt per naturam? R. Oportet eum omnem impendere operam, qvo Deum ex intimo ſuo corde quærat, intendat & diligat, ſeipſum verò nullo modo. Hæc eſt juſtitià, veraq; devotio, quæ attinet cunctos Chriſtianos.

Q. Quid eſt hoc loco vera devotio? R. Nonnulli putant eam eſſe dulce deſiderium, aſt quamvis non nunqvàm ità ſit, non tamen ſemper eſt ſic, quin talis dulcedo quandoq; eſt de naturâ, & hinc tot homines errando decipiuntur. Eſt quidem vera devotio nil niſi voluntaria animi inflexio, ſeu ſubmiſſio ad cultum Dei: ad veram verò ſpiritualitatem pertinet id, ut homo ad minimum ſemel interdiu vel noctu in ſe ipſum redeat ſeriò perveſtigatum ſuas cogitationes, verba, facta, totamq; vitam, quo diſcat ſuos cognoſcere defectûs. Nam ferè ſemper reperiet aliquid, qualecunq; etiam ſit, quod cùm ablatum vult, oportet id noſcere prius, dehinc ſeqvitur dolor, & pœnitudo ſuper defectûs cognitos. Tenetur ergò homo omnem impendere diligentiam eò, ut vitam antiquam deponendo vitia in ſe mortificet, mandata Dei cuſtodiat, ſuæq; conſcientiæ teſtimonio ſatis faciat. Inprimis inſerviet huc promotio dependens à bono exercitio, cujus ſunt vigiliæ, jejunia, orationes, lectiones &c. & quanquàm hæc omnia non ſint ipſa vera ſpiritualitas & pietas, nihilominus ſunt tanquàm fulcimentum atq; conductus ad eam. Sic quoq; futurum eſt, ut Dominus miſertus ejuſdem obfirmet in eo veram pietatem, quam nullo unquàm conatu ſibi comparare poterat, hoc eſt, ut eum expurget à peccatorum radice, quò poſſit impoſterum totâ ſuâ vitâ ſervire Deo cum corde puro & conſcientiâ innocente.

Q. Quid porrò debet facere homo, qvi juxtà Spiritum vult vivere? R. Is vivit juxtà Spiritum, & induit novum hominem, qui juxtà Deum formatus est, qui viriliter atq; constanter avertit se ab omnibus peccaminosis defectibus, simul etiam ab omni malè ordinato desiderio Creaturarum, & hoc est unum, alterum est, si animam quoq; cum omnibus potentiis convertit ad Deum mediante crebrâ oratione, virtuali discretione & assiduo exercitio corpus subjugandi Spiritui. Nam homo spiritualis non verbis, sed innumerabilibus exercitationibus præparatur qvò talis evadat, & tametsi multi fidem in ore habeant, non tamen habent eam in corde radicatam, utpotè quod fides non nisi in corde purgato, præparato seu benè exercitato obfirmatur. Cùm omnium absolutissima fides ea sit, quà homo fiduciam suam in Deum solum ponit, atq; (quod probè notandum) Deum suum constanter ac patienter expectat, id certè non reperimus nisi in homine multum exercitato, nugatores autem sibi arroganter adscribunt eam patientiam, qui potius malitiam aut inconstantiam suam accusare debebant, cùm fides eorum verbalis tantùm & absq; charitate sit. Is autem Deum veraciter amat, qvi solum Deum novit, cætera cuncta nescit, adeoq; huic mortalitati emoritur & vivit æternitati. Is verè amat, qvi Deum Deiq; regnum desiderat, qvi aversando res caducas, externos suos sensûs refrænare, internos relaxare, cunctas verò suas vires ad Deum potest convertere in Christo Domino nostro.

Q. Ast quid solet aliàs facere homo internus? R. Solet is collecto animo divertere in seipsum exclusis cunctis rebus sensibilibus, ibidem etiam solet cœlesti Patri offerre dilectum ejus filiũ cum omnibus verbis, factis, passione & merito ejusdem pro omni eo qvod desiderat & intendit, qvò simul devotè trahit omnes homines, peccatores & oppressos, per id autem imitatur Sacerdotes, qvod habet ignem devotionis & charitatis rogans Patrem ut faciat secum juxtà voluntatem suam.

Q. Quod si quis se admodum hunc internũ vertit, añon intercidunt subseqventer Ideæ passionis dominicæ? R. Non! sed hoc adverte

adverte notanter: In fundum, ubì gratia verè connaſcitur eſt divertendum, qvia ſic irruit unà ſplendor qvidam ſeu repræſentatio paſſionis & vitæ dominicæ per modum perceptivæ charitatis, & ſimplicis viſionis, ac ſi præ oculis omnia ſiſterentur. Hocità Patri oblatum non juxtà excogitatam diverſitatem, ſed per eum modum, quo qvis obtutu unico aſpicit multos tanqvam unam perſonam, longè eſt utilius, qvàm ſi quis menſibus aliqvot perſiſteret in Cogitatione diverſitatis. Interim ſollicitus eſt de aggregatione ſanctarum virtutum, puta humilitatis, manſuetudinis, patientiæ, modeſtiæ &c. quas qvi non habet, aut non aggregat in ſupremo, medio vel infimo gradu, ejus vita nil valet. Sub iſtiusmodi aggregatione naſcitur accenſio charitatis tanquàm in titione, undè fumus ſeu obſcuratio, in qvâ rapitur Spiritus hominis pauculum ad rationis & ſenſuum privationem usq;. Sub hâc obſcuritate alloqvitur Deus hominem, & promittitur generatio multis exhilarans modis.

Q. Cùm autem & ficti interni reperiantur homines, qui mundum decipiunt, qualiter à candidis queant diſcerni hoc loco exponito? R. Accedunt prudentes ficti cum naturali eorum lumine in fundo ſuo vacuo & informi, ibidem poſſident lumen naturale tàm propriè, ac ſi Deus ipſe eſſet, quod tamen aliud nil eſt quàm nuda natura. In hoc majori afficiuntur delectatione, quàm ullâ ſenſibili voluptate; poſteaquàm autem id ſibi proprium fecerunt, fiunt omnium peſſimi, ac noxii homines. Signa quibus dignoſcuntur, ſunt iſta: Non ambulârunt per viam virtutum, neq; per exercitia quæ reqviruntur ad vitam ſanctam, & ad mortificationem vitiorum, quia non curaverunt ea, eò quod ſuam falſam vacuitatem dilexerunt, quam tamen non actuali charitate foris & intus quæſiverunt, cùm & Ideas immaturè nimis deſeruerunt. Hinc allicit eos Diabolus ad falſam ſuavitatem, & falſo lumine inſuper ſeducit, ut pereant in ſempiternum; ſic quò naturam eorum proclivem invenit ſivè ad laſciviam, avaritiam ſive ad ſuperbiam, eò pertrahit eos malignus ſpiritus, ipſi verò ab interno ſenſu pariter ac lumine, quod eis diabolus

bolus obtendit, decepti ajunt, quod id veraciter Deus sit, & curant nequis id adimat, sed potius ut tanquàm suum proprium id possidere queant. Verùm dehinc labuntur porrò in falsam libertatem, ut solùm naturæ ductum seqvantur: hi autem sunt fugiendi magis quàm ipse diabolus, quatenùs externis suis modis tàm similes sunt bonis hominibus, ut vix ab iis possint dignosci. Nihilominus discernuntur in hoc, quod boni homines ambulârunt per viam Virtutum, hoc est, humilitatis, timoris, resignationis, mansvetudinis &c. quod etiam semper vivunt in magno timore, nec audent confidere in quoquàm, adhæc sub quâlibet pressurâ & calamitate desiderant divinum auxilium; contrà qvàm faciunt spiritûs libertini, qvi sunt audaces, petulantes ac pugnaces, qvi cùm tanguntur statim in Choleram rapiuntur contendentes, superbiam ostendentes, qvia contemtum pati nolentes. Ideò quàm mirè mutata videbuntur olim, qvæ nunc tàm pulchra apparent, ubi quò se vertant nec locus nec tempus erit, sed sempiterna permansio in igne torrente.

Cæterùm nemo habet, qvod interroget, qualiter sit secum comparatum, cùm ex præfatis appareat differentia, undè quivis dijudicare potest, num ipse rectâ viâ ambulaverit necnè. Si qvis autem est, qui securam hanc virtutum viam pertransivit, huic facilè patebit, num eas habeat in infimo, medio aut supremo gradu. Enim verò cùm talis generatio fit, tàm ingens existit gaudium in Spiritu, ut dici nequeat; attamen hoc ipsum non est impediendum ullâ denunciatione, cùm Deo sit committendum: non consulendi sunt Doctores imprudentes, ne quà futurum, ut malè consulendo excursionem causentur, undè frustrà regressum expectent. Se ipsos ergò observent necessum est, cùm tàm sit ingens gaudium, ut etiam intus effervescat sicut mustum in vasis: præstat quoq; erumpere, ne natura reddatur infirmior. Hoc quidem adhuc longè distat à gradu supremo, cùm sensibilitatem nondum excedat, secùs aliâ longè viâ ducitur is, in qvo hæc generatio nasci debet in gradu supremo, & comparativè terminantur gradûs, bonus scilicet, melior, optimus. Ad sum-

summum qvi seu optimum aspirant, non debent bibere tantum, qvo inebrientur, sicut hi de quibus jam dictum est, afficiuntur jucunditate, quæ propinatur illis per objecta sivè perceptivo, degustativo, sivè contemplativo, usurpativo modo, quin potiùs statuuntur atq; trahuntur in viam angustam, qvæ est obscura & expers solatii, ubi persistunt in vehementissimâ oppressione, è quâ vix possunt evadere, quatenùs qvocunq; se vertunt, inveniunt summam miseriam, abyssum tenebrarum & disconsolationis: hîc resolvendum est moram facere, qvamdiu placuerit Domino, qvi eos tunc adeò deserit, ac si de cruciatu eorum nil nosceret. Certè hîc adest in tolerabilis carentia, & ingens desiderium, ast nihilosecius in resignatione. Hujusmodi conversiones vocantur essentiales, qualibus dehinc respondet merces super substantialis, prout vulgaribus inversionibus respondet merces accidentalis juxtà S. Thomam, qvi dicit: externis Operibus qvàm magna etiam sint, qvà tamen sunt opera, non nisi merces respondet accidentalis. Per hoc intelligendum est, qvod in Conversione Spiritûs internâ ad Spiritum Dei sine accidenti factâ, (ubi Deus merè ac solùm quæritur super omnia opera, super cogitationes, super rationem quasi sub insanâ charitate) fit, ut respondeat Deus ipse cum se ipso, mercede scilicet essentiali. Sed hîc est observandum, qvod etiam conversio qvædam est, qvæ in communi sivè externo modo vocari potest essentialis, nimirùm, cùm homo ad se conversus Deum solùm intendit nullâ aliâ de causâ quàm propter ipsum solum Deum. Verùm prior, de qvâ dictum est, inversio est interna, informis, immodalis præsentia insupersubstantiali translatione creati spiritûs in increatum spiritum Dei. Qvod si qvis totâ vitâ suâ posset ejusmodi versionem vel unicam facere, satis bene haberet: nam qvem sic sibi fidelem ejuscè passionis expertum subegit, ei debet respondere per se ipsum, trahendo scilicet eum in se ipsum & in suam salutem. Hi sunt, qvos Deus evehit in statu laboris, prægustum nunc ejus habentes, qvo in æternum uti debent. Hi sunt fulcra, qvibus insistit Ecclesia, & sine qvibus non posset ea per-

persistere. Nam qvod hîc sunt in tempore, est longè utilius qvàm qvod sunt cuncta totius mundi facta. Sunt enim hi, de
Zach: 1. qvibus dicit Dominus: qvi tangit vos, tangit pupillam oculi mei.

Qvod Author noster hîc triplicem ponit gradum, & qvidem in positivo collocat lætitiam, in superlativo verò tristitiam sive contrariam affectionem, id puto posse exactius intelligi, si consideramus, quod mens in positivo gradu agit quidem qvod suum est, sed tantùm sic, ut eo ipso etiam sensitiva alliciatur tanqvàm affecta beneficio, qvatenùs ea sibi species creditas unà promit è memoriâ, & fingit quædam alia, qvæ simul actu rationis discernit, eligit, & ad placitum sibi accommodat: id ergò omne, qvà excessivè bonum est, & hactenùs ceu proprium de futuro objicitur sensitivæ, facit, ut totus homo ad tempus rapiatur in lætitiam ferè fanaticam. Ast qvod habet conjunctam specierum operationem, non est perfectum, eoq; non ad superlativum, sed tantùm ad positivum gradum referendum, hæc est sententia Authoris. Alterum autem sic poterit intelligi, dum scilicet consideramus, qvaliter mens sola agit, vel patitur sine sociâ sensitivâ, utpotè qvod non habendo affectionem ullam qvia nec speciem, manet in passione privationis, qvæ est via obscura, tristis & angusta, hinc observamus corpus anxietatem ingentem pati, qvoniam autem & ratio hîc nihil comprehendit, sed potiùs sub magnâ Idearum perturbatione fluctuat, subseqvitur tristitia, confusio, imò & si ob fastidium imaginatio irritatur, consurgit ratio in adversum, tentando mentem, hæc sanè desertio & afflictio, si Deus unà deserit mentem, est omnium maxima, horribilissima, idcircò verè dici potest, qvod qvi ad hanc pervenerunt passionis viam sibi relicti ferantur ad gradum tertium, supremum scilicet, de qvo præfata noster Author protulit.

Q. Dic nunc, qvo ordine incipiendum sit, qvove movente interno progrediendum ad vitam spiritualem; qvid etiam sit observandum de sermone & silentio? R. Evangelium dicit, Judicē vivorum ac mortuorum sedentem pro judicio fore seqvestraturum

turum bonos & malos, idq; propter merita operum, quæ fuerunt vel bona vel mala. Coram Deo sunt cuncti homines naturatenùs mali, adeoq; per judicium perituri; ast quotquot eorũ convertuntur sic, ut ex malis fiant boni, salvantur per gratiam. Expedit ergò nôsse, qualis sit homo bonus coràm Deo. Bonus homo is est, cujus conscientia munda est, nec inculpatur â peccati mortalis reatu. Nôsse quoq; expedit, qvo modo mediovè malus & inculpatus homo reddatur bonus. Medium hoc triplex est, efficax quidem satis, ast non nisi in supposito bonæ voluntatis, sinceritatis & industriæ: nam convenit homini

Primo Seipsum aversari, atq; ab eo tempore, qvo peccavit, sese purgare mediante pœnitentiâ juxtà præscriptum Ecclesiæ, quod ipsum facere debet cum summâ rerum suarum discretione: nevè â suis operibus inculpetur aut â metu, dubiis internâvè anxietate crucietur necessum est.

Secundo Obseqviosum se reddat tùm Deo tùm sanctæ Ecclesiæ, tùm suæ ipsius discretioni. Quod si suorum operum sollicitudine insuper capiatur, eoq; non semper objectivè Deum solum respiciat, tenetur ad minimum

Tertio Constanter permanere in desiderio ardenti vivendi juxta voluntatem Dei. Cuicunq; vel unum ex his deest, non est nec dici potest bonus, hactenus qvoq; suâ Culpâ vivit sine gratiâ Dei: qvisqvis autem hæc tria media sibi firmiter proponit usurpanda sivè explenda, qvam malus etiam sit is eoipso momento redditur bonus & capax adipiscendæ gratiæ divinæ. Hæc quidem sunt levissima & præliminaria tantùm, qvibus etsi nil insit perfecti, non tamen iisdem potest carere perfectio, sicut nec finis initio suo.

Facto nunc ad bonum initio dicendum est de statu progressûs, seu qualiter homo sic bonus factus debeat progredi, & in internum seu spiritualem hominem præparari. Ad præparationem autem perfectam reqviruntur tria seqventia: Primum vocatur Chaos mentis sivè informitas, juxta qvam qvilibet homo potest se ipsum probare absq; adjutu alterius, num spiritualis sit

nec nè. Nam ſicut Chaos dicitur carere omni formâ; ità de corde ſimplici ac mundo reqviritur conſimilis vacuitas (nuditas) nimirum, ut ab omni creatura averſum nil poſſideat, neq; per voluntariam inclinationem, neq; per modum converſationis. Ut enim inclinatio hominis internè Cor diverſificat; ità quoq; qualiscunq; converſatio id diſpergendo transformat externè: idcirco utraq; occaſio prava vitanda eſt. Cùm qveritur aliqvis de cogitationibus eum diſtrahentibus, id vitium eſt ex mala conſvetudine, comprimis â converſatione Concauſatum, ob eam quoq; aſſuetudinem difficulter eradicandum. Hæc Culpa eſt hominis, qvi tenebras magis amavit quam lucem, cum nec ad conſuetudinem pravam, nedum ad ſubſeqvutam difformitatem ventum eſſet, ſi Deum quærendo poſſediſſet. Quamprimùm homo linquere vult pravam Conſvetudinem ne cogitationes diverſificent eum, neceſſum eſt, ut vitam carnalem prorſus devitando non niſi Deo cum voluntate & amore adhæreat, quatenùs per eam adhæſionem omnis in univerſum transformatio, pariterq; amor Creaturarum inordinatus propellitur longius. In progreſſu multa decurrunt tempora, qvoad multa occurrunt impedimenta aſſiduitatem intercipientia: per aſſiduitatem autem paratur incrementum, ſicut per remiſſionem decrementum, undè ſtatus diverſitatis prolongatur, hinc multi vitam finiunt, anteqvam ad eam vacuitatem (informitatem) pervenerint. Verùm tamen ut qveant gradatim ad ſcopum deſideratum pertingere, admiſſus eſt in ſtatu progreſſùs Idearum ſanctarum uſus, nimirùm Crucis, Paſſionis & Vitæ Domini. Vitæ mortis ac Exempli ſanctorum Martyrum, quibus exerceri ac promoveri poteſt ad intrinſecam tranquillitatem & ſanctitatem: huc etiam pertinent media modorum ſimul ac ordinum obſervantia, ſine qvibus non pertingitur ab uno extremo ad aliud. Sed id quod ſpectat informitatem, ad ſtatum internum ſpiritualem debet referri, ad quem per multa Exercitia (labores) tandem perveniunt hi, quos dicit S. Apoſtolus per aſſvetudinem habere ſenſûs exercitatos &c: Cùm autem in ſtatu adhæſionis

hæsionis fundetur vita divina, sequitur hominem omni difformitate carere, & nudam Informitatem sibi objectam, quæ Deus est, respicere debere. Qvæ verò in hac viâ interim dum cor everritur & â quisquiliis suis mundatur, sint observanda & exercenda, in subseqventibus tradetur.

Alterum reqvisitum est libertas interna qvæ ab Apostolo vocatur libertas spiritûs, de quâ & alibi dictum. Hæc vera libertas â paucis cognoscitur, cum pro eâ libertas carnis venditetur cum tanto Christianorum damno. Ast vera libertas est sita in hoc, ut in cunctis Exercitiis, hoc est in cogitationibus, meditationibus, orationibus, laudibus, imò in officiis publicis, privatis, præsidiis aut servitiis homo liberè, incunctanter, immediatè se ad Deum possit extollere, utq; per gratiam Dei cuncta sua facienda perficere qveat, in amore ac desiderio flagrante erga cunctas actiones spirituales. Tertium reqvisitum est spiritualis Dei adhæsio subsequens præfatam informitatem & libertatem. Nam fieri neqvit, qvin homo degustet suavitatem clementiæ divinæ mediante internâ adunatione sui & Dei, qui sub internâ actione suâ liberum & momentaneum habet accessum ad Deum. In adunatione eâ observatur mira Circulatio, quatenus desiderium hominis fertur incessanter ad novam introversionem, neq; id solùm, verùm etiam amando & operando renovatur (excitatur) desiderium, ipse autem spiritus sic operando aggreditur cum Deo novum Exercitium, undè se magis magisq; Deo adunando Capit incrementum, cujus intuitu & opera innovantur. Hic probè notandum est, hanc internorum Operum renovationem & cum operibus Dei adunationem esse vitam spiritualem quæ multis encomiis ornata variis, iisq; speciosis nominibus appellatur, qvamqvam rarissimè Idea ejus veniat in conspectum. Attamen cum ea non sit alia, qvam quæ hîc & alibi passim descripta invenitur, hinc unusqvisq; haud difficulter probare potest, qvo modo, quibus auxiliis evadat homo spiritualis & subsequenter divinus, hoc est, cum humilitate, puritate, resignatione, patientiâ, obedientiâ, simplici & bona voluntate, internis exerci-

tiis, & adhæſione Dei. Per has virtutes quæ conſiſtunt in fide vivâ, fiduciâ firmâ & amore ſincero perficitur vita divina, undè concludendum eſt, eum eſſe ſpiritualem hominem, qvi per præſcriptas Virtutes præparatus atq; perfectus eſt, ſecùs autem, qvi talis non eſt.

Q. Jam opus eſt, ut dicas qvomodo ſe homo poſſit liberare â rebus externis, quæ vitæ internæ (ſpirituali) contrariæ ſunt? R. Oportet ſuam ipſius vitam explorare, atq; inquirere in ſuum amorem, intentionem, verba, opera, imò examinare ſimul veſtitum, gemmas, Amicos, Sodales, Divitias et bona quæ poſſidet, honorem, commoditatem, voluptatem, qvam habet & cupit, mores inſuper & geſtus, deniq; quicquid in ſuæ vitæ curriculo invenit, qvod eum impedit, quo minus Deus vivat & operetur in eo tanqvam vera & unica facti & faciendi cauſa, & ſi qva horū obſtaculorum unum vel plura invenerit, neceſſum eſt reſignet omnibus & ſingulis.

Q. Siccinè ſufficit, ut quis evadat in hominem internum? R. Minimè; qvin etiam oportet attendere externis ſuis devotionis exercitiis, qvæ non exiguam ſpeciem virtutis habent, hæc tamen ſi fortè invenerit ſuo propoſito obſiſtere, relinquat ea opus eſt.

Q. An Vigilantia hîc atq; jejunium ſunt excipienda, tanqvam qvæ non ſunt obſtaculo? R. Imò jejunium & vigiliæ juvant notabiliter ad vitam internam & ſpiritualem, dummodo qvis qveat ea perferre. Sunt autem permulti homines tam debiles ac infirmi capitis, ut ea ſuſtinere nequeant. Hic pro exceptione notandum eſt, quod cum quis deprehenderit naturam ſuam hinc prægravari ac deſtrui, præſtat jejunio ac vigiliis abrenunciare etiam in ipſo Die jejunii, nam corporis deſtructio eſt vitæ internæ impedimentum. Idcircò qvicqvid impedit, ne proximè contendat ad veritatis viam, linqvendum eſt, ſive ſit externum quid ſive internum, corporale vel ſpirituale, qvalemcunq; demum habeat apparentiam. Hæc via brevis & certa eſt, modusq; tutò obſervandus.

Q. Hâc viâ abſolutâ, dic porrò qvid ſeqvitur? R. Si quis impe-

dimenda

dimenta omnia longiùs removerit, occurrunt ei varia rarioraq; objecta, quæ gaudium spiritus pariunt: tunc namq; insignis oblectatio (suavitas) pervadit spiritum simul & naturã sensibili modo, atq; voluptuosa isthæc satietas (consolatio) superat omne gaudium.

Q. Quamdiu durat internum hoc gaudium? R. Gaudium spiritûs solet exiguo tempore durare, hoc est, donec eidem, talis quæ statim subseqvitur, pressura & anxietas objiciatur, quæ totam voluptatem sic adimit ei, ac si vel nunqvam adfuisset.

Q. Quo ergo recedit hæc spiritûs tranqvillitas sub extremorum tam subitâ Vicissitudine? R. Si qvis in verâ pace & tranqvillitate se constitutum cupiat, necessum est in eâ pressurâ (carentia) usq; adeò persistat, ut omnem despiciat similem voluptatem, dando se præcipitem in voluntatis divinæ abyssum sub intentione hanc paupertatem, si Deo placuerit, sustinendi ad usq; novissimum Diem.

Q. Cum talis pressura modum exuperet ac penè infinita sit, quis eam sustineat? num vires eo usq; suppetunt? R. Imò â multis superata est & adhuc superatur anxietas, qvam magna etiam sit: inprimis naturæ Circulo inclusa est omnis anxietas, hinc etiam præ mærore arescit corpus, abrepto scilicet incomparabili eo solatio.

Q. Dic ergò, cur isti, quod illi possunt, sustinere ñeqveunt? R. Hujusmodi impossibilitatis causæ duæ comuniter assignantur: prima est, qvod homo non totaliter sibiipsi emoritur; secunda, qvod non perfectè Deo fidit, hactenus caret resignatione, quin erumpendo se sub pressurâ continere nequit, id quod credendũ est nunqvam sine ingenti damno factum. Homo pressus se teneat subjectum, Deoq; fidat, qvi sine dubio est liberaturus eum, si humilem &c: invenerit. Tantum vergat suum desiderium ad eam causam essentialem, quæ sola Deus ipse est, nec aliudqvid curet, qvod minus Deo est: Contrarium facit, qui, qvod â Deo accepit donum, vilipendit oblitus eum qui donavit.

Q. Quid si illuminatio qvæpiam seu suavis infusio supervene-

rit, qualiter ſe ſit gerendum dicito? R. Neceſſum eſt ſe gerat inſtar dormientis ad omne id, qvod præter Deum illucet ei, ſivè ſit rationale quidpiam ſive non rationale: nam qvicqvid viciſſitudinis notam aut characterem mortalitatis habet, ab eo ſe planè avertere debet animus, ac ſubitò ſe concentrare in veram humilitatem, hoc eſt, in ſuum nihil, imò & in voluntatem Dei per modum reſignationis.

Q. Cum verò hic tanta anxietas, qvâ major eſſe neqvit, corripiat hominem, ac ſi ſub torculari preſſus fuerit, qvid reſtat faciendum? R. Oportet eum perſiſtere animo, qvia brevi liberabitur.

Q. Finita verò tempeſtate dic qualiter ſe ſit gerendum? R. Oportet, ut homo ſe gerat incuriè, qvaſi ad eum non ſpectet conſolatio, utq; non niſi ad ſolam Dei voluntatem reſpiciat, juxta quam ſemper paratus ſit ſuſtinendi quamcunq; tempeſtatem; nam ſic futurum eſt, ut Deus reſpiciat ejus miſeriam & paſſionem, ſeq; deſideurioſiſſimo velut complexu effundendo participet ei ſuperſubſtantialem ſancti Spiritûs ſuavitatem. Sic dicitur Deum dividere Regnum ſuum, & dare ei poteſtatem regnandi ſuper cœlum & terram, imò ſuper ſeipſum; dehinc ergo venit, quod talia hominum opera prævaleant cunctis aliis operibus, quatenus Deus ipſe per eos ea perficit opera.

Q. An datum eſt cuiqvam poſſe tam circumſpectè negotiari cum Deo? R. Qui non progreditur in viâ præſcriptâ, nunquam ad vivam perveniet veritatem, qui verò in eâ ambulat, ad ſcopū pertendit. Futurum quidem eſt, ut aliqvis ad cognitionem intellectivam perveniat; aſt ſicuti æs nonnunqvam ſplendore factitio mentitur aurum, ita etiam in ratione ſæpè eſt falſa apparentia, qvæ ideo longiſſimè diſtat â vivâ veritate, quam certè nemo usqvam inveniet præterquam in modo hactenus præmonſtrato.

Q. Dic qualiter homo ſpiritualis ſe tempore proſperitatis & adverſitatis gerere debeat? R. Oportet adeo temperatum ſe gerere ut in ſtatu proſpero ad adverſum ſe ſentiat præparatum, viciſſim

viciſſim quoq; in hoc perſiſtat animo immoto, qvoniam ſic omnia perferri debent æqvaliter, ut in calamitate charitas, in gaudio dolor, in ſolatio diſconſolatio adſit. Æqvalitas hæc non reperitur in homine exteriori, hoc eſt, in miſerâ naturâ, quam ſi qvis cupiat præparare, oportet eam ut plurimum ſubjici tormentis mortiferis, qvò in ſe ipsâ extus & intus emoriatur ſub ſævis cruciatibus: taliter namq; futurum eſt, ut ſe per gratiam habeat æqualiter juxtà eſſentiam in proſperis & adverſis. Non ad unam mortem homo ſe Deo noſcat obligatum, quatenus tot vicibus, quot qvis emoritur ſibi, ſubſeqvitur alia prænobilis, divina vita, dummodò id fiat cum perſpicaci obſervantiâ.

Q. Cùm autem alterna iſthæc mortificatio ſit amariſſima, viciſſim vita jucundiſſima, dic, quæſo, quænam ex obſervationibus ſit homini circumſpecto potiſſima? R. Omnia quæ nobis ad vitam perfectam deſunt, ſunt acquirenda mediante verâ, devotâ, ardenti prece & voto Spiritûs, & hoc ipſum ſæpè ac virtualiter, quæ obſervatio omnium reliqvarum potiſſima eſt. Spiritus clarificatus amat & intendit par in impari, hoc eſt, proſperum in adverſo, atq; ſic reperitur idem (æqvalis) utrinq;, non contriſtatur, nec movetur, ſivè ametur, ſivè odio habeatur, de uno namq; & altero par ei ratio eſt.

Q. Annon ſunt homines multi, qui Chriſtum libenter ſequerentur, dummodo id æqvaliter, (prosperè) hoc eſt, ſine adverſitate & paſſione fieri poſſet, quatenùs, quamprimùm adeſt inæqualitas, hoc eſt, mutata prosperitas ſivè in Spiritu ſivè in naturâ, ſivè ab hominibus cauſata, confeſtim labuntur, atq; à Deo recedunt? R. Id quidem longè veriſſimum eſt, & valdè dolendum; aſt inſuper credendum, æqvalitate multò meliorem eſſe inæqualitatem, qvatenus hæc eſt, quæ ipſam affert eſſentiam veritatis: prosperitas hinc flos eſt, adverſitas verò verus fructus, illa ancillatur huic, quà & præcedit, adjuvat atq; confortat hominem, donec ſit tolerandum onus adverſitatis, ſub quâ occulto modo naſcitur homo in Deo, hoc eſt, æqvalem ſe gerit utrimq;.

Q. Cùm autem ferè nemo huc usq; Deum cupit ſic imitari, undè

undè fit, quod Deus à plerisq; hominibus deseritur, quid, quæso, de his censendum est? R. Tales non sunt veri testes Christi, quem designabat olim serpens, qui in deserto erigebatur in signum salutis eorum, qui postquam à Serpentibus icti fuerant, aspecto serpente erecto mortem evadebant. Annon indesinenter oportet nos aspicere Serpentem verum Crucifixum accepto ejus testimonio, quod consistit in hoc, ut eum veraciter sequamur in paupertate spiritûs, in profundissimâ oblatione, Zelo igneo, in spontaneâ toleranti à tentationis, adversitatis, foris intus, in anxietate Spiritûs & naturæ, quam homines, propria caro & hostis malignus causantur.

Q. Si fructus tentationum tàm est insignis, quid faciendum tunc, cùm tentationes cessant? R. Oportet nos eas revocare, atq; rogare, ut revertantur abrasum rubiginem tempore malo superinductam, fimum scilicet peccatorum, qvem antecedenter collegerant. Est enim omninò clarificato homini possibile peccata sua eò melius noscendo abominari, quò sæpius, quovè intensius ea perspicit, quovè vicissim ea sub motibus primis in carne, sanguine, & naturâ idealiter sese permutant. Cùm certum sit, crassum sivè in mediis peccatorum undis natantem peccatorem ignorare multiformitatem peccatorum, quam justificatus in se percipit, hinc uti peccator ille abit in perditionem; ità iste persistit in æquilibrio cum summâ istâc peccatorum tentatione, eoq; tanquàm perfectus properat in vitam æternam.

Q. Undè venit insignis ea discrepantia inter homines tàm diversos, quorùm utrumq; genus semper à peccato tentatur? R. Hinc modus in utroq; diversus valdè est, quia probus homo ab impari par recipit, hoc est, prosperum ab adverso, cùm voluntati divinæ se usq; adeò dicaverit, ut Deus sit unica ejus intentio; secùs comparatum est cum homine improbo, quoniam is Deum non respicit, sed labitur in peccata sine tentatione, sineq; conversione. Num autem Deus hujuscemodi hominibus unquàm & usquàm satisfacit? Imò quò plus Deus illis dat, hoc plus desiderant, semper quid novum appetendo, & in perniciem hactenùs celeri lapsuruendo.

Q. An-

Q. Annon optarent tales probitatem, si sine labore fieri posset? R. Hoc votum inane est, quia improbum. Nam cùm tentationes præparent hominem ad recipiendum dona sublimiora, hinc est necessum, ut homo, cui in veritate nihil nocere debeat, qværat Deum cum sinceritate & amore, utq; intendat in Deum toto suæ vitæ curriculo. Quod si qvis non sua neq; seipsum quærit, sed solum Deum, acceptâ habitâ ejus voluntate in prospero & adverso, sic ut peccatum sit contrà liberam ejus voluntatem, hoc est, absq; ullo consensu in peccatum, certum est, nil tali homini nocere posse, etiamsi animam ipsam pariter & corpus, carnem scilicet, & sanguinem ejus permearet totus exercitus infernalis cum omni malignitate & impuritate ejus, totus qvoq; mundus cum universâ ejus perversitate, peccatis & immunditiâ.

Q. Nonnè præter nominatum adversum, qvod tantùm extrinsecùs afficit, restat aliquid, quod menti adversatur? R. Imò vel maximum est adversum, quod est internum: hoc quamvis à crasso illo generetur, nihilominus longè nobilius eo est, sic ut si quis in eo se rectè gerere noverit, futurum sit, ut ei veraciter reveletur ineffabilis ejus adversi cognitio, quod omnes Creaturæ nullatenus obtinere qveunt. Hoc tantùm accedit, qvod Spiritus purus naturæ additur in externo adverso, qui solus efficit prosperum & adversum ex pari recipiendum. Quid quod subseqvitur, est, quod talis homo plus veritatis sinceræ invenit in adverso, quàm in qualicunq; prospero unqvàm reperibili. Hæc paritas tantò proximior est, quantò clarius impar & adversum internum agnoscitur. Imparitatem suam non agnoscebat Lucifer, cùm moliebatur paritatem, quæ in æternam adversitatem hactenùs cedebat ei: cæteri verò Angeli disparitatem agnoscentes hinc mergebantur in ineffabilem quandam similitudinem Dei.

Q. Dic, qualis fructus nascatur ex isto fundo, ubi spiritus mediante adverso præfato clarificatus semper cum Dei amore demergitur in veram agnitionem sui adversi, sub quo per exerci-

tium purificavit se in Spiritu & naturâ? R. Postquàm natura suũ perfecit ad summum, id est, quod potuit, videlicet sic, ut neqveat ultrò pertingere, tunc sui exercitii fructus is est, qvod demum abyssus divina accedit sparsum sui ignis Scintillas in Spiritum purificatum, & supernaturale hoc Dei adjutorium est fructus, id est, ejusmodi virtus per quam clarificatus spiritus ex homine tractus elevatur in singularem, ac ineffabilem respectum Dei.

Q. Siccinè respectus hic posterior longè differt à priori? R. Imò longissimè! Nam cùm conversio istæc fiat in virtute divinâ, hinc etiam transcendit omnes sensus, omnemq; intellectũ, & hactenùs est incomprehensibilis, ac ineffabilis.

Q. Quid ergò antecedens conversio refert, si omnes alias excedat posterior? R. Magni equidem refert prior conversio, quatenùs omnis bona voluntas, intentio, desiderium, omne bonum verbum & opus, omnisq; acerba passio, quam homo propter Deum patienter pertulit, pro suo modiolo plurimùm serviverunt promotioni ad posteriorem. Hæc omnia junctim dico, præparant hominem devotum adpuram istam veritatem.

Q. Annon hæc superexcellens conversio acqviri potest ab aliquo medio extraneo? R. Minimè! Qvin omnis Spiritus ex numero Angelorũ & Sanctorum, aut quicquid in toto mundo est, reperitur impar impertiendo tanto dono, sed sola divina abyssus in suâ immensitate & infinitate efficit eam: tunc namq; immergitur purificatus Spiritus in obscuritatem divinam, in silentium, ut & in adunationem ineffabilem; adeoq; sciendum est, sub istâc mersione perire omne prosperum, adversum omne, par impar, & omnem discretionem, quatenus Spiritus purus seipsum deperdidit in abysso nil noscens de Deo, de seipso, aut de qvoquam alio, & hoc est sic de adunatione divinâ intelligendum.

Q. Repete, quæso, summatim, quid incumbat homini ad istam abyssum itineranti vel exercitium facienti? R. In summâ, quod collectivè dici potest, est, quod hominem oportet emori sibi ipsi, & cunctis Creaturis, in prospero, in adverso, in Spiritu & naturâ, in carne & sanguine, idq; quantum ad hominem, quantum

tum verò ad Deum, oportet eum ſolum amare Deum cum firmo propoſito patiendi intus & extus, prætereà perſtare ad æqvum in proſpero, in adverſo, inſuper & onera hujusmodi portare in Secreto ſine excurſitatione aut querelâ. Enimverò qvi circumcurrunt querulando, parum boni habent in ſe, raroq; Deum in animâ ſentiunt, ſecùs quàm faciunt boni homines, qui foris fugiunt varietatem ſimul & quævis impedimenta, Deo ſolùm viventes in omnibus, omniaq; in Deum reportantes: hâc ergò ratione perveniunt ad ipſam S. Trinitatem.

CAP. VIII.

De Vitæ ſpiritualis incremento, & tranſitione in vitam divinam.

Q. Siccinè vita ſpiritualis differt à divina? Per vitam ſpiritualem pervenit homo bonus ad vitam divinam, quæ eſt nil aliud qvàm incrementum Vitæ ſpiritualis. Ideò autem (quod probè notandum) vocatur divina, quod ſpiritualis homo redditur tunc particeps divinæ adunationis, quâ vita ſpiritualis ſub initium carere poteſt. Ad veram autem Dei & Spiritus humani adunationem, requiruntur duo, quorum

primum eſt, ut ſpiritualis homo ſe magis magisq; exerceat in verâ, conſtanti ac totali omnium rerum averſatione, quæ Deus non ſunt, cum liberâ omnium virium, ac ſenſuum collectione Satisdandi huic averſioni ex integro qvantum in ſe eſt.

Secundum eſt, ut Deus ſuccurrat homini, eamq; averſionem per gratiam in veritate perficiat, quoniam futurum eſt ſic, ut Spiritus mediante divino influxu elevetur in Deum, atq; ſic cunctas ſuas vires transcendat.

Utq; ea commodè procedere qveant, inſervit ſeqvens præ-

paratio, ubi tamen obiter nôſſe ſupponitur, naturam, ſenſûs, mundum, diabolum conjunctis viribus eò incumbere, ut homo in inqvietudine detineatur animo ad vanitatem externam, atq; ad difformitatem rerum mundanarum verſo. Supponitur etiam nôſſe, ſanctum Spiritum contrario modo ſuos inceſſanter impellere, ac trahere ad tranqvillitatem pervacuitatem, puritatem & ſimplicitatem animi. Id qvidem homo externus (carnalis) non percipit, ſpiritualis autem homo cognito eo Spiritûs ſancti tractum ſentiendo obſervat, eoq; ſui præparationem libentiſſimè recipit. Nunc ergò dicendum eſt, qualiter præparetur Spiritus ad divinam vitam (receptionem Dei). Sic autem aptus redditur homo, cùm in ſe ipſo habitare, ac in ſeipſum ſemper divertere diſcit, nimirum in ipſâ Imagine Dei, ubi lumen lucet in veritate, ubi impulſus & monitio ſancti Spiritûs ſentitur & auditur, cui ſincerè pareat.

Cùm Regnum Dei in homine ſit, orandum eſt, ut adveniat, nec minus ſedulò eſt obſervandum, qualiter & quandò inſit, quandò advenerit, quandò receſſerit, & quandò reverſum fuerit. Homo ſpiritualis attentè obſervet, qvò Deum adventantem advertat, quâ ratione domi manendum, & expectandum imò & locus Deo parandus eſt, quo ſocietatem ejus impetret intimam atq; plenariam poſſeſſionem. Mirum non eſt, quod hîc & ibi Regnum Dei non invenitur, nimirùm ubi locus ei non conceditur, nec animus præfato modo præparatur, ſed potius aditus animi occluditur, ne Regnum Dei poſſit introire.

Q. Si Regnum Dei eſt in homine, cur dicitur non adeſſe ei? R. Dicitur non adeſſe cùm ad eſt, procul eſſe cùm propè eſt, nimirùm in reſpectu talis hominis, qui non habitat in ſeipſo, ſed ſui oblitus longo receſſu oberrando extravagatur in mundo, & hactenùs non invenit, non ſentit id, qvod in ſeipſo geſtat. Propterea dicitur, ei, qui veritatem inquirit, incumbere, ut ſaxeum ſui cordis fundum pertundat, atq; reconditam in eo venam vitæ quærat intento in eum oculo, qvoniam futurum tunc eſt, ut flu-

enta

enta divina perpetim ſcaturientia derivent in eum, modò ſupponat aptè ſuum receptaculum. Et hæc eſt præparatio hominis quantum in ſe, cui reſpondet alia præparatio, nimirum ſuperveniens ex parte Dei, quam Taumaturgus noſter per ſimile Actûs luminis ſolaris perſpicuàm reddere conatus eſt. Dicit namq; ſolem divinum perpetuâ irradiatione illuminare hominem ſpiritualem, immediatè inverſum, Deoq; ſubjectum: per iſtam quoq; illuminationem, dicit, incaleſcere fundum aptum, & per calorem diſpelli omnem impuritatem, eoq; extrahi omnem commoditatis mundanæ exhalationem, quo ipſo in Actu ſeparativo nequit fieri, quin Spiritus unà paulatim rapiatur in ſublime usq; ad circulum Divinitatis, quod aliqvo modo explanatur per ſimile ſolis mundani, qui ſuis radiis ſubtus in terram Sparſis mundificat eam ab impuritate ſiccando & calefaciendo, imò & attrahit aquoſam aporrhæam ſurſum usq; ad æthera, ubi divulſa & rarefacta aqua in tantum clarificatur, ut & ipſa lumen fundat, atq; transparens reddatur. Conſimili ferè modo homo ſpiritualis per continuatam illuminationem redditur tandem totus divinus & lucens. Et ſi qvi ſunt, qui nolint id credere, eos convincit experientia, ſimul & teſtimonia talium hominum, qvi non ſemel, ſed iterum atq; iterum ſentiunt, ſe unum cum lumine divino conſtituere, imò qui plus Dei, qvàm ſui ipſius in ſe deprehendunt, cùm Deus longè clariori lumine luceat in illis, quàm in ſenſorio viſûs mundi oculus.

Quod ſi qvis per id terreatur, atquè ob hanc raritatem quæ plurimis inacceſſibilis eſt, incipiat deſperare, expedit nôſſe, multos acquirere beatitudinem, tametſi in tempore ad ipſam præfatam Divinitatem non pervenerint; verùm & hoc oportet nôſse, tales, uti in hâc vitâ divinis hominibus in ſanctitate impares fuerunt, ità quoq; tantò impares futuros ſanctis Dei Amicis in gloriâ, ac in eo ſtatu, in quo apparebunt, manſuros olim.

Q. Eja, dummodò Cœlorum Regnum attingam, ſufficit mihi cuſtodire limina, non appeto diadema, ſi à tàm gravi, ac intolerabili Sanctitatis jugo in hâc vitâ liberari queam? R. Non o-

lapsûs satis perniciosi, passim obvii sunt, si Deus manum suam aufert. Cùm autem non sit abbreviata manus Domini, superest remedium egregium, qvo lapsis succurratur, nimirùm patientia in tranqvillâ perpessione. Hunc namquè lapsum permittit Deus

Primo amore conservationis ejus, quò scilicet homo imposterum majori attentione vigilet pro sui custodiâ, qvemadmodum cautius aliàs solemus amissam rem conservare, si redinventa fuerit.

Secundo Causâ eruditionis ejusdem, nimirum qvo homo agnoscat gratiam non esse suam, quovè in humili confessione gratum Deo se præbeat, & cunctas res imposterum summâ cum industriâ, voluntate, cum omnibus sensibus & potentiis suis Deo reddat. Et talis homo pacificus est, tranqvillus, periculo vacans, alii semper corripiuntur metu, ne prolabantur in judiciū. Sed quia dictum est superius, beatos esse quoad gloriam sibi impares, ipso scripturæ testimonio, proindè hîc assignanda est aliqva ratio, propter qvam eveniat ea disparitas. Hanc Author noster reddit, cùm dicit: Hominem beatum tantò propius, dignius, intimius, gloriosius, ac excellentius frui Deo in æternitate, quantò clarior, potentior, perfectior fuit ejus conversio & inversio in mortalitate, cùm tantum ejus esse conveniat, qvantum hujus fuit in gradu comparativo (sivè pro ratione meriti): Et sicut Angeli omnem suam excellentiam, qvam juxtà gradus ordinum habent, à Deo impetrant per inversionem potentialem in Deum per modum illuminationis; ità & homo per millenas inversiones, quas potest habere in vitâ suâ donec salvetur, impetrat à Deo illuminationem & excellentiam juxtà modū suæ inversionis: Ista inversio (conversio) tametsi sit mira & inexplicabilis, qvia momentanea, tantum tamen efficit, ut homo crescat in Deo, hoc est, approximando Deo arctius uniatur, siquidem hic spiritûs humani Actus est ejus spontaneum, purum, idem & simplex exercitium juxtà puritatem ejus à Deo æstimatum sic, ut quò verior & clarior est respectus Domini, hoc major gratia

gratia & gloria cum novo lumine, novaq; proximitate toties ingeneretur homini. Istam conversionis gloriam negligunt omnes, qvi modos ac merita conversionis tùm & judicii rationem aut non observant, aut derident. Qvi mediis destituuntur (cognitione scilicet & qvalitate) si voluntatem habent, beatitudinem qvidem possunt acqvirere simpliciter; ast qui divina omnia voluntariò postponunt, suâ culpâ careant Deo necessum est in æternum, nam æq; hi atq; alii potuissent ad gloriam præfatam pervenire, si suam operam eò impendissent, adeò neminem salvabit calva excusatio impossibilitatis & fragilitatis suæ. Non enim tantum faciunt hi qvantum possunt, sed similes facti servo Talentum defodienti, & hactenùs reprobato, ac punito, negligunt corde desipiente omnem beatitudinis gloriam, eò qvod non ex omnibus viribus volenter ac desideriosè se ad Deum convertunt, non voluntati divinæ se tradunt, nec post tot lapsûs conversionem suam toties renovant, quoties possunt. Qui gloriam sivè coronam æternitatis desiderant tenentur sæpesæpius renovare inversionem (approximationem) seq; convertere à varietate ad simplicitatem, à tempore ad æternitatem, à mundano creato ad increatam Divinitatis abyssum, à se ipsis ad Deum solum, eaq; conversio ad (in) Deum tàm potens ac fundamentalis esse debet, ut per eam multa annorum tempora impetrari qveant. Illi autem, qvi hanc immensam gloriam non appetunt, non nisi solum nomen ejus cognoscunt, tametsi beatitudinem qværunt & impetrant simpliciter, attamen agnoscere debebant damnum irremediabile, quod sibi ipsis per oscitantiam & summum neglectum comparant. Neglectus eorum & somnolentia probatur per id, qvod in curriculo humanæ vitæ observatur, siquidem constat, eos, qui Amici Dei proximi esse debebant ob electionis & officii prærogativam.

1. Non scrutari divinam Amicitiam, neq; suarum deliciarum oblectationem in solo Deo sed extrà eum quærere, cùm tamen omnem voluptatem unà & solatium divinum essentiale in solo Deo obtinere poterant.

2. Nomi-

2. Nominis divini non comminiſci in ſuis conventionibus, ſed potius diſcurſibus vanorum ac ſecularium geſtorum ſe oble-ctare.

3. Tàm occupatos & impeditos inveniri, ut ipſe Dominus noſter eo quoq; tempore, quo venit ſecum amore & gaudio ſatiatum eorum animas, corda ac ſenſus, præ copiâ Idearum locum non inveniat, mæſtusq; ab illis recedere cogatur.

4. Non amare nec reſpicere Deum ſimpliciter, taliterq; prodere, ſe Deo non niſi ſub ſpecie ſpiritûs falſò ac ſegniter ſervire, comprimis ſi per Deum ac in Deo qværunt utilitatem ac proprium honorem, non merè divinum.

5. Eos nolle ſervire Deo gratis ſeu propriis ſumtibus, ſed tantùm ob meriti mercedem, qualiscunq; demum hæc ſit, nî ipſa vita æterna, ſaltem aut ſolatium, aut deguſtatio ſummi boni, aut ſenſatio divina, aut ſcientia, cognitio, habitudo aut poſſeſſio aut adeptio, cujus ad nutum carnalis homo totus ſiſtitur aut movetur.

6. Eos aut certè paucos admodum recipere dilectum Sponſũ ſtantem & inceſſanter pulſantem præ foribus cordium, afferentem amorem, ſolatium, donaq; multa cœleſtia, imò per ſemetipſum nec non per cunctas creaturas admonentem, quò hortantem & medicantem ſuscipiant. Summa iſtæc incuria exindè provenit, quod qværendo, volendo & amando non appetunt ſolum ipſum Dominum, ſed tantùm ejus bona & dona, nec ſicut decet & par eſt, conſiderant Amorem ejus immenſum, ut gratias ei agerent ex animo ſincero, proindè incuria ea æternum, eoquè irreparabile damnum affert.

Qvaliter autem præparatus homo conſtantiam acquirat, quam ſanctitas reqvirit, alibi docebitur.

Q. Annon in certos gradus diſtingui poteſt vita interna, qvos ſingillatim liceat conſcendere? R. Imò in gradus tres, qvos homo ſuperare poteſt, dirimitur ea, utpotè in infimum, medium & ſupremum: quod ut probè intelligatur, ſciendum eſt, primum gradum internæ virtuoſæ vitæ, per qvam homo informatur, ac dedu-

deducitur ad ſummam Dei proximitatem, eſſe, quò homo ſe vertit ad Contemplationem mirabilium Dei operum, & ineffabilium beneficiorum hominibus exhibitorum, indè prodit ea exercitatio, quam jubilationem vocant. Noſcendum porrò eſt, ſecundum gradum eſſe paupertatem Spiritûs, hoc eſt, ſingularem privationem Dei in formâ cruciantis exſpoliationis Spiritûs. Tertius gradus eſt, tranſitio in Eſſentiam Deiformem ſivè adunatio Spiritûs creati cum ſpiritu increato, qvam liceat vocare inverſionem eſſentialem, ad quam ſi qvis pervenerit, vix unquàm iterum elabi poteſt.

Q. Dic qvaliter quis poſſit ad primum gradum vitæ internæ pertingere? R. Eò contendere poterit, quisquis induſtriâ ſummâ obſervat ſigna charitatis à Deo hominibus exhibita in cœlo & in terra. Conſideret qvis innumera beneficia, quæ Deus homini præ cunctis aliis creaturis contulit, quàm omnia ſpirant, florent, vigent, plenaq; ſunt Deo, qualiter incomprehenſibilis Dei benignitas quascunq; creaturas perfundit donis ſuis admirandis, quàm patienter perverſitatem humanam toleravit, quàm ſolicitè hominem quæſivit, dotavit, coëgit, quàm fideliter admonuit, quàm providè expectavit. Neq; ſolùm id, verùm qvod longè majus eſt, quod propter hominem homo factus eſt, & pro ſalute ejus animam ſuam, ſeq; totum exponendo paſſus & mortuus eſt, quod hominem venatus eſt inſequendo & impellendo ad ineffabilem proximitatem & adunationem cum ipſo recipiendam, quamq; diu dudumq; ſanctiſſima Trinitas expectavit æternam ejus uſurpationem. His omnibus ſub aſſiduâ meditatione in mente perſpectis non poteſt fieri, qvin ingens in eo naſcatur lætitia, quam cùm infirmum corpus abſcondere nequeat, prorumpit in qualiscunq; modi effuſionem, ſic ut ſine majori infirmitate coërceri nequeat. Hæc eſt illa dulcedo, quâ Deus mentem ditat adeò, ut hominem interno & ut ità dicam perceptibili complexu ſibi uniat. Iſte eſt modus, quo Deus trahit, ſeu ſeparat hominem à ſeipſo & ab omni imparitate, quapropter nemini conceſſum eſt quovis craſſo opere eum hactenùs turbandi.

Q. Dic

Q. Dic porrò, qualiter homo ad gradum ſecundum vitæ internæ perveniat? R. Id tantùm tunc fieri poteſt, cùm quis juxtà Paulinam doctrinam ſuperatâ pueritiâ in virum fortem adoleſcit, quod ſic intelligendum eſt: cùm Deus divino ſuo nectare hominem ab omnibus rebus procul abductum confortavit, tunc præbet ei manducandum panem durum ſecalinum, quatenus is adulto & forti viro eſt cibus valdè neceſſarius, & commodus, qualis non eſt lac & ſimila. Oſtenditur ei via per quam ambulet, via obſcura & terrifica, per quam ducatur miſer, ut auferatur ibi omne, quod ei Deus unquam largitus fuerat. Sic in ſe ipſo homo depauperatur ac deſeritur adeò, ut in ſummâ anxietate conſtitutus de Deo nil noscat nilvè percipiat: nil inter creaturas reperit, quod arrideat, cùm velut inter duos parietes ſuſpenſum ſe anticus poſticus bipenni petendum ſentiat, nec usquàm evadendi via detur. Quid, quæſo, factu opus eſt, quàm quod confideat dicendo: ave amara paſſio, plena gratiâ? Quid ſi quis amet, ut ardeat, attamen non niſi careat dilecto, annon infernum ipſum hæc paſſio ſuperet, ſi in hâc vitâ daretur infernus? De ſolatio, quod poſſet ab ullâ creaturâ obtinere, jam conclamatum eſt, cùm averſetur conſolationem ſic, ut nec de eâ velit audire, nec emolliri cor patiatur; ità cum noſtro comparatum eſt homine, cui tantò major ac intolerabilior eſt abominatio hujus deſertionis, quantò perceptio ſuavitatis antecedenter erat ſublimior.

Q. Annon & ſupereſt ſpes aliqua liberationis à tàm tenebroſâ paſſione, quæ â deſperatione haud multùm differre videtur? R. Imò & hîc viriliter ſe gerat homo neceſſum eſt, apprehenſâ ſcilicet fidei anchorâ, quoniam cùm Deus nec tunc procul, ſed propè eſt, vertuntur omnia in finem bonum.

Q. Cur autem tunc omne ſolatium abominatur homo? R. Ideò quod miſera anima vix credere poteſt ſub eâ torturâ poſſe fieri, ut intolerabilis ea obſcuritas unquàm vertatur in lucem. Sed iſtæc deſertio eſt ea præparatio, quæ vocatur incomparabilis ideò quod hominem præparat magis, quàm cuncta cunctorum

rum hominum exercitia valerent præparare. Aſt poſtquàm Deus ſub tàm incomparabili cruce præparavit hominem, qvid ei tandem ſit obſuturum dicito? R. Tunc venit Dominus perductum ſic præparatum hominem ad gradum tertium, ubi obortâ ſibi luce ac revelatâ veritate liberatur à cunctis tormentis & curis, ut tunc ſibi videatur à morte ſurrexiſſe.

Q. Dic quid in tertio gradu obveniat homini præparato? R. Homine tandem ſanato ſivè ab omni cruciatu liberato fit, ut Deus trahat eum à ſeipſo, æq; modis humanis, atq; perducat in ſe ipſum inq; modum divinum, hoc eſt, ex maximâ miſeriâ in ſecuritatem divinam, indè tàm redditur Deiformis, ut omnia quæ operatur homo, operetur Deus in ipſo, tanquàm quod ſupernaturæ ſphæram evectus homo id fit per gratiam, quod Deus eſt per naturam. Hîc homo ſe reperit perditum, quatenùs præter ſimplicem ſubſtantiam neſcit, nec uſpiam invenit ſeipſum. In hoc ſtatu conſiſtit fundum profundiſſimum veræ humilitatis, qvæ ſenſibus unquàm comprehendi poteſt, qvoniam in eo eſt ſita vera agnitio ſui Nihili. Qvi ſe quàm nihil ſit, verè agnoſcit, hoc ipſo mergitur in abyſſum humilitatis, & quò profundior deſcenſio, ſublimior hoc aſcenſio eſt, aſcenſus & deſcenſus hîc habet unum. Quod ſi qvis relicta ſublimitate hinc declinando ad ſe & ſua mediante propriâ oblectatione reſultaret, caderet lapſu quo lapſus eſt Lucifer.

Q. Dic nunc ſummatim, quisnam ſit homo divinus? R. Is eſt, ac dicitur homo divinus, qui eſt illuminatus per lumen divinum & accenſus per Amorem divinum, ſiquidem ex illuminatione procedit cognitio, ex inflammatione amor. Sicut autem lucere & ardere ſunt inſeparabiles ignis proprietates, ità cognitio & amor junctim reddunt divinum hominem. Non enim ſufficit cognoſcere Deum ac divinum; ſi charitas deeſt cognoſcenti, non redditur divinus: ſed ſi charitatem habet, adunatur Deo inſeparabiliter, hactenùs cuncta ſpernendo ac averſando, qvæ non ad Deum pertinent. Nam charitas non amat niſi id, quod ei cognitum eſt, idcircò ſi homo cognoſcit verum eſſe bonum

bonum summum, cætera verò præter id falsò dici bona, necessum est, amet bonum optimum verum, si decipi non vult, hinc dicit Propheta: In hoc glorietur vir jactans se, quod intelligat, & Jerem. 9.
cognoscat me. Sic autem homo in uno amat omne, & in omnibus id unum: econtrà verò qusquis amat hoc vel hoc non in uno vel propter unum, amat aliqvid, quod Deus non est; quatenùs autem præter Deum amat aliudqvid, non amat Deum, id quod dehinc verificatur, quod Deus vult super omnia solus amari, ideoq; ab homine illuminato non nisi solus Deus amatur, qvia sic amatur propter bonum, qvod est omne in uno & unum in omnibus. Quod si eò pervenit homo, ut missis aliis falsis hoc unicum amet optimum, tunc velut satiatus animus ejus qviescit, silet, nec cupit, nec dolet nisi peccatum. Non cupit quidpiam, qui bonum hoc amat, qvia cùm omnia sic habeat, contentus est, velut scriptum est: satiabor cùm apparuerit. Cui Deus sufficit, ad plenum satiatus est, adeoq; non appetit quidpiam, nisi tantùm id, qvod omne est in omnibus. Cui verò sufficit aliud, qvod non est Deus, huic non sufficit Deus, nam talis appetitus distinguit inter hoc & hoc electivè æstimando hoc, illud, aliqvid præ nihilo, secùs quam facit homo satiatus, cui Deus sufficit, qvi unum est & tamen omne & super omnia amatus ac amandus solus in secula. Certè qvi non contentus est cum ipso optimo qvod est adeptus, est nimium avarus: in Deo reperitur omne qvod bonum est, ac dicitur, imò in Deo divitiæ imperscrutabiles reconditæ sunt. Si David dicit: Quis mihi est in cœlo, & à te qvid volui super terram, sufficiat Deus homini sic ut præterea se non nisi in vitâ sanctâ exerceat, qvin & inpassione placidâ, imò & in acerbâ morte. De merito ac mercede sit nemo sollicitus, sufficiat ei, quod sit futurum ut Deus juxtà placitum suum cuncta bona opera clementer retribuat. Desipit homo arrogans, qvi putat se posse operari bonum tanto merito, qvo Deus teneatur jure meriti reddere mercedem. Notandum autem est, hominem taliter peccare non nunqvàm citrà conscientiam suam ex merâ simplicitate, ideoq; peccatum tale nec pu-

nit, nec imputat Deus, qvin potius è superabundanti suâ clementia confert ei dona, qvæ in dies auget, non obstante simplicitate eâ, sic retribuit opus bonum sine merito. Verùm ejusmodi homini parum prosunt cuncta dona Dei, qvia ob suam stultitiam non invenit nec adipiscitur, qvod poterat obtinere summum bonum vel ideò, qvod amor sui seu commodum proprium reddidit eum incapacem.

Dixi autem, qvod homo divinus de nullâ aliâ re vel passione doleat nisi de peccato, hic autem dolor gravis est: ex vehementi enim dolore cognoscitur amor boni, qvoad peccatum arguit pravam voluntatem, qvæ bonæ voluntati contraria est, idcircò nisi dolor de peccato sit gravissimus usq; ad mortem, non erit homo verè divinus. Cæterùm cùm per hunc amorem omne verum bonum in uno tanqvàm unum, vicissim verò hoc bonū in omnibus tanqvàm unum & idem bonum amatur, seqvitur, per hunc amorem amari unà omne id, qvod bonum veraciter dicitur, sivè sit virtus, justitia, veritas, sivè lex, sivè qvicqvid sit, qvod ad verum bonum pertinet. Seqvitur etiam ex opposito, omne id qvod bono huic contrarium est, dolorem acutum inferre, ac conscientiam mordere, qvapropter vocatur peccatum.

Q. Quæritur nunc, qvibus signis sancti homines internoscantur ab aliis minus sanctis, num signo intellectûs, spiritûs elati, an exercitationis duræ & multæ, an ex habitu & specie externâ, an sint qværendi in Claustris aut extrà ea, an divites vel pauperes sint? Respondetur, eos non agnosci ex ullo horum indiciorum; qvales autem sint, apparet ex vitâ eorum planè divinâ, his namq; sufficit gratia divina, ideoq; in cunctis rebus fruuntur pace plenariâ, sic & in gravioribus calamitatibus parato atq; constanti sunt animo, contemplantur ipsam primam & æternam essentiam, insuper & proprium nihil eorum, se semper profundius mergendo in abyssum. Adhuc in tempore ingrediuntur in Regnum beatitudinis, qvod iis in Deo æternum est. Et cùm nil aliud sibi retineant, præterqvàm suum Nihil, qvod proprium eis est, hinc & à Deo ditantur ablato scilicet eorum

rum

rum Nihilo ac permutato cum Dei omnipotentiâ, quâ scilicet redduntur tàm potentes, ut Deus nil sine his, nec hi sine Deo qvicqvam perficiant.

Q. Comparatur nè vera sanctitas simpliciter aut conditionatè? R. Conditionatè saltem: nam nisi cum Christo quis mortuus sit suis desideriis ac defectibus, nisi etiam sic voluntati suæ resignaverit, ut propter Deum velit cuncta sibi contingentia, qvàm aspera etiam sint, sustinere, deniq; nisi parendo divinis monitis operetur agnitam Dei voluntatem, qvantum qvidem humanæ vires ferunt, non potest habere veram sanctitatem. Sic sanctitati opponitur humana malitia, qvam prodit impatientia, proptereà comparatur tentatio igni, qvo examinatur fucus seu fugitiva, ignobilis materia: nam uti in igne perstat illæsum, qvod finum, nobile & fixum est; ità qvoq; per ignem tentationis tàm fugax vitium qvàm virtus permanens revelatur.

Q. Ad qvid autem hoc, qvod antiqvitùs dici solebat in Personâ Christi hominem sic alloqventis; Homo tibi factus sum, esto mihi Deus, alioqvin mihi infers injuriam? R. Cum divina verbi natura in carnem venerit, carne verò induta à nemine cognita fuerit, qvia abscondita in humanitate, qvæ paupertatis & afflictionis ad mortem usq; plena erat; idcircò per ea verba indicatur, convenire homini, ut suam naturam humanam superinduat naturâ divinâ sic, ut in eâ abscondantur omnes carnis infirmitates, ne observentur à qvoqvam: adeò reqviritur vita hominis esse divina, ut ab aliis non nisi pro divinâ habeatur, sic namq; fit homo homini Deus.

Q. Nunqvid ergò divina est vita, qvæ foris talis apparet, an potest externa forma fallere, utpotè cùm homo speciem sanctitatis præ se fert suis modis, gestibus & ritibus, dulci alloqvio, virtuoso opere, qvorum omnium respectu comparat sibi amicitiam & reverentiam &c? R. Externa hæc species fallax est, minimeq; divina, si sine internâ puritate sit, dehincà Christo olim in Pharisæis reprehensa. Externam hanc formam non usq; adeò reqvirit Deus, qvi interiora, nimirum corda & renes scruta-

scrutatur, & abdita queq; explorat. Tota Christi vita, quam imitari, tota doctrina ejus, quam observare tenemur, collimat eò, quò simus ac maneamus firmi (immoti) hoc est, ne afficiamur, nevè permoveamur vel à verbis, utcùm alter alterius existimationem traducit in simulatione falsi,&c. vel à factis, ut si quis alteri subtrahit necessariam vitæ subsidium, si corpus quis lædit, & sanitatem, si curas ac labores inanes cuiqvam causaverit, si virtutem vitio verterit. Nec solùm humana hæc patiamur immoti, verùm etiam divinas tentationes sustineamus oportet hilariter, ut sicubi Deus homini subtrahit omne præsens solatium, si sic ab eo se separat quasi adversus eundem sit, si preces afflictorum non exaudit, nec in majori tentatione pugnantibus subvenit, cujus exemplum Dominus ipse in Cruce à Patre desertus præbuit. Hic necessarium est homini induere divinam naturam, & se suamq; infirmitatem in eâ abscondere, ut qualitercunq; solatii expers stet impermotus, ut pronâ ad Deum, non autem ad creaturas reflexâ facie hæc solùm Christi verba exprimat: Domine fiat voluntas tua.

Q. Ista verò exclamatio cùm non sit oratio, sed sola consensûs confessio, hactenùs qvamlibet orationem excludens, ipsum autem hominem penitus conficiens, ecqvid remanet homini, undè Deum cognoscat, quovè Deum confiteatur? R. Talis divina Essentia est, qvæ melius nunqvàm cognoscitur, quàm cum & in nihilo.

Q. Quid hoc sibi vult ad causam, cujus tanquàm non-entis nulla est relatio? R. Per nihil hic privatio intelligenda est seu depositio mediorum: cùm scilicet homo non solùm mundi curam habet nullam, verùm etiam cùm omnium virtutum Ideas vel causas impulsivas atq; motivas dedidicit, sic enim cognoscit Deum sine medio.

Q. Num ergò posthabenda est virtus? R. Neutiquàm! sed hoc loco reqviritur, ut virtus sit in naturam hominis versa, sic ut non ex proposito mentis, nec ab incitamento aliqvo provocata, sed ex ipsâ naturâ sine causâ sponte & inadvertenter dimanet: hoc

modo

modo dicitur qvis transcendisse virtutem, dicitur etiam Deum tunc demum tangere hominem, cùm nulla creatura cogitationes ejus potest irritare.

Q. Dic cur animâ super omnia in Patriam suam, qvæ Deus est, transvectâ, non etiam simul corpus eximatur à temporalium mediorum necessitate? R. Dati Dei & animæ adunatione, datur etiam corpus habituatum sic, ut cunctis necessitatibus utatur ad Dei gloriam, & tunc creaturarum licita usurpatio non est defectus animæ, sed potius decor (ornamentum). Nec enim creatura potest proximiori viâ remeare ad suum principium, nisi per sanctum hominem, propter qvem est creata, cujus animam non impedit corpus, qvo minus Deo uniatur oblata. Quid quod inter Deum & animam non est obstaculum, in qvantum anima seqvitur Deum usq; in desertum Deitatis, & in qvantum corpus seqvitur Christum in desertum spontaneæ paupertatis: sic cùm non intercedat medium præpediens, unitur Christo Corpus quoad virtutem, anima verò unitur Deo quoad puritatem, qvin & rebus sic stantibus verbum in animâ gignitur.

Cap. IX.

De Adunatione, sivè Adhæsione.

Q. Cùm sanctitas supponat adunationem Dei & Animæ, dignare, qvæso, explicare modum, si qvem habes, aut ejus loco viam per quam anima pertingat ad eam? R. Quamvis Cœli Cives diversi glorii sint beatificati, sunt tamen sic inter se unanimes, ut nullus eorum invideat alteri gradum superioritatis, imò nec altiorem cupiat, tametsi sit minimus. Exemplum ejus proponit S. Scriptura in Rege David, qui etsi mortalis adhuc erat, nil tamen aliud desiderabat præterquàm custodire limina domûs Dei. Istam increatæ & creatæ voluntatis Uniformitatem contestabatur Christus per

 tertiam

tertiam petitionem, qvà oramus, fiat voluntas tua sicut in Cœlo: & sicubi additur (ità & in terrâ) docetur unà, cœlesti voluntati esse in omnibus conformandam mortalium nostrûm voluntatem, præsertim in hoc Communionis Actu, in qvo exasse reqviritur intimior Christi assimilatio. Christus namq; cùm sit Beatitudinis Author, eoq; prior beatitudine, est magis observandus quàm Beatitudo, quæ longè posterior eo est, qvæ & non aliter est expetenda, nisi per & propter Christum Exemplo Davidis dicentis: Quid mihi est in Cœlo præter te? &c. quapropter in ipsâ Beatitudine nil aliud amandum, quærendum, optandum est quàm id quod Deo super conditione nostrâ visum fuerit: & tali modo in Regno Cœlesti communiter fit ambulatio cum Christo. Restat ergò, ut consimilis supernæ Civitatis Concivis nôrit, velit ac possit cum Christo ambulare in Regno mundi seu in terrenâ civitate, quod etiam eodem modo, hoc est, per voluntatis conformitatem fieri potest. Exemplum Christi docet, vixisse eum hîc in paupertate & miseriâ, in fame & siti, in frigore & ardore, in torturâ & ignominiâ, deniq; in passione mortis acerbissimam. Hæc cùm volenter & patienter sustinuerit Christus, hinc ejus passionis formam nobis per Crucis Characterem imposuit, cujus voluntati si nos submittimus, & crucis impositæ passionem volenter & patienter sustinemus, fit, ut eidem & hìc verè simus uniti, eoq; suavi conversatione ambulemus cum illo inter amicos ejus mortales egenos & humiles.

Qualiter autem ad istam Conformitatem perveniat aliquis, è præcedenti doctrinâ cognoscitur: supponitur enim sensuum captivatio, carnis & mundi desertio, curarum alienarum detestatio, tùm & inversio &c. uti pluribus dictum est, quoniam mundus & vacuus animus capax est adunationis divinæ. Sunt autem & media qvædam sub exercitio continuò usurpanda, qvæ quidem non omnibus æq; nota sunt, ast omni studio addiscenda, hæc alibi exponuntur. Veruntamen non tantùm hoc modo præparatus reqviritur animus, quin ad progressum reqviritur interveniens cœlestis conversatio, cœlestis habitaculi visitatio,

tatio,

ratio, cœlestis hæreditatis expensio, quoniam sic est futurum, ut etiam inferiores potentiæ, memoria scilicet & imaginativa occasionaliter afficiantur Ideis cœlestibus seu formis divinis ac velut impleantur sine permixtu terrenarum.... Hoc modo immutatur totus homo, & ex absurdo ac sordido lapide perficitur lucidū, politum Speculum, cui divina Imago incessanter lumen suum infundit, hinc talis homo invenit in seipso primordia mundi futuri non obstante seculari officio, qvo corpus fatigatur, dummodò vanitatem negotiorum terrenorum contemnat, quæ alioqvin nexum superiorum & inferiorum potentiarum (Mentis & sensitivæ) solvunt, tùm etiam consociationem sanctorum Angelorum, secretamvè cœlestium Civium communionem eo modo fideliter servet sub desideriosâ imploratione.... Equidem communionem istam permulti negligunt hoc tempore, insuper & contrà alloqvium, & honorificam commemorationem Sanctorum agminum, ne dicam contrà desiderabilia Advocatorum suffragia ferunt præcocia ac periculosa judicia, exin apparet, tales cunctos nunquàm in Spiritu prælibâsse Saporem cœlestis suavitatis: his omnibus est inaudita doctrina Spiritûs, præparationis, abnegationis, imitationis, & adunationis Christi, ac per consequens reciproca Dei hominisq; oblatio, quâ scilicet homo Deum desiderans linquit seipsum propter Deum, ut Deus eum recipiat, vicissim quoq; recipitur sic, ut Deus seipsum homini reddat: per mutuam hanc oblationem fit adunatio sivè Unitas, sic, ut quod de Deo dicitur, fiat hominis proprium, & quod est hominis, ad Deum referatur.... Tunc certocertius divinus animus est ibi, ubi Deus est, nec minus habitat in Cœlo quàm sub eo, non minus inter Sanctos & Angelos, quàm inter mortales homines. Et qvod certissimum est, divinus animus conversus in seipsum invenit Imaginem Trinitatis, eoq; Unitatem eam, qvâ Deus, homo & creaturæ sunt atq; dicuntur omnes unum in Deo.

Hæc & similia cognoscat oportet, qvi Deo cupit adunari in carne caducâ: verum tamen non potest pervenire eò, nisi

prius superaverit 10. gradûs Sanctitatis. Superat autem gradum.

1. Qui seipsum semper deserit ibi, ubi commodi sui causâ qværit seipsum.

2. Qui detractionis, falsæq; delationis injuriam veritati committit excusandam.

3. Qui Spiritum deduxit in paupertatem aversatus creaturarum solamen ac opem.

4. Qui dedignando honorem oblatum morari cupit inter opprobria.

5. Qui passionis indignum se reputando plures ac majores afflictiones desiderat.

6. Qui in nullo creationis dono, sivè lumine sivè veritate oblatâ desidiosè quiescit, sed ipsum & solum Deum sibi eligit in Sabbathum.

7. Qui semper ad Bonum illud quod Deus est, amanter inclinat.

8. Qui ex amore & compassione reprehendit proximum loqventem aut agentem adversus veritatem & justitiam damno suo maximo.

9. Qui prærupto Beatitudinis calle superato ad creaturas caducas non revertitur.

10. Qui in virtutum Exercitio internè & externè ad summum se occupavit.

Hæc omnia & longè plura, utut distinctè explicentur ac proponantur seorsim, inveniuntur junctim ac indiscriminatim conclusa in perfectâ bonâ voluntate, undè suo qvoq; tempore evolvuntur. Perfecta voluntas cognoscitur è fructibus (operibus) hominum, sicut scriptum est: ex fructibus ipsorum agnoscetis eos. Nam qualis causa, talis effectus, undè sanè patet, exemplum nonnunqvàm plus docere (corrigere) quàm multi loqvium. Hodiè quidem exercent mundum verbosa dogmata, in quibus & ipsa veritas promiscuè invenitur, ast si effectum perspicias, reperies eum in ratione ventositatis cum Causâ suâ exactè convenire,

nire, nam bonam ſuam voluntatem unusquisq́; de ſe prædicat, perfectam nemo. Ecqvis ſcrutetur occultos eos ac innumeros bonitatis gradus in eo, cui verbale teſtimonium redditur diverſiſſimis cum diſtinctionibus & ſubdiviſionibus. De confusâ, ac ventosâ eâ bonitate non ſollicitor, miror tamen ſummam raritatem perfectæ voluntatis, quæ antè 300. annos dicebatur inter 1000. homines vix reperiri in Uno, vix inter 10000. hominum nunc reperiatur in Uno. Sed ſi perfecta voluntas eſt Sanctitatis completæ documentum, occurrit quæſtio de ſenſu ejus articuli, qvo confitemur è Symbolo unam & ſanctam Eccleſiam. Numeroſi Cætûs contendunt ac dicunt, non dari hîc ſanctos, eoq́; confitentur in Cætibus eorum non inveniri Sanctos, cùm tamen fateantur & ipſi ſanctam dari Eccleſiam. Conſequens autem eſt in ſanctâ Eccleſiâ dari ſanctos electivè, tametſi non dignoſcantur ab aliis minus ſanctis. Quæſtio hinc olim oborta eſt de paucitate Sanctorum, & fuit reſponſum, eâ de causâ eſſe tàm raros Sanctos perfectæ voluntatis homines, quoniam maxima pars hominum præfigit ſibi alium ſcopum præter verum fundamentum unum, optimum, undè fieri nequeat, qvin ſummâ ſub inconſtantiâ occupentur alienis exercitiis, ſubq́; perpetuo ſum̃i Boni neglectu ambulent per totam vitam absq́; ullo fructu ſpiritûs. Nam impoſſibile eſt eos, qvi vero fundamento non poſito haud diligenter ſtudent defectûs ſuos unâ cum concupiſcentiâ vincere, puritatem Cordis acquirere, & juxtà præparantis modi acqviſitam aptitudinem ſoli Deo adhærere, unqvàm ad altiorem Sanctitatis gradum poſſe pervenire. Aſt ideò ſunt multi tàm perverſi, qvatenùs obſervant, ſpirituale hoc ſanctitatis indumentum non poſſe in corpore noſtro mortali ſemper geſtari absq́; interruptione aut viciſſitudine, citato dicto illo: qvi in uno transgreſſus eſt legem, totius legis reus fit, hactenùs conantur evertere qvamcunq́; Sanctitatis rationem, & vitæ reſtrictæ præferunt prophanam illudendo ſanctitati ſolius fidei prætextu mediante. Sed ſicut nemo negat in ſtatu mortalium temporaneo non inveniri ſanctitatem omnium abſolutiſſimam; ità nemo fi-

 delium

delium tàm præsumtuosus esse debet, quò sanctitati suam tollat dignitatem habitâ insuper vicissitudinis ratione, qvæ solùm refertur ad statum corporis, nec hactenùs præjudicat sanctitati perfectiori voluntati innixæ.

Plura verò quæ ad viam à te desideratam, quæ ducit ad adunationem, pertinent, invenies inferius in doctrinâ exercitii & præparationis, qvò te nunc remitto.

Q. Dic ergò, qvandò qvis Deo verè adunatus dicitur? R. Tunc, cùm per Spiritum S. in Deo transformatus seipsum amplius nescit. Non enim cum Deo unus Spiritus factus est, qvisqvis diversitatem (multiplicitatem) agnoscit: diversum autem sentit adhuc, quamdiu Deum in seipso, vel se ipsum in Deo reperit, tunc enim non unus, sed duo sunt Spiritus, Dei scilicet & hominis. Ab Unitate exulat pluralitas.

Q. Unitas vera quæ? R. Unitas vera est & dicitur, cùm homo invenitur totus ipse in eo Uno, quod Deus vocatur, sublatus, amissus, immersus, sic ut extrà Deum non amplius amet vel noscat nec Deum nec ullam creaturam; siquidem hominis cum Deo adunati est una Essentia, una vita, diversitatis autem nulla notio: Paulus dicit: vivo jam non ego, vivit autem in me Christus. Ad Unitatem proprio appetitu feruntur omnes creaturæ tanqvàm ad suum principium, qvoniam ibi perpetuum Sabbathum & sine fine dies. Hâc Unitate conseqvutâ pax homini perpetua est, silent cum voluntate turbæ, feriantur negotia, cessant omnes motus & actus, quapropter hîc expendatur opus est, qvanto damno hæc Unitas negligatur.

Q. Modorum, qvo qvis uniri Deo potest, optimus qvis? R. Est saltem unicus optimus ille, qvo qvis seipsum, hoc est, proprietatem suam & in diversa distractionem mortificat. Deus non diversimodè operatur in homine, qvoad opus ejus propriè sumtum est tantùm unum, tantò tamen perfectius atq; potentius, quantò latius potentiæ animæ intus patent, foris unitæ, & seqvestratæ: Hoc autem fieri neqvit, qvin sibi moriatur homo. Cùm vita melior Deus sit, tantò perfectius manifestatur ea, qvantò

quantò qvis ocyus ac verius moritur. Christus exemplo nobis factus est per id, qvod mortuus est ipse, morte qvidem corporis naturali, ut eum seqvamur morte morali. Nam erat ei moriendum mortalitati, cui erat resurgendum ad immortalitatem; nobis cùm unitatem quærimus est parimodo moriendum mortalitati pluralitatis atq; discriminis. Unitas nescit diversum, hinc singula multa vel unit vel perdit.

Q. Siccine inversâ naturâ gignitur ex morte vita? R. Ita credendum est, imò vita mortem subseqvens est vera invariabilis vita, quæ sicut imposterum non moritur, ita sine morte non acqviritur, vocatur autem immortalis, ad differentiam vitæ mortalis & quasi non vitæ. Vita caduca perdurat ad tempus in homine, cætera cuncta animalia debent emori, nempè voluntas, proprietas, natura, pluralitas &c: sic ut homo anteqvàm naturaliter moriatur, potentiâ mortuus dici mereat; hinc etsi una tantùm sit mors, differunt tamen modi ejusdem sic ut soleat dici, mors hæc, mors illa, unica verò mors est, nimirum privatio functionum humanarum, tunc propriè mors dicta cùm vita defungitur.

Q. An etiam una tantùm vita est, sicut una mors, qvæ tamen modis diversis variare videtur? R. Id etiam: Est enim vita unica, vita divina, supernaturalis, increata, & essentialis, qvam omnes creaturæ desiderant, qvæ & hactenùs in & ex eâ vivunt, quæcunq; vivunt, qvin etiam hoc magis atq; veracius, qvò propius ad eam vitam accedunt. Vita quæ sine ista vivit, non vita sed mors est nuncupanda.

Q. Quod si qvis vitam hanc in suo fundo veraciter gliscentem cupit invenire, qvid faciendum est ei? R. Emoriendum est penitus (funditus): nam ubi deest mors, deest & vita, ubi verò mors intervenit, surgit vita immediatè, hinc mors vocatur janua vitæ, quasi vita custodienda tradita sit morti Janitori.

Q. Nunqvid ea mors gradus habet? R. Omninò suos totidemq; habet gradus, quot vita habet & vicissim. Quod si daretur, hominem quotidiè mori millesies, toties eum novâ vitâ revicturum

victurum est concedendum, qvoniam subest independens necessitas, quà Vita morti nunqvàm deroganda est, imò si ad gradum respexeris, Vita tantò potentior est, quantò potentior mors est, hoc vita proximior, qvò mors proximior. Eosdem cum morte habet vita gradus, quorum respectu diversa dicitur vita: qvælibet autem vita novas homini addit vires, undè fortificatus postmodùm queat acerbiorem sustinere mortem. Id toties fit, quoties propter Deum homo emoritur inclinationi suæ intus vel extus, quoties etiam fortiter resistit voluntati suæ sivè ad cupidinem sivè ad vindictam pronæ, sivè probro sollicitatæ, sivè quibuscunq; deliciis illectæ. Hæc namq; dura resistentia ac mors laboriosa est ei, qui nondum ritè præparatus aut contingentibus adversis assuefactus est. Qui ... præparatus est, ei perfacilis imò longè acceptior mors quàm vita redditur ideò, qvod vitam in morte, lucem in tenebris invenit. hinc etiam extrinsecùs non desinit mori tamdiu, donec totus mortuus est, hoc est, donec non est necesse amplius emori ulli rei externæ, & tunc dicitur certâsse bonum certamen, quamvis internè nondum totaliter mortuus est.

Q. Potestnè homo sibi mortuus cunctis rebus uti licenter? Respondetur quod sic, imò jure meritoq; : nam Creaturæ sunt tantùm huic verè jucundæ extus & intus, qui propter Dei amorem deseruit omnes. Sic nemo amavit unquàm in Deo parentes & consanguineos suos, nî prius propter amorem Dei deseruit eos, totalem hanc desertionem vocamus mortem: huc spe-
Matth. 10. ctat illud Christi dictum: veni separare filium à Patre, filiam à matre, & inimici hominis sunt domestici ejus.

Q. Annon ea, quæ mors dicitur, desertio Parentum & Creaturarum omnium, nimium dira mors est? R. Non, imò blanda nimis ac levis mors est, quà homo externus (mortalis) perditur. Facillimè autem deseruntur externæ creaturæ, si qvis à curis mundi atq; negotiis inutilibus aversum se converterit ad novam, internam, divinam vitam, nam dulcoratâ taliter quâvis amaritudine mors tegitur vitâ, nec ullus conflictus metuitur, ubi quis

quis intrò fugatus ridet hostes foris delusos, quotquot occurrunt externa irruentia mentem non penetrant, qvia idem cum impulsu repulsus eorum est. Cùm omnes Ideæ varient, dissimiles sibi sunt invicem: inverso ergò homini necessum est, curare, qvò rerum omnium imagines menti obversantes in se sepeliat aut oblivione deleat, ità ut ex morte dissimilium consurgat vita similitudinis.

Q. Quid denotat illud Pauli: mortui estis & vita vestra sepulta est cum Christo in Deo? R. Tantum innuit S. Paulus hoc dicto, quod nondum sunt unum cum Christo, qui sunt absconditi cum Christo: duo quippè diversa respicit particula cum. Alibi verò dicit Christus: Pater volo, ut unum sint, quemadmodum nos sumus unum. Christus non vult, ut unum sint qvoad relationem Personarum (Patris & Filii), sed quoad simplicitatem ac unitatem Essentiæ, vitæ, operationis, ut scilicet taliter fiant unum & perficiantur in uno, dum adhuc mortales sunt ad vivendum & operandum divino modo. Quod si verò vita hominis debet esse vita Dei, necessum utiq; est, ut totâ naturâ suppressâ confestim ac seriò emoriatur homo cunctis creaturis, aliàs non intrat Deus, cùm se in hoc respectu Deus & natura non compatiantur, nec Deus operetur naturâ operante: emortuâ autem naturâ vivit Deus in nobis, vitaq; semper in morte latet abscondita. Moriendum porrò est & interno homini, sic ut totus homo moriatur. Enimverò tametsi homo miser, cui caduca vita valdè molesta est facilimè moriatur extrinsecùs, nondum tamen penitus mortuus est, quin etiam sæpè fit, ut intus quàm difficulter moriatur, nec facilè recedit desiderium internum ab objecto desiderabili, quiete scilicet, commoditate, solatio &c. Cùm & externus homo objectis suis congaudeat, sicut scriptum est: bonum est mihi adhærere Deo. Col. 3. Ps. 72.

Q. Nunquid sensatio hujus Boni est deserenda, qvæ à scripturâ laudatur? R. Homini perfectionem quærenti deserenda est utiq;, qvatenus ea sensatio pertinet ad commoditatem, solatium & ad internam possessionem (proprietatem), hæc ideò qvod in

se bonum desiderabile est, est deserenda ac sepelienda, utut Scriptura eam commendet: debilibus enim Scriptura favet ideò, qvod sinè gradibus non scandere, sine viâ & gressibus non ambulare possunt, qvæ verò hîc tradita sunt, robustioribus dicta sunt jam longius progressis. His namq; sciendum est, in eo, qvi veraciter Deo cupit uniri, oportere qvoq; emori (silere) (potestates) (potentias internas) hoc est, oportet, ut voluntas omne bonum, omneq; arbitrium, Intellectus qvoq; & ratio cognitionem & intellectam veritatem, memoria species, reliqvæ facultates ac sensus omnia eorum objecta propria & plausibilia deserant, exuant seu deleant.

Q. Annon privata potentiis anima ipsa perditur? R. Id ipsum oportet esse, ut verificetur Christi dictum: Si qvis animam suam servat, perdet eam, qvi verò perdit eam propter me, inveniet eam. Negandum quidem non est, mortem eam esse omnium acerbissimam, eoq; non ab unoquoq; fidelium intelligi; ast cùm cernamus extinctis in homine luminaribus naturalibus, alia luminaria miris modis prolucere in purâ mente, dona scilicet, Dei multum desiderabilia, hinc meritò concedendum est, oportere mentem etiam his donis & illuminationibus emori, qvatenus non sunt ipse Deus, qvia tantùm media Deum inter & mentem intercedentia: eorum mortem probat Unitas, sic ut non sit unus cum Deo Spiritus, qvi partem habet adhuc cum mediis (donis Dei). Hinc verè dicitur, animam tunc propriè inveniri, cùm perdita sunt omnia, qvæ vivunt ac lucent in nobis. Nunqvid animam suam qvis perdidit propter Deum, qvi vel tantillum libertatis propriæ in suâ animâ custodivit, qvò juxtà potestatem volendi hoc velit, id nolit, hoc agat, id intermittat? Qui vult & non vult, potestatem habet & libertatem; ast si potestas operatur, nondum est perdita anima. Contrario modo Christus exemplo suo nos ad sequelam sui invitat, cùm voluntate sui mortificatâ se Patris voluntati dedicabat.

Matth. 10.

Q. Quo signo quis noscitur nondum Deo integrè unitus? R. Eo, si adhuc expetit adhæsionem, observationem, approximationem,

tionem, commemorationem, si voluntatem habet, si sperat vel timet, si amat vel dolet, si eligit vel rejicit: Horum si qvicqvam est vel fit in homine, nondum est unitus Deo. Nam sicut in divinâ Essentiâ non nisi qvies est & silentium; ità & in homine, inter qvem & Deum nil intercedit discriminis, est neq; scientia, cognitio, neq; diversi dilectio.

Q. Annon in Deo est sapientia, charitas, operatio, Filiatio &c? R. Omninò, sed benè est intelligendum, qvaliter in Deo sint... Sunt autem in Personis, non item in Unitate essentiæ. Amare, intelligere, gignere, operari, nasci sunt Actus diversi, & juxtà hanc differentiam discernuntur Personarum effluxus, imò ipsæ Personæ divisim sunt & nominantur... Absit autem omnis diversitas ab essentiâ, qvia Deus unus est qvoad Deitatem, hactenus nec dualitatem nec pluralitatem vel habet vel agnoscit, & hæc Essentia vocatur Dei natura... Nisi Personæ essent in Deitate, non esset diversitas, nulla actuum differentia; si verò Natura non esset in Deo, non esset Unitas. Est ergò Deus unus qvoad naturam, trinus qvoad Personas: in uno autem naturæ ejus terminantur & uniuntur omnia opera per circulum cursus & recursus rerum in eundem fontem manantium, undè derivârunt.

Q. Quod si homo omnia, imò seipsum & animam suam in Deo perdidit, anon hoc ipso simul perdidit virtutem devotionis & observantiæ pristinæ matrem? R. Ità debet esse: nam si qvis tenetur deserere Patrem & matrem, anon id omne, qvod patrio nomine unqvàm potest nuncupari, sivè virtus sit, sivè aliud qvidpiam, deserendum eoq; in Deo amittendum est? Sic autem intelligendum est, opus esse, ut virtus, qvatenùs imaginando, discernendo, & operando utitur diversitate, privetur mediis, eoq; in Deum transeundo obformetur... Diversitas Imaginum est obstetrix, cujus manus sunt virtus & vitium: obstetricantes tolle manus, tollitur partus Imaginum, remove diversitatem, pereunt conceptus Ideales; ast datâ diversitate, divisum est in partes integrum, concepta sunt agmina Idearum, adhibe manus, geminantur partus, sic ut inter fingendum tam citò

pronascantur vitiosæ qvàm virtuosæ. Nam ubi in animâ consurgit Idea virtutis, ibi potest etiam consurgere Idea vitii, & sic non esset odium, si non esset amor nec humilitas, si non superbia esset, non qværeretur summum, si ignoraretur imum. Est ergò imaginationi moriendum, si quis ad unum summum aspirat, ac si essentialiter vult transformari. Per vias itur ad finem, obtento fine negliguntur viæ.

Q. Siccinè virtus semper defuncta manet? R. Neutiquam! Annon est paulo antè dictum, ex quâlibet morte consurgere novam vitam? Id etiam qvoad deperditam virtutem dicendum venit, quæ statim ex qvo in Deo obivit, consurgit novâ vitâ, fitq; homini propria & essentialis, sic ut imposterum non propter objecta diversa nec propter alium finem operetur, nisi propter seipsam, nec aliud qvidpiam operetur, nisi seipsam. Est enim Deus ipse omnium virtutum essentia & causa, quocircà operatur hæc virtus solum bonum propter bonum qvia bonum est bonum, diligit propter charitatem, verax est propter veritatem, justa propter justitiam. Veritas essentialis non recipit magis vel minus, simplex veritas, simplex bonum & simplex unum est Deus perfectus nil perdens, nilq; recipiens.

Q. Annon & Creaturæ, puta Cœlum, Angelus, homo habent unum, verum, bonum, quatenùs sunt entia subsistentia? R. Id quidem sic est, verumtamen id habent non sine modo, qualitate, quantitate, prætereà omnes omnia vel singula in uno ente finali habent terminata: ideò si velit quis omne bonum, omne verum, Ens omne, habebit hæc omnia in uno Creaturæ omnis principio simplicissimo, Ente vero, bono, sine modo tali. Hinc dixit ille: Quis mihi est in Cœlo, & à te quid volui super terram. Suadetur ergò pio homini, ut misso Cœlo, Angelo & Homine capiat Ens essentiale, bonum, verum nuditer in eo ipso, nec patiatur eidem adjici qvidpiam, cùm minimum adjunctum tollat Unitatem. Multiplicato uno fiunt termini, pluralitates, intercapedines, sic ut mens admisso adjuncto reverà ejus Carcer nuncupari possit. Unum, quod Deus est, continet intrà se omnia, dat omnibus

bus tàm esse quàm bonum, & extrà eum, qui immensurabilis & infinitus est, nihil est.

Q. Si quid autem divinum est, puta homo, modus, opus, qvæ in se dimensa sunt & finita, divinum autem est, quod Dei est, quæritur, qualiter finita cum infinito conveniant? R. Finita qvandò in Deum terminantur, fiunt infinita & immensurabilia: sic modus in quantum divinus est, non extrà seipsum est, quia inest ei omne bonum essentialiter, veraciter, simpliciter, nil dissitum est ei, nil alienum; sic homo divinus, in quantum per Deum & in Deo opus vel facit vel non facit, nil unquàm negligit, imò opus quod quantum potest, perfectissimè peragit, est opus omnium optimum, qvia per Deum factum. Hoc respectu opus minimum coæqvat dignitate maximum, nimirum, quia bonum inest operi essentialiter, non accidentaliter. Idem de parvâ oratione venit dicendum in comparatione ad magnam, si sit divina. Bonum quod operi externo inest, habet se juxtà intensionem charitatis, hæc autem interna essentiæ potestas est, quapropter tantum est boni in minimo, quantum in maximo, in uno tantum quantum in omnibus: quod autem hîc requiritur est fundi æqualitas, reliqua qvæ fundum ambiunt, sunt signa latentis fundi. In veritate, si quis divinam voluntatem habet bona opera & eleemosynas faciendi, sanctitatem habendi, cuncta tormenta sustinendi &c. quantum vult ac optat, dummodo sola desit potestas, id omne præstitum est coràm Deo velut ipso facto.

Q. Quid sibi vult dictum Christi: In sua venit & sui non receperunt eum, quotquot autem receperunt eum, illis dedit potestatem fieri filios Dei? R. Licet omnia sint Dei, propriè tamen humana natura dicitur possessio, hæreditas, proprietas verbi, qvoniam verbum assumsit solùm eam naturam in unionem, ac præter hanc nullam aliam, idcircò dicit textus in sua venit. Sic ejus sunt propriè, quorum natura humana est, capax recipiendæ filiationis Dei. Ut filius Dei naturatenus est unum cum Patre, ità & homo divinus per gratiam est unum cum Deo qvoad Joh. 1.

 divi-

divinum esse, & hâc ratione est ac dicitur Filius Dei, extrà quem Deus nil agit, sicut nec homo talis qvicqvam agit sine Deo, imò nec Deus se separat à tali homine, nî homo prius se separaverit. Hoc enim negandum non est, quamprimum in homine divino aliquid aliud præter Deum est, vivit vel sapit, se cuncta habere tunc aliter; siquidem divinus is tantùm homo est, quem præter Deum nil movet uspiam, cujus ad operandum causa solus Deus est: imò divinus homo nec vocat, nec comemorat Deum extrà se ipsum, cùm propter id quod unum sunt in uno inveniat Deum in se ipso, & cùm Deus movet, vel tangit hominem peractum opus suum per eum, tàm à se aliena videntur hæc Dei opera, ac si per alium facta fuissent.

Q. An etiam sui sunt tales homines, qui non recipiunt Filium Dei? R. Omninò sunt ejus, quia homines sunt; sed non sunt unum cum eo, adeoq; nec Filii Dei ad optivi. Respectu naturæ quam verbum assumsit, est quivis homo Christo proximus, tùm & homini, imò omnibus hominibus, remotus autem unusqvisq; & à Christo & ab aliis individuis quoad personam. Naturam uniuscujusq; hominis assumsit Christus, & hactenùs in semetipsum omnes traxit, quod autem non omnes seqvuntur, quò trahuntur id propriâ eorum culpâ fieri certum est. Per id autem, quod totam humanam naturam assumsit, necnon divina dona cuncta ei contribuit, quæ à Patre accepit, seqvitur, divino quoq; homini tribui omnia, quæ Christo data sunt à Patre, sic ut tam sint propria homini, quàm eiipsi. Verùm quid prodest homini, qvod homines sint juxtà naturam sibi similes, stultus sapienti, minimus maximo, damnatus beato, homo Christo, si sibi est proximus homo, si sua plus quærit & amat quàm ea qvæ Dei sunt? Nam ad Charitatem proximi reqviritur, ut ea sit modificata versus omnes homines sicut versus se ipsum, sic ut homo aliorum esse, vitam, bona, commodum, solatium &c. pari curâ ac propensione observet atq; suam.

Q. An ergò indifferenter communia sunt cunctis præstanda opera, an juxtà modum aliquem? R. Juxtà modum qvidem, sed cum

eum quo Deus utitur, qui omnes ad æqvum amat homines, non tamen indifferenter omnibus communia præstat charitatis opera, & modus iste propter ordinem est quoad Deum, propter impotentiam autem quoad homines. In charitatis exhibitione observat ordinem, qui benefacit Parentibus, liberis, cognatis, notis & iis quibus potest benefacere, cùm impossibile sit omnibus ad æqvum satisfacere indifferenter, necessarium verò benefacere illis, qui negligantur aut pereant, Nutriciis aut genitoribus suis concrediti sunt, & hic est ordo ad possibilitatem emensus, non autem qvi talis quibusdam apparet, quia est parens, agnatus, amicus: minimè.

Q. Annon per id qvod unum cum Deo esse dicitur, infertur æqualitas? R. Non: Unum est unum, non item æqvale. Hâc ratione divinus homo est unum simpliciter, qvia nihil apparet in eo nisi unum.

Q. Num dari hâc unitate homo naturam suam in Deo perdendo annihilat? R. Neutiqvàm: nam sui ipsius amissio intelligenda est de activitate, comprehensione, & usurpatione sui, ut cùm homo se ipsum tanqvam seipsum ignorat, sicut scriptum est: mutatus & nihil factus sum & ipse nesciebam. Divinus homo nec scit, nec operatur, Deus scit & operatur in & per eum juxtà voluntatem divinam sine impedimento. Hanc hominis immutationem exoptabat Christus affuturam cunctis credentibus, proindè rogabat Patrem, ut daret fidelibus Unitatem, sicut & ipse Pater unum sunt. Unitatis ejus rudimentum qvoddam exhibet Imago Ecclesiæ, quæ testante Scripturâ, qvoad externam qvoq; suam formam in Similitudine ad Unitatem Dei una saltem & esse & apparere debuit.

Q. Dic ultimatim, qvali modo homo adhærens Deo reddatur firmus, constans, immobilis ac imperturbabilis non obstante motu primo, motoris sui actu vitali & naturali? R. Hic modus consistit in triplici externi, pariterq; in triplici interni hominis regimine, externi qvidem.

1. Est, ut tùm amictus qvàm cunctæ aliæ externæ Species & nego-

negotia præbeant Simplicitatis indicia, qvæ nemini tantoperè qvàm Deo complaceant.

2. Ut Sermo ejus ſit ſimplex, brevis, utilis atq; è rebus divinis formatus.

3. Ut tota ejus Vita ſimul & opera à nemine poſſint culpari.

Interni hominis regimen eſt

1. Ut Cogitationes hominis ſint puræ, ac cœleſtes.

2. Ut ſolum Deum in cunctis conceptibus qværat & reſpiciat.

3. Ut in cunctis accidentibus ſivè adverſis ſivè ſecundis rebus ſemper eodem perſtet animo per modum aqvæ ſtagnantis.

Ut autem horum requiſitorum cauſam penitius perveſtiget, noſcendum eſt, Deum non revelare ſe (non apparere) in Mente, quamdiu homo à Creaturis aut rebus humanis movetur (afficitur) ſivè ab afflictione, ſivè ab honore, inſigni amore, opibus &c. Oportet ergò hominem cavere ſibi, ne ſuum deſiderium flectatur ad ullam malitiam. Oportet etiam paratum eſſe ad ſuſtinendum impetum qvaliscunq; adverſitatis, ſic ut citrà damnum immotus perſiſtat. Oportet etiam hoſtibus, ſi qvà crudeliter tractaverint eum, ità ſine vindictæ cupidine ignoſcere, ut mali nil iisdem imprecetur, ſed potius ejusmodi afflictiones à manu Dei libenter atq; cum gratiarum actione recipiat. Et quamvis ob dolorem conſurgat motus primus naturalis, is tamen quamprimùm obſervatur, eſt inhibendus cum Deo, ſic qvidem, ut ea apprehenſio nec verbis nec vultu prodatur. Tali modo acqviritur conſtantia nactæ ſemel adunationis divinæ, cui Coronidis loco adjicienda eſt neceſſaria obſervatio, nimirum, ut homo in mediis negotiorum undis valeat ſe liberare à cunctis cogitationibus, Ideis ac umbris, qvotiescunq; ſe ad orandum compoſuerit.

SECTIO

SECTIO SECUNDA

In præcedenti Sectione ostensum est, qualiter qvis possit potiri Regno Cœlorum, atq; illuminatus Dei Amicus fieri in tempore, nimirum, cùm Vitam Christi Redemtoris in viâ perfectionis sequutus evadit in virum spiritualem, sanctum & divinum. Cùm autem tales Amici Dei ob summam difficultatem inveniantur rarissimè, hâc ratione videtur deficere aliqvid, qvo minus huc usq; perveniant homines. Id autem qvod deest, consistit velut in quâdam disciplinâ, qvâ homo præparatur artificiosè sic, ut noscat viam & modum, cujus ope tutò incipiat, & qvousq; potest progrediatur, hanc disciplinam vocat Author noster præparationem: qvisqvis hac destituitur, habet præfatum defectum. Verùm non omnis homo sic potest præparari, sed tantùm probus Christianus, qui in ovili Christi (gremio Ecclesiæ) congregatus exercet pietatem, hic debet nosse modos, quibus ad ambulandum opus habet, viam item, remotam, brevem & brevissimam, quæ ducunt ad unum Scopum. De hâc igitur præparatione esset in præsenti Sectione agendum, ast cùm hæc probitatem supponat, sine quâ nulla est præparatio, hinc operæ pretium est hic eam præparationem differre, & multa ea quæ ad pietatem reqviruntur præponere, qvod ut juxtà ordinem qvendam procedat, expediet ab ovo incipere ac seriatim tractare de iis, quæ rudem Cathechisantem in probum hominem mutant. In primis cuilibet Christiano competit virtuosum esse, prima autem Christiani virtus est fides Catholica juxtà Symbolum Athanasii, tanqvàm qvæ basis est sive fundamentum Christianissimi. Hæc ipsa reqvirit primò agnitionem & fugam peccatorum, secundò contritionem animi (pœnitentiam) tertiò affectuosam ergà dona Dei reverentiam, quo & Evcharistiæ Sacramentum pertinet, indè conciliatur Charitas Dei, è qvâ redundat subjectio, obedientia, & exercitiũ

 in

in bonis operibus, hoc pietatis vocant exercitium, quod proximi charitatem includit.

Quisquis huc usq; pervenerit, is probus homo nuncupandus est, eoq; aptus ad eam præparationem, cujus nunc mentio facta, quævè ad perfectam, & spiritualem vitam necessaria est. In ordine igitur incipit.

Cap. I.
De Fide catholicâ.

Q. Mirum, quàm præcipitanter de Cœlo lapsus impingis in imum terræ Scopulum! Annon oblitus es, te hactenùs docuisse, qvaliter humanus Spiritus in tempore conquirat Regnum Cœlorum, eoq; dicatur perfectionem adeptus esse, quoniam nunc incipis tractare de omnium infimo articulo, qvi recitatur à pueris, estq; basis seu fundamentum, qvod non conspectui sistitur, imò cujus doctrina adeò practicis Christianis superfluam autumabat S. Paulus, ut etiam objurgaverit eos, qui insistendo in primis his fidei viis negligebant progressum, hos enim infantibus comparatos lacte fidei pascendos judicabat, sed & indignabundus vetabat. Ecquis ergò te non derideat jure meritoq;? R. Te derisorem tuiq; similes spectat ea, qvam objicis oblivio, facitq; similes Judeis, qvi Christum concionantem extollebant stratis in viam vestibus, mox verò facti immemores damnandum eum tradebant ad Crucis supplicium: rursus per signa portentosa conversi Filium Dei denunciabant, quem iterum posttriduum cum Pharisæis abnegabant. Quodsi enim fides est fundamentum, sitq; viva & per dilectionem sic operans ut exercitium pietatis superstruatur ei, monstrandum tibi est, quî possit tractatio fidei penitus omitti in pietatis exercitio, quod in hâc sectione tractandum indicavi; sed hanc ipsam tractationem eo momento quo legisti, oblitus es.

es, aut quæ eidem includi debent, nondum didicisti. Hujusmodi oblivio non inter plebem tantùm, sed ubiq; tàm est vulgaris, ut nil communius, certè digna quæ nigro signetur lapillo. Quod autem S. Apostolus invexit in eos, qui nil nisi fidem prædicant, hujus causam ipse assignâsti in tuà objectione allegando id, quod adhuc primis viis insistant, progressum negligant infantibus similes facti qui lacte pascendi sunt, cùm olera concoquere nequeant. Id ipsum ad nostra tempora opportunè venit applicandum, quæ etsi non aurea, sed ferrea nuncupentur ipsa, nihilominus non duros ea ferunt homines viros, qui ferro agere aut ferrum sustinere valeant, diceret qvis homines potius adeò lacticiniis emollitos inveniri, ut alimenti sui instar ex pari diffluant. Qvid quod huc usq; per secula disputatur de fide sic, ut nemo præsumat finem ejus disputationis prævidere, hinc nihil morandum duco, quin quæ jam incipit Secunda Sectio initium à fide sumat, quæ in negotio Spiritûs nil prius habet, sed omnia posterius, imò nec ipsum hoc initium caret doctrinâ spirituali, cujus ergò tractatio quædam brevis est licita, uti quoad ordinem necessaria, hâc etiam ratione dehinc exclusi vulgarem disputationem de fide, quæ verò huc pertinere videntur, adjeci. Qvæ ad catholicæ Fidei probationem inserviunt, in suis Polemicis uberrimè exposuerunt S. Patres, & multi recentiores Theologi, qvorum probatissima inveniet curiosus Lector in aliis meis tractatibus tanquàm in compendio, quæ verò ibi deficiunt ceu non necessaria, commodius huc reservata sunt. Tu ergò de his quid velis interroga.

Q. Fides Romana, qvæ prædicatur per totum orbem terrarum, est ea Fides, quæ per dilectionem operatur, & hactenùs vocatur viva & justificans. Quàm clarè autem S. Patres cum S. Scripturâ eam passim commendant, hoc non obstante magna turba hominum hiscè seculis opposuit se Orthodoxorum Doctorum testimonio antiqvissimo per hoc, quod vel dissimulant necessitatem operationis, vel prorsus eam à fide justificante secludunt inductâ voculâ exclusivâ (τὸ sola).

Quæro igitur à te tantùm, qvid Author noster proferat de solâ fide ad justificationem? R. Nil habet Author noster de fide solâ, ideò procul dubio, quod ea tunc temporis Usu carebat. Mihi autem videtur vocula sola hoc loco esse periculosum epitheton, quatenus ab eâ re cui jungitur, excludit quoq; cuncta, quæ alioqvin de eâ dici solent. Fidei juncta non tantùm excludit præterita opera omnia sine fide facta, sed etiam subsequentia, quæ cum Fide, per Fidem, & in Fide peraguntur. Quodsi quis fidem comparet arbori, opera fructibus, hoc ipso distinguit inter arborem & fructum ejus, si verò non distinguit inter fructũ & arborem, utrumq; intelligit inclusivè sub voce arboris, & talis est sensus rei comparatæ. Enimverò quisquis per voculam sola explicat justificationem, is opera Fidei ab ipsâ fide vult aut non vult exclusa, si illud, indubium est, eum confundere totam christianam doctrinam contrà quàm licet; si istud, imprudenter usurpat etymon sola, quo ipso noscit exclusa opera, quæ in rei Veritate reperit inclusa Fidei. Ast hi, qui dicunt vivam Fidem solùm justificare, tollunt solitatem per adjectam voculam viva, statuendo sic fidem esse vivam per opera, vitam scilicet, sivè virtutem fidei operibus donando, quod est perindè acsi juxtà catholicum dogma dicerent, Fidem & opera justificare. Idcircò dixi, voculam sola hoc loco esse vocabulum periculosum, quod, tametsi in sano sensu, hoc est, quoad prævenientem gratiam quodammodò possit usurpari, non tamen est retinendum ubiq; nec detorqvendum ad gratiam subsequentem, cùm credatur fidem esse fundamentum reliquarum virtutum ac operum meritoriorum, quà nihil apud Deum invenit gratiam sine Fide: sic plures lapides huic basi superstrui, vel copiosos fructûs in eâ arbore pronasci haud dubitamus & tamen est una arbor cum vel sine fructibus, fundamentum unum cum vel sine ædificio. Primo modo cùm fundamentum ponitur, possum dicere solum fundamentum, sed secundo modo, cùm variæ partes eidem sunt superstructæ, non possum dicere fundamentum solum, cùm jam sit ædificium appellandum. Ad Fidem id applicando, quisquis est

eſt qui dicit Fidem ſolam juſtificare, ſibi tamen imaginatur **Fidem** debere eſſe vivam, is decipit ſuos Auditores, qui credebant dari fidem mortuam expreſsè per voculam ſola intelligendam datã, tunc autem credere debent hanc Fidem eſſe juſtificantem, quatenùs neſciunt quod qui eo ſenſu docet, celat ſenſum quem habet in mente, hoc ad ſecundum modum. Quoad primum modum autem, dixi qvidem voculam ſola in ſano ſenſu admitti poſſe, ſed qvis neſciat, qvânam ſub Cautelâ is modus explicari debeat? Qvoniam nemo audebit dicere gentilem hominem mortuum poſt aſſumtam & confeſſam Fidem neglecto baptiſmo ſalvatum iri, qvia ſcriptum eſt: qvi crediderit, & babtizatus fuerit ſalvabitur, baptiſmus autem opus eſt. Neceſſum ergò eſt, ut credens baptiſmum deſideret, ſi qvà obtinere neqveat, aliàs periclitatur de Salute. Sic infantes baptizati ſalvantur per baptiſmum, ſi moriuntur, anteqvàm credere poſſunt. Tenetur qvoq; credens adultus antè & cùm baptizatur, amare eum & fidere ei, in qvem credit, qvæ omnia ſunt talia opera virtuoſa interna, qvale qvid & fides eſt; ſed hæc concomitantia opera excludit vocula ſola. Videant ergò qvàm circumſpectè ſit agendum in Uſurpatione voculæ ſola, etiam cùm ei juſtificationem tribuimus in ordine ad gratiam prævenientem. Salvator mundi miſertus humanæ vanitatis oſtendebat populo ſuo qvod falsò credebat qvaſi æterna ſalus ſit ex operibus Legis impetranda: hæc ſanè miſericordia erat magna & gratuita. Hoc patefacto errore adjiciebat inſuper gratiam pro gratiâ docendo eum modum per quem ſalvari poterat mundus, qvæ gratia certè ingens erat, cùm animus qvi naturatenus bonum qværit, non poterat à ſeipſo qvod qværebat invenire. Docebat porrò proceſſum Redemtionis, qvam liberè ſuſcipiendo abſolvit, hâc mediante nos recipiendo ac purificando. Liberum hoc factum non fuit ullis noſtris meritis attribuendum, adeoq; qvà noſtram Fidem oppignorari decebat, erat ea per Revelationem manifeſtanda, hinc prædicatio, qvà ſcilicet per eam notitia in ſenſus, per ſenſus in memoriam, ex hâc in rationem & intellectum perveniret.

veniret. Re taliter cognitâ assentit intellectus aut non assentit, si non, luit culpam pravitatis (in obedientiæ) qvatenus mens per lumen cognitionis tunc invenit ipsum summum bonum, qvod cunctis in rebus qværere debebat, id si non recipiendo à se repellit, dicitur Mentem esse obserratam; qvi verò assentit Intellectus, eum illuminatum vocamus, qvatenus Mentem hanc penetravit Lumen verbi, is ergò, à qvo sentit, hoc ipsum qvod prædicatur esse verum bonum, cui neqvit contradici, assentit ei, & hæc est assensio ea, qvæ vocatur Fides, tantò qvidem fortior, qvantò ignotæ rei excellentis cognitio purior, plenior, qvantovè rei inveniendæ desiderium ardentius est. De hâc assensione notandum venit, qvod sit sensatio influentialis veritatis essentialis, dehinc dignoscere possumus, an Fides vel Opera seorsim aut junctim justificent, id namq́, tota S. Scriptura, qvam credens tenetur credere, abundè explicat, hæc digitus est ejusdem veritatis essentialis. Cæterùm hæc ipsa assensio est opus mentis virtuale, siqvidem est Actus intellectûs reflexi in ipsum Ens verũ, qvod sic cognoscit, isq; actus qvà purus est ac segregatus adhuc ab omni alio opere, vocatur speciali nomine Fides: huc spectat omnis Apostolorum doctrina controversistica de primo Fidei merito, qvod scilicet id referatur ad gratiam prævenientem in baptismo expressam. Cùm autem contingat hominem qvàm citò elabi ex eâ gratiâ, atq; per meritum peccati amittere redemtionis, justitiæ ac Fidei meritum, quæritur meritò an Fides Lapsi recuperet eam necnè? Negativam tota Ecclesia semper tenuit, (qvod alibi latissimè deduxi) hâc tamen non obstante affirmativa hoc tempore magis arridet multis, etiamsi non audeant palàm asserere, qvod sub peccati actu amittatur Fides. Annon coguntur fateri hactenùs, stante Fide sub actu peccati nequaquàm eos gratiam & justitiam amittere quia insuper justificari? Cùm sub peccato non persistat justitia, apparet hîc eos non distinguere inter justitiam & injustitiam, quæ simul stare nequeunt. Cùm autem sint inter eos qui credunt in & sub Fide amitti justitiam peccatoris, quomodò recuperabit

perabit justitiam per solam Fidem quam peccator semper habuit, & quæ ab amissione justitiæ eum præservare non potuit, ergonè hæc medicina est tantùm curativa, non præservativa? aliàs autem facilior est cura præservativa, quàm curativa. Si verò vellent dicere, perdi Fidem sub peccato, quatenus non credunt peccatorem in peccato mortali mortuum iri salvatum, annon hinc seqvitur ad obitum usq; eos Fidem non habere, eò quod ajunt mandata DEI servari non posse, peccata autem semper comitari eos naturatenus, ut taceam quod defectus, ac peccata omnia promiscuè pronunciant mortalia? Sunt autem & inter eos, qui pœnitentiæ opera adscribunt præparationi, qvid autem hoc ad Fidem solam? Cùm Deus attendat tali præparationi, consimilibusq; operibus, per quæ augetur Fides, succenditur amor &c. tollenda est vocula sola, quæ robur & augmentum fidei solvit, quid aliàs essent termini iræ Dei, subtractæ gratiæ, quid cum difficultate redinveniendæ gratiæ, quæ omnia in S. Scripturâ credendum proponuntur?

Q. Cùm inter multos mox prædicetur Fides sola (operibus carens) mox viva (per dilectionem operans) quid sentis indè seqvi? R. Hanc diversificationem sequi in populo confusionem testatur ea mundi impietas, cui per distortam rei intelligentiam data est occasio in libertatem carnis. Cùm enim existiment, omnem promiscuè Fidei prædicationem oportere esse rectam, indeq; Fidem solam (excludentem) non posse esse non vivam, contenti sunt tali fide, quæ genio eorum & plausibilior est & conveniens eorum rationi. Sunt ergò inter eos qui putant se fide suâ stare posthabitâ pietate non advertendo tantam petrificati Cordis duritiem, è quâ venit, qvod solent dicere: se habere Charitatem, cùm Charitatem non habeant, se facere bona opera, cùm opera nonnisi mala faciant, quorum etiam vitam si quis examinatum instet, appellant ad solam Fidem, id est, ad non Fidem, quia tantùm verbalem, quam S. Scriptura vocat incredulitatem. Huic verbali fidei applicandum est id, quod Dominus dicit per Prophetam: Labiis me colunt homines, sed cor eorum

rum longè à me eſt; quod idem eſt ac ore benedicere,& corde male dicere, qvoniam qvem ore Deum fatentur,factis negant.

Jacob.1. Q. Cùm ſcriptum eſt: Fides ſine operibus mortua eſt: huic Marc.16. autem dicto opponunt aliud dicendo, ſcriptum eſſe: Qvi crediderit,& baptizatus fuerit, ſalvus erit. Ad quid inſervit ea textuum oppoſitio? R. Videtur ad id iisdem inſervire, ut Cordis ſui duritiem abſcondant excuſatis peccatis, quod ut tantò facilius qveant efficere, ut plurimum Jacobi Epiſtolam exauthorant. Verùm Apoſtolus Paulus dicit: quotquot ſunt baptizati,eos eſſe baptizatos in mortem Chriſti: & rurſus dicit: eos qui ſunt cum Chriſto mortui, mortuos eſſe peccatis & carnis Cupiditatibus: exin videmus, per præcitatum dictum Chriſti duo intelligi in ſenſu ſpirituali, per baptismum quidem mortificationem veteris Adami (id eſt: peccati) per Fidem autem vitalitatem novi Adami (id eſt: exercitium pietatis): quod ſi in ſpiritu,non in literâ quærendus eſt ſenſus, indubium eſt eos qvi verum ejusdē dicti ſenſum capiunt, ineptam fore pronunciaturos hanc oppoſitionem dictorum, quoniam loqvuntur Fidem,qui Fidem non faciunt. Hinc dicit S Auguſtinus: Fidem eam, quæ non cum vivâ charitate & operibus intrat in Deum,ut cùm creditur tantùm ore,non eſſe Fidem veram: fides autem ficta vocàtur in Evangelio incredulitas.

Q. Undè cognoſcitur iſtæc hominum incredulitas? R. Manifeſta ea eſt in cunctis his,qui præter Deum deſiderant aliud quidpiam, hi nec digni ſunt nec poſſunt dicere cum Rege David: Deus meus es tu Domine, præter te quid volui ſuper terram? Eorum quidam comparantur incredulis Chriſti diſcipulis, qvi ore Meſſiam confitebantur, corde vero diffidebant ei, quos obindè Dominus antè ſuam Aſcenſionem graviter objurgabat.

Q. Nonnè hæc objurgatio inter nos qvoq; locum habet hodiè, prout videtur,ob tantam populi incredulitatem? R. Inter omnes eos locum habet, qvorum corda ſunt obdurata, & à ſpiritu incredulitatis petrificata, idq; tantò magis, quantominus ad eum modum, qvo convertebantur Apoſtoli, id eſt, per Spiritûs S. chari-

charitatem convertuntur, qvâ mediante reprehenditur homo, durumq; Cordis coagulum dissolvitur.

Q. Siccinè duro Cordi tantùm deest voluntaria Correptionis susceptio? R. Sic est, non aliter: nam bonæ voluntatis hominibus data sunt promissa divina, qvorum ideò res salva esset, si agnitâ cordis duritie divinam susciperent objurgationem. Qvàm multi verò sunt, qvi spretâ agnitione contumaciter persistunt in suâ incredulitate indies singulos duriores redditi. Propudiosa eorum, qvi Deum agnoverunt, durities est, qvâ omnis boni facti, orationis & similium piarum Exercitationum eliditur desideriũ, sic ut eorum corda in viâ ad Deum penitus lapidescant, qvàm mollia sint aliàs ad sentiendum caducas delectationes. Contemnunt id, qvod eos spectat dictum Prophetæ: Auferam ab illis Cor saxeum, & dabo illis Cor carneum, ut in viis meis ambulent, & custodiant mandata mea. Voluntas autem prava cùm semper obsistat, qvominus Deus lapideum Cor eorum emolliat, non potest fieri, quin in antiqvâ de mentiâ persistant non curando præfatum effatum DEI, qvin potius contradicendo ei & cæteris similibus. Ezech. 11.

Q. Qvænam est causa, qvod tales homines ad obeunda pia Exercitia tàm frigidi sunt, duri ac rigidi, nec ullam indè percipiunt suavitatem? R. Vera ejusdem insensilitatis causa hæc est, qvod cor eorum non est obsessum à Deo, sed à Creaturâ, quam oppugnare nolunt spretâ monitione & reprehensione.

Q. Redeundum nunc iterum est ad qvasdam Objectiones, quarum solutionem reqviro: freqventer enim objiciunt dicta: Marc. 16. Qvi non crediderit, condemnabitur. Et: ut omnes qvi credunt in eum, non pereant, sed habeant vitam æternam. Joh. 3. Qvibus dictis volunt probare, qvod quilibet homo per solam Fidem in Christum & Redemtionem adipiscatur Justificationem sivè gratiam, Salutem & cuncta bona Cœlestia. Id qvidem minimè sic esse à tota S. Ecclesiâ semper ostensum est, tu autem qvid sentias hîc refer? R. Sunt, qvi hæc Salvatoris dicta minus rectè nitelligunt, quin etiam alia dicta, qvæ Christus hiscè postposuit,

puta de luce & charitate verâ, de veritate ſub fide comprehensâ communiter obaudiunt, idcircò qvalitatem Fidei non dilucidant. Habet autem Fides gradus quosdam perfectionis, qvorum reſpectu eſt prior ac poſterior cognitione, ſic qva ratione differt Fides, hâc ratione diverſum habet meritum ſub excluſivâ ſolitatis. Datur ergò notitia rerum credendarum, qvam S. Scriptura vocat Sapientiam, ad diſtinctionem Fidei mortuæ, qvæ non habet eam, hinc propter Legem Domini vocabatur populus Iſraëliticus gens ſancta & ſapiens. Enimverò qualiscunq; ſit Fides, qvà tamen homini non coñaſcitur, ſupponit doctrinam earum rerum, quas homo tenetur credere, & rei non auditæ nulla Fides datur. Moralis Fides ingenuis & prudentibus competit, ſalvifica verò à cunctis hominum ordinibus reqviritur, hinc nôſſe præſtat, qvaliter negotium Fidei geratur in Eccleſiâ. Fides injuncta eſt non ſolis ingenioſis, ſed etiam ſimplicibus, pueris, adultis & ſenibus; proindè ne cui talentum ſuum deficiat, inſtituit Eccleſia, ut rudioribus (doctrinæ incapacibus) traderetur Symbolum Fidei, pueris Catecheſis, adultis prudentibus ſimul Scripturæ explicatio. Conſtat hinc traditionem cunctorum credibilium, qvæ S. revelat Scriptura, perfectiorem reddere Symbolicam & Catecheticam Fidem. Chriſtiani tametſi credunt qvilibet pro modulo ſuo, non tamen in Fide tali qvali ſunt omnes boni, ſancti vel beati, nec omnes credunt, qvod capere poſſunt (ut rudes, inertes) nec omnes intelligunt qvod credunt, ut pueri & plebeji, hi magnâ ex parte volenter, ne fortè quod credunt, facere teneantur, obquam Fidei imperfectionem vocantur mali. Imperfectam hujusmodi Fidem non prædicavit Chriſtus citatis in locis, qvia longè perfectiorem; id qvod exin apparet, qvod ſuos diſcipulos objurgare volens vocabat parvæ Fidei homines, & eam ipſam Fidem, per qvam transferri montes poſſent, vocabat parvam, eam ergò, cui ſalus æterna promittebatur, majorem (perfectiorem) voluiſſe Chriſtum qvis dubitet, maximè cùm adeò extulerit centurionis Fidem, ut dixerit, tantam Fidem ſe in Iſraël non inveniſſe? Non qvidem à cunctis

cunctis æq; capiuntur, vel notantur, qvæcunq; S. Scriptura proponit noscenda & credenda, sunt tamen simpliciter credenda ceu Veritas possibiliter scibilis anteqvàm noscuntur, & hæc Fides est, qvæ propter respectum ejus in qvem credit, desiderat nôsse, audire scilicet, vel legere cuncta, qvæ includuntur in sphærâ Fidei, ut qvod deesse possit, compleatur affectu & conatu. Magna ergò Fides est, qvam Christus subintellexit tunc, & magna est Fides simplex, qvâ qvis paratum se sentit credere omnia, quæ Verbum Dei & S. Ecclesia proponit credendum, & hæc Fides est indocilium, ac innocentium ante cognitionem, qvæ & perseverat post cognitionem in sapientibus, qvi lucem præ tenebris diligunt. Et quamvis imperfecta Fides facilius turbetur aut suffocetur, qvà sine Luce cognitionis est, vivit tamen vigetq; perfectior, qvia per Lucem cognitionis illuminata facta est vitalis. Confert ergò qvàm maximè qværere profectum ac perfectionem, ne qvà defectûs correctio relinqvatur judicio. Negligentes cum pueris excusari cupiunt, temerarii cum simplicibus, obseqviosi verò exhibent speciem Virilitatis, cui corona Fidei parata est. Hos qvidem anteqvàm ad perfectam Fidei cognitionem pervenerunt, oportuit constanter credere, qvæ de Deo scripta, & à Deo proposita tradidit Ecclesia esse omnium veracissima, per hanc itaq; Fidem instigati studuerunt cognitioni & sub cognitione attigerunt perfectionem: simplicem ergò primam Fidem remuneratur Deus præmio primæ gratiæ, cognitionem verò commiseratione dignatur, sivè subseqventi gratiâ, qvatenùs in innocentiâ longior Vita raro traducitur. Constat hinc Fidem posse per totam Vitam durare, gratiam verò (justificationem) non item: nam si qvà operum injustitia injustum facit hominem sublatâ scilicet ab eo justitiâ, non potest dici, qvod fides qvam habet tunc temporis justificet eum, ast si deberet dici eum non peccare cùm peccat, sed justum esse, cùm est injustus quia fidem habet, tunc sola Fides justificaret; econtrà verè dici potest, lapsum justificari iterum mediante justitiâ & gratiâ, qvam recuperat per actum pœnitentiæ & alia quæ huic adhæ-

Rom.6. rent in vivâ fide opera. Hinc dicit Apoſtolus: qui mortuus eſt (peccato) is juſtificatus eſt à peccato. Mortuus autem peccato eſt, qui vivit novâ vitâ. Salvator mundi non juſtificavit mundum ſic per Fidem, ut liceat ei acceptam ſemel juſtitiam perdere, qvin ut conſervet eam mandavit. Juſtitia, quod eſt notiſſimum, perditur ſub peccato, quæ in ſanctimoniâ conſervatur, tàm ponderoſa autem eſt juſtitiæ Conſervatio, atq; eſt ipſa adeptio, ut ſi qvà perditur, nonniſi per ſalutaria media recuperetur & nõnunqvàm difficulter. Ad qvid ergò à recuperatione juſtitiæ excludunt media tàm efficacia ad primam inſtantiam improvidè provocando? An potius eſt negligendum, qvod ſemper neceſſitatem uſûs habet, & ſolùm recoqvendum, qvod pridem probè digeſtũ eſt? Qui jacto fundamento ſemper otioſi deſident, ſtructuram ædificii perficere neqveunt: Iis ergò cui bono eſt? Diſputat aliquis de operibus, num ad juſtificationem, an ad Sanctitatem, ad Fidem, an ad fructum (virtutem) ejus ſint referenda, intereà autem, dum in etymologiæ ac phraſeologiæ mæandris oberrat, negligit efficaciam Fidei ſimul ac operum originem, atq; ſic non ſolùm ſenſum Scripturæ, & vim Verborum Chriſti, ſed etiam animos doctrinæ variatæ incapaces confundit, qvale cõmodum hinc, undè Unitas? Fruſtrà autem hoc loco ſolent objicere immunditiem ac perverſitatem naturæ citatis variis Scripturæ dictis, qvæ primum lapſum & naturalem impuritatem humani generis indicant, cùm hiſcè nunqvàm fuit contradictum, quin potius ea naturæ impuritas eſt cauſa reqvirens tot media totq; conatûs. Sed cur ad punctum nativitatis remeant, cur in hoc luto firmiter hærent, cùm pleraq; eorum citata reperiantur in veteri teſtamento, cujus in ævo incognita ſteterat regeneratio hominis? Qvo ſæpius ea loca citant, hoc minus dicta Novi Teſtamenti commendant, qvæ de ſalutari ſtatu regenerati hominis & innocentiæ infantilis perhibent teſtimonium. Qvid qvod homo induit Chriſtum in baptiſmo, hactenus qvoq; incomparabile poteſtatum ſuarum robur nanciſcitur, qvod inſuper è qvotidianâ prædicatione, aut Verbi divini Lectione, informatione

&c.

&c. sufficientia media acqvirit, qvorum adjutu qveat præstare id, qvod attestantur ei scripta Apostolica, cur non in Viâ progressûs manent promotum comodum emergens ex bono utili jam possesso, qvod potius impediunt dum revertuntur eò undè venerant?

Porrò de fide dicendum est adhuc, qvod non justificat per se, sed per accidens, qvia relativè per modum receptionis. Si fides per se justificaret, non amitteret Homo justitiam, cùm peccat, qvatenùs proprium non separatur ab Ente, cujus est de naturâ: justitia verò non est proprium Fidei, cùm separetur ab eâ interveniente peccato, rursumvè acqviratur intercedente medio pœnitentiæ. Cùm autem justitia justificans sit aliena, exin cognoscitur, justitiam per qvam justificatur homo, dari & recipi, ac veluti donum accidens conservari & amitti, suis de causis immorante interim Virtute intellectualiter intuitivâ, Fide scilicet. Cognito, qvod justificatio sit non intus instituta actio, sed superveniens gratia, qvâ ratione differt à Fide, dehinc seqvitur, Fidem non excludere media coadjuvantia sub acquisitione justitiæ, utut operibus Legis Mosaicæ demat gloriam & jactantiam. Ast ea media quæ in justitiæ adeptione â Fide excludi neqveunt, non referuntur simpliciter ad Fidei effectum, vel ideò qvod sunt opera totius mentis, qvæ resultant è mutuâ potestatum operatione. Lex namq; Evangelica, qvæ pro objecto sistitur per Fidem notionis, est causa movens mentem ad faciendas virtuales suas operationes quarum processus paucis Verbis sic tradi posset. Evangelium exponit menti gratiam Dei, beneficia Redemtionis, sanctificationis &c. media qvoq; Conversionis, justitiæ, Sanctitatis &c. Lex Evangelii proponit Voluntatem Domini, injungit mandatorum observantiam, consilia exhibet doctrina Apostolica, tota quoq; S. Scriptura suppeditat admonitiones, dehortationes, indicat judicium, examen, sententiam, decretis quoq; præmium, pænamvè promulgat. Hæc omnia pro ipsâ veritate assumit mens sibi servanda, & consideranda; ast hîc compertum est sæpesæpius Fidem ad longa tempora hæ-

fisse in mente absq; ambiguitate, insuper & mentem pondere rei pressam aliqvandiu fideliter observâsse cuncta, qvæ includuntur in sphærâ fidei, tandem tamen arreptâ occasione peccandi, & otiandi post habuisse hanc observationem & alia, undè factũ, ut in peccata consentiendo tùm mandatum tùm pænam neglexerit. Eccè qvàm hîc retentâ fide subintrat Idea sufficientiæ ac securitatis, cujus frequenti obtutu mens penitus ligatur: hinc nequit fieri, quin levitate & incuriâ notata divinam amittat gratiam. Ubi est hîc justificatio, cùm gratia Dei abest, Fides adest? Fallacia subest si non in ipsa voculâ Fidei, saltem in expositione ejus & malè intellecto sensu. Qvodsi per Fidem justificantem intelligitur Fides per dilectionem operans, hæc ipsa differentia subvertit exclusivam particulam sola. In mente verò Levitatis & incuriæ reâ dictum est posse ad longa tempora firmiter immorari fidem, eam scilicet quam verbum traditum requirit, qvid ergò tollit hîc justificationem? An fortè non credidit fide solâ? Hoc quidem dici neqvit, cùm solâ fide crediderit posthabitâ mandatorum observantiâ. Ergò non credidisse dicendum erit fide per dilectionem operante, hoc est, mandata Dei sollicitè observante. Hæc differentia uti indicat adjunctum medium cœfficiens, qvod ipsum tanquàm causa virtualiter operans proprios suos facit effectus, id est: opera bona, itâ Theologis ansam dedit distinctè id appellandi atq; seorsim considerandi, sic ut patentiori redditâ rei intelligentiâ fallaciæ qveant devitari. Dicendum ergò nunc est, qualiter mens circumspecta procedat ad operandum salutem, quod quidem aliis facilius intelliget, qui tale qvid in se expertus est. Posito enim quod mens per Fidem semel receptam tàm constanter credat tùm Deum tùm omne verbum ejus, imò totam doctrinam ecclesiasticam, nimirum sic, ut per totam Vitam amplius in nullo versetur dubio, concedendum est in hâc positione Fidei nequicquam adhuc operantis Charitatis elucere, vix tamen erit, qui audeat dicere eam fidem non esse vivam, non cum Salute conjunctam. Est quidem ea Fides basis (principium) totius processûs religiosi, hactenus quoq;

quoq; servat Ideam perpetuam ejus, qvod de Deo ad salutem consciendam est necessarium cognitu: Idea verò hæc non est ipsa Vita, sed quid vitalis conceptus, cui scilicet per radium vivificantis luminis vita infusa est, hinc radium illuminantem hoc loco credimus divinum, cujus ratione dictum est, Fidem esse donum DEI. Homo alioquin potest naturatenus credere vera & falsa, imò & Deum simul ac Verbum ejus auditum fide scilicet morali sive in Ideâ vacuâ & vitâ carente, cujus ratione judicium de fide hujus vel illius hominis latum fallit sæpissimè. Ast intellectus (ni quà abstractus fuerit à curis mundanis) contemplatur domesticam vitalem Ideam, hinc meditatur immensum beneficium, qvod Deus ei præstitit per opera Creationis, Redemtionis, Regenerationis, per miram corporis sustentationem, & per alia plurima quæ his adhærent Clementiæ documenta. Sub istiusmodi meditatione apparet causa obligationis, & ab hâc excitatur Idea gratitudinis in bono homine: non minus qvoq; Idea Fidei tunc repræsentat transgressionem mandatorum, ingratitudinem, incuriam, offensionem Dei, peccatorum magnitudinem, & multitudinem, deperditam gratiam, Clementiam, & meritum Domini nostri Jesu Christi, quorum omnium causâ est lapsus in pœnam judicii &c. Consideratis his consurgit Idea timoris, doloris &c. qvarum valido occursu confunditur mens, eoq; mergitur in pœnitudinem vel brevem vel protensam, strictam vel remissam juxtà quàm jubet exercitii ratio. Non potest dici, qvantum Idea pudoris adaugeat dolorem animi, interim autem continuò observatur Idea Fidei, sub qvâ repræsentatur simul Repromissio, Fœdus Baptismi, Clementia, vox dominica Sanguis & Vulnera Christi, conversionis effectus, accurrit qvoq; Idea Fiduciæ & Solatii, per quam erecta mens ad deprecationem incitatur: durante hâc scenâ subsultant Ideæ Spei, Timoris, Pœnitudinis, Solatii, gratiarum Actionis, quamdiu visum est Voluntati. Cæterùm perspecto intellectûs applausu complodit & ipsa bona voluntas, quæ vult nil aliud, quàm qvod in verbo Dei decretum est, ea propter consentit etiam in divinum judicium,

cium, in qualemcunq; satisdationem sine ullâ præscriptione: xein perspicuum fit, quare probus homo sub pænitentiâ toleret confusionem, cur exercitium seriò instituat, cur cogitet de novo Vitæ conductu, siqvidem per hanc confessionem datur Deo gloria. Num interim otiosus est Amor (tertia mentis potestas)? Haud quaquam! Nam hæc admonita ab intellectu tot Dei beneficia cognoscente accurrit & ipsa accensum velut totam mentem, quo rapidæ flammæ instar sublimetur, clariusvè intelligat qvod antè intelligebat, qvin & potentius velit qvod antè volebat, ardentius flagret in amore tàm benefici Domini. Tàm multæ actiones internæ, Ideæ, Virtutes non reqviruntur ad solam Fidem, quæ tamen sub opere pænitentiæ omnes velut in unum conspirant sic, ut ab attento observatore seriatim qveant dignosci. Tot operationes mentales seqvuntur diversi effectûs, qui vix et nevix diu latent, qvin in externa opera orationis, Eleemosynarum, jejunii, disciplinæ, sobriæq; ac permutatæ vitæ derivent invitantibus simul tot salutaribus institutis ecclesiasticis. Certè ab hoc processu pendet tùm observantia Verbi Dei, tùm peccatorum intermissio, tùm operum bonorum exercitium, indè qvoq; pendet nova gratia & reconciliatio, quam oppidò testatur utrumq; testamentum: nam hi sunt fructus, qvos S. Jahannes Baptista dicebat decere pænitentiam, jungendo eam Fidei pro Salutis adeptione. Dixit etiam Deus apud Pro-
Esa. 1. phetam: Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, de finite agere perversè &c. Tunc venite &c.

Attamen hæc omnia nonnunqvàm compēdiosè in latissimâ Fidei sphærâ includuntur urgente scilicet necessitate aut obstinatorum hypocritarum proterviâ. Hoc etiam compendio usus est Paulus Apostolus contrà superbos Judæos, qvi fidei doctrinam præsumebant externis legis antiqvatæ operibus expugnare, qvin & hoc abutuntur non pauci credentes in sui perniciem, qui hoc ipso præpositam explanationem conantur irritam reddere, prout faciunt, qvi nimis operosè in prædicatione fidei

fidei persistunt; hi namq; fatentur Fidem sine operibus esse mortuam, hactenùs tacitè concedendo, qvod Vita Fidei consistat in operando, cùm tamen aliàs opera à justificatione excludant. Annon hâc ipsa contradictione irritam reddunt sanam explicationem? Aliud autem est ipsa fides tanquàm possibiliter mortua, & aliud fidei Vita in termino discretionis, si Vita gliscit in fide, jam fomitem ejus & medium conservationis licebit eam dicere. Verum tamen vitalitatem eam non licet tribuere solis qvibusdam actionibus pietatem præ se ferentibus, sed toti Charitatis ac bonæ Voluntatis effluxui, juxtà cujus opulentiam variat vitalis radiatio. Varietati huic occasionem præbet diversa capacitas humanæ naturæ, hinc debilis qvoq; est in multis vitalis Fidei flamma. Multa qvidem qvandoq; proferuntur contrà meritum operum, qvasi tunc fides perdita sit, cùm operi donatur aliquid, nihilominus cùm Fidem non possint vitalem dicere, quæ caret bonis operibus, inhærent scopulo anxius, qvasi qvem inter veros Christianos possent nominare, qvi peracto bono opere fidem abnegâsset. Pruriunt ergò mordaces magis psorâ Controversisticâ, qvàm æstu Veritatis. O si credentibus jam non fides, in qvâ persistunt, sed virtus fidei, voluntas & mandata Dei, vita Christi, obedientia, sanctitas &c. explicarentur, si etiam ad opera externa bono regimine, exemplo & studio compellerentur, qvò animus per ea ad progressum, & ad discendum internas fidelis qualitates incitaretur, non posset fieri quin ad virtutem vivificam paulatim disponerentur: palàm namq; est, qvod iis, qui bona opera non faciunt, paulatim ipsa fides deficiat. Frustrà hinc per insomnium multa somniant, inter qvos non rerum ordo est, sed confusio; ità & hodie multa audimus, pauca cognoscimus, obruimur, non illuminamur. Quàm pretiosa res ordo est ob summam ejus Utilitatem cujus passim magna carentia deprehenditur. Enimverò cùm ingens turba Christianorum vivat secundum externum hominem in libertate multâ, opus est, ut ordo, lex & institutio sit, qvibus mediis ceu frænis regantur feroces, his omnibus non esset opus, si juxtà in-

 ternum

ternum viverent. Necessitas postulat hujusmodi media, qvæ hâc ratione sunt ab homine externo assumenda, ab interno non spernenda. Doctrina Dei spectat novum hominem, qvi hiscè adminiculis ad Unitatem Dei pervenit, & cùm hoc factum fuerit, docetur ac regitur simul externus. Et tametsi tunc lege externâ opus non sit, nihilominus mandata & traditiones humanæ sunt homini externo valdè utiles, quatenus per eas velut manu ducitur ad sermonem & legem Dei. In hâc cognitione à multis multum erratur; nam si consideramus Classem eorum, qvi ordinem, legem, modos & instituta in confesso habent, hi valdè inter se differunt, qvidam coactè observant instituta, adeoq; somnolenter ac difficulter; alii mercedis amore parent mandatis. Cùm enim existiment æternam vitam non posse alio modo acquiri præterqvàm per meritum, hinc multo labore, imò cùm gravi molestiâ operantur. Sunt autem & alii, qvi nôrunt Legem ac ordinem præferri quidem confusioni, ast Vitam æternam non solùm pro ratione meriti, sed aliâ qvoq; viâ impetrari, hi quoq; diremti sunt in duas Classes: prioris sunt homines falsiloqvi & contemtores aliorum, qvà dicunt, eos qvi ordini ac institutis tantum tribuunt, esse simplices ac stolidos, ea propter Spretis iis nil prorsus observant, imò gloriantur de suis privilegiis, quasi horum omnium non indigeant. Sed posterioris Classis sunt homines omnium beatiores, imò & aliis exosi hactenus, hi qvod à luce verâ illuminati sunt, tractant simul omnia, qvæcunq; sunt ordinis; ast longè aliâ de Causâ, nimirum ex mero amore, adeoq; operantur qvantum possunt, de qvanto non sunt solliciti, neq; torquentur à conscientiâ, cùm in his non sita sit Salus. Enimverò Deus est suprà modum, ordinem &c. attamen modum, legem, ordinem dat ipse talium expers. Deus itaq; in Creaturis vult atq; donat ea, respectu medii, circumstantiarum & reqvisitorum. Nam ubi nec verba sunt nec actiones, ibi nec lege nec ordine opus est, verùm ubi tractamus res & verba, tractatio hæc non potest fieri nisì vel in formâ, vel modo vel ordine: illuminatus autem agnoscit ordinem esse meliorem confusione,

pro-

proindè probat & tractat eum, hinc indè cernimus contemtores ordinis esse homines Classis omnium pessimæ.

Q. Quænam est causa tantæ Cæcitatis eorum, qvi justificationem è sola fide obtinendam ajunt esse principium, medium & finem Salutis, qvâ tamen destituuntur multi eorum, qvi taliter credunt? R. Hæc ipsa causa consistit in eo, qvod antè dictum est, nimirum qvod ea fidei adjuncta quæ fidem dilatant, excludunt ab eâ, exclusa vilipendunt, indè fit, ut cæcutiendo impingant in ipsum fundum, eoq; putent se scopum tunc attigisse, cùm longius ab eo remoti sunt. Est autem scopus hic ipsa beatitudo, quam credentes possunt acqvirere & perdere. Iis ergò qvi credunt, sunt removenda impedimenta, & apprehendenda media conductiva, qvæ ab his qvi salute frustrantur, aut non cognoscuntur aut negliguntur: Contrà impedimenta erat tàm fervidè declamandum, ast media sunt inculcanda credentibus, ne disputando de iis, qvæ sunt credenda, & intermittendo ea qvæ facienda sunt, judicentur de malefactis absq; exceptione Creditorum, cùm planum sit è Scripturâ: Deum creâsse homines ad opera bona. Hæc ipsa Creatio hominum (qvoad finalem causam) est propter Laudem & Gloriam Dei, qvæ sub virtutum exercitio perficitur. Doctrina cœlestis* est hominibus propter cognitionem rerum gerendarum, qvæ Fide apprehenditur, & operatione absolvitur. Hæc ergò sunt tàm media qvàm impedimenta, in qvibus maxima omnium Salutis ratio consistit teste Scripturâ & orthodoxorum Ecclesiæ Doctorum doctrinâ: nimirum ad obtinendam Salutem incumbit Credentibus 1. diligere Deum 2. desistere à peccatis 3. bona Virtutum opera facere. Diversa ea reqvisita qvis ausit Fidem dicere? Quodsi qvis ea dixerit ad fidem pertinere, quî potest ea exclusivè de solâ fide prædicare? Non est hîc recurrendum ad S. Ambrosii testimonium, qvatenùs Ei voculæ exclusivæ ratio non erat eadem qvæ his, uti patet è dictis ejusdem, ubi de fidei latitudine & tribus his reqvisitis longè alio modo disserit quàm qui hoc loco eum pro se citant. Tunc temporis namq;, qvi cuncta fecisse videbantur juxtà verbum

* fact

Domini nil ſibi tribuebant, hi verò nil ſibi volunt tribuere, ut nihil facere teneantur. Inverſum hunc ordinem prodit experientia; an non & hodiè conſtat eſſe homines, qvi dicunt nil eſſe tribuendum bonis operibus, ſic ſe gerentes intereà, qvaſi puritas animi conſiſteret in ipsâ iniqvitate, hi meritum Fidei ſibi tribuunt juxtà conceptum phantaſiæ. Timendum potius eſt, hos omnes qvi more ſuo tàm audacter ſibi Salutem promittunt, cum Capernaitis olim iri expoſitum judicio omnium acerbiſſimo. Contrario igitur modo docent divini homines, nimirum eos, qvi eandem cum Filio Dei cupiunt impetrare mercedem, oportere hîc pati ab impiis hujus mundi, qvalitercunq; ſitiant beatitudinem, imò ſic ajunt, etiamſi qvis ſummo appetitu eſuriat beatitatem, non ſaturari eum hîc & ibi, nî prius deponat onus peccati, nî operetur virtutes ac juſtitiam, nîvè propter Deum ſuſtineat patienter injuriam, qvoniam his qui hoc faciunt, confertur Dei gratia, hoc ipſum conſiderandum eſt iis, qvi per accidens cum Deo ambulant. Enimverò cùm hi, qvi multum orant, vigilant, jejunant, operantur, ſilent, piloſo lacerovè amictu incedunt, nihil proficiunt, nî habitum antiqvum exuerint, & fundum ſuum qvale ſit ſcrutati fuerint, qvomodò reddent rationem illi, qvi neq; magnos neq; parvos penſitant defectûs; ſed potiùs ſibi placent, præterea ſunt invidi, elati, inobſeqvioſi, contemtores bonorum, maledici, duri, pertinaces, arbitrio ſuo liberè dediti, qvi ſanam doctrinam non recipiunt, non obſervant, non mores pravos deponunt, ſed in verborum obſcænorum, durorum &c. prolatione, inq; modorum turpium perſiſtunt exercitio? Procul dubio hi Viam rectam nondum agnoſcunt
Eſa. 1. neglecto monito Eſaiæ dicentis: mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum &c. Audiant qvid dicant rerum experti: hoc ajunt, ſi qvis ſeipſum propter ſalutem daret in perditionem, nî fundum ſuum diſcat expurgare à peccatis, Deum ſuper omnia diligere, cum proximo fraternè converſari, ejus facta inania eſſe omnia. Idcircò edoctum eſt prædicari debere in expertis qvidem & in fidelibus Fidem in Deum, & divina, credentibus

tibus verò mandata Dei, obseqviosis virtutes internas, virtuosis imitationem Regis cœlestis. Studemus quidem distinguendo rem emendare, quæritur autem, undè tanta indistinctio, cui testimonium perhibet vulgaris imperitia? Fortè è tantâ rerum varietate, qvâ obruuntur indociles terrenisq; negotiis occupati, qvatenus eadem res diverso explicatur sensu, & quæ circumstant, nunc collectivè, mox disjunctivè & sub exclusione commemorantur, ad qvod variationis genus pertinet ea Fidei prædicatio, qvà sine ordine traduntur initia (prima rudimenta) Fidei tanqvàm infidelibus & inexpertis. Hinc sanè audentius qvis posset affirmare, in nulla facultate plus laborari magisq; doceri hoc tempore, quàm in doctrinâ Fidei, in nullâ tamen minus cognosci salutaris boni, qvoad absolutam veritatis notitiam. Et hæc ipsa confusio videtur indè oriri, qvod Spiritum (Mentem humanam) penitiùs non considerant, cujus virtus estFides, nam per Spiritum habentem Fidem subjugatur Caro sic, ut junctis viribus operetur ad bonum, & licet Spiritus hunc carnis assensum obtinere subitò neqveat, paulatim tamen id fieri constat, intercà naturæ est relinqvenda sua stultitia, donec reducta sit, dummodo Spiritus sua rectè agat, postqvàm à mediis roboratus est, & hoc ipsum intelligit S. Paulus, cùm dicit: cum Spiritu servio Deo, corpore verò peccato.

Q. Siccinè abutuntnr qvidam Scripturæ dictis de Fide, ut sibi prætextum quendam sumant indè, qui videatur à sensu eorum roborari? R. Id sanè sic est, cùm liqveat eos tantùm è Scripturâ medullam enucleatam extrahere, non nudam veritatem, ideò & minus rectè de multis judicant. Nam qvi Scripturam S. tractat pro suo arbitrio, aut non asseqvitur sanum Scripturæ sensum, aut non vult cedere S. Spiritui, indè provenit contentio & solutio vinculi charitatis.

Est autem nuda veritas in S.Scripturâ quærenda & consideranda, cujus gratia scripta ea & lata est stylo qvidẽ diverso, ut omnis generis homines, sapientes ac rudes per eam queant informari, ast veritas nuda non potest inveniri in eâ, nî eo legatur Spiritu,

qvo dicta & scripta est, nam Spiritus vivificat, litera occidit. Ibi verò defixus est lapis offensionis, qvod rudes illotis manibus præsumunt tractare Mysteria, literâ verò inflati humilem fidei revelationem indagare per sensibilium notiones & argumenta, qvod qvidem non facilè fieret, si S. Scriptura non nisi sub indultu legeretur, quale quid observat, qui ad thesauri inspectionem admittitur, hoc enim magis æstimat eum, qvo rarius eum contueri licet; siquidem communi usu detrita vilescunt omnia, secus qvàm gemmæ, quæ propter raritatem summo habentur pretio.

Q. Cùm autem contentiosi indesinenter ad Verbum Dei provocent, dic velim, quale sit verbum id, qvod S. Spiritus Ecclesiæ suæ, id est, universis & singulis credentibus prædicat? R. Verbum, qvo Spiritus S. alloqvitur fideles, est revelatum in Apocalypsi his verbis: si qvis vicerit, non morietur morte secundâ.

Q. Cujus devictio hæc est? R. Devictio Carnis, Mundi & Satanæ. Notandum hoc erat crudis Christianis, qui provocant ad solam fidem, qvâ eam devictionem excludant, quasi contra fidem pugnatum hactenus esset. Tametsi multis Seculis sit prædicatum de vitâ & virtute Fidei, id tamen multis adeò non placuit, ut potius persistendo in fidei solius Encomio obliterent virtutem ejus nobilissimam. Utuntur hi solùm verbo Dei ad scientiam, non verò ad practicam, adeoq; in iisdem completum est verbum Domini dicentis: non omnes capere verbum (qvod audiunt) nec omnes qui audiunt, habere aures ad audiendum, id est, attentas Qvid juvat auditus verbi, cujus non est observantia? Quibus verbum Dei est cibus sapidus, hi habent aures ad audiendum.

Q. Cùm Fidei virtus nobilissima sit ipsa imitatio Christi, moralis verò Christi actio omnis fuerit virtutum ac operum bonorum exercitium quæritur, num fides possit esse absq; hâc Virtute, an quidpiam sine eâ valeat in justificationis negotio? R. Cùm mortua fides sit nulla, fides verò ea sit mortua, quæ caret Charitate, ad hæc & charitas sit virtus operans, hinc neqvit Fides esse viva vel valere quidpiam sine virtute: quid qvod in O-

perum

perum perfectorum exercitio perstitit tota primitiva Ecclesia, tanquàm in qvo consistit Christi seqvela, in hoc ostendit Vitam Fidei, ejusq; virtutem absolvit. Hâc ratione potest virtuosa seu per dilectionem operans Fides assimilari igni flammanti, qvi quaqua versum lucet & simul calefacit, contrà fides Virtute luminosâ carens rectè comparatur Scintillæ inter cineres defunctæ. Id cùm ità sit, ostendatur usus & fructus Scintillæ non lucentis, non calefacientis, qvia & idem fructus est fidei, qvæ caret virtute in opus emanante. Uti enim Lumen revelat ea, quæ in tenebris manserant abscondita; ità & Calor ad actionem promovet, ejusq; continuo fotu perficit ea, qvæ erant imperfecta, dissolvit compacta, & quæ dispersa erant, coagminando adunat: Calor hic est Charitas. Nunc igitur & comparanda est virtus Ecclesiarum, veteris scilicet & Novitiæ, quæ in adversum se posuit hiscè temporibus, ut videatur, an utriusq; (quam solent prætexere) forma sit una & eadem, sivè utriusq; conveniens comparatio.

Ecclesia prisca non exiguam Salutis rationem ponebat in imitatione Vitæ Christi: quis non affirmet in novâ vix esse vel esse paucissimos, qui Christi exemplar rectè considerant, & qui vel unquàm ejusdem observationem norunt necessariam? In imitatione Christi collocabat antiqua Ecclesia omnem pietatem ac devotionem, in ipso autem Exemplari Lucem absolutæ Cognitionis. Ecquis autem diffiteatur, in novâ inveniri jejunam pietatem & devotionem, Lucem verò non nisi offensam oculis? Quis ausit nostratium actiones comparare cum actis Vitæ priscorum? Quod Christi discipuli & Amici serviverunt ei in fame & siti, in nuditate, frigore, calore, labore, jejunio, vigiliis, in oratione & laudatione, an tale servitium reperitur inter eos, qvi sunt adversum? Num inter hos, qui suas à teneris curant commoditates suetasq; voluptates ad mortem usq; protendunt, conspicua sunt tormenta, qvæ subierunt Apostoli, Martyres, Confessores & sanctæ Virgines, quæ vitam spernendo vestigia Christi calcârunt? An ignoramus, qvàm rigidè ac solitariè vixerint

Patres

Patres & Martyres, qvàm diras sustinuerint persequutiones & opprobria, qvoties à Spiritu maligno tentati fuerint, quânam assiduitate Deo suas preces obtulerint, qvali temperantiâ corpus castigârint, quonam conatu spiritualem vitam adepti sint, qvàm gravi conflictu præhabito potiti fuerint Carnis victoriâ, quæ cuncta novæ Ecclesiæ membra cane pejus & angue fugiunt? Et uti sanctissima eorum devotio, ità iisdem purissima erat pro gloriâ Dei intentio. Noctu orabant, ast interdiu orabant & laborabant ad Dei cultum cunctis horulis utiliter impensis. Sæpiculè necessariam corporis alimoniam prædulcissimâ rerum divinarum contemplatione negligebant, ut taceam incuriam sivè neglectũ divitiarum, dignitatum, gloriæ, Sodalitatis, cognationis, rerum familiarium qvas spontè deserebant, nil nisi nudam vitæ necessitatem à mundo sumendo, saltem ut in respectu opum externarum pauperes, respectu verò internarum cœlestium, hoc est virtutis, gratiæ atq; divini solatii divites esse potuerint. Num hæc & alia de novæ Ecclesiæ filiis jure meritoq; dici possunt, qvi non tàm Dei qvàm sua curant, præthereà pleriq; eorum libentius dormire qvàm vigilare, otiari quàm occupari, epulari quàm jejunare, jocari quàm precari, ditari quàm depauperari, non pauci etiam vitiis plus quàm virtutibus indulgere cupiunt? Quid qvod Antecessores nostri malebant esse Exules mundi, incolæ cœli sivè propinqui, pretiosi atq; notissimi Dei Amici, qvia humiles, obedientes & amantes, hoc ipsum non potest non seram confundere posteritatem, cui in excusabilis neglectûs culpa manet exin conspicua, quod hodiè mirum quid videatur, cùm reperimus hominem perspectæ pietatis, qui patienter perfert afflictiones, qui non prævaricatur, non solam prætexit fidem, sed operando justitiam servat mandata Dei, conservat gratiam justificationis, redditq; Deo gloriam. De Fide nunc est pergendum ad ejus fructum, qui generatur à Virtute dilectionis semper operante: fructus autem cùm sint bona opera, de iis hoc loco traduntur seqventia.

CAP.

Cap. II.

De bonis Operibus.

Q. Siccinè à Charitate deducis opera bona, quæ meritoria sint seu valida, quorum respectu Deus impertiat gratiam justitiæ subsequentem? R. Imo nullius meriti est maximum quodq; opus, si absq; charitate est; ast minimum opus quod provenit à charitate, est fructuosum, qvia operante homine expendit Deus plus charitatis vehementiam, qvàm operis præstantiam.... Qvi multum amat, multum operatur, aliisq; servit qvàm sibi freqventius. Qui proprium commodum qværit, nil operatur, imò malè operatur, nec amatis, qvi falsâ naturæ luce decipit alios. Sinceri amantis proprium est, nil nisi Gloriam Dei in omnibus rebus quærere, neminem spernere, nullum odisse, deniq; bona aliorum hominum opera non nisi Deo tribuere.... Magna itaq; est bonorum operum differentia, multa multum valent in oculis hominum, multa parum, qvorum tamen valdè inæqualis proportio est apud Deum, horum enim nonnulla gratiam impetrant apud Deum, illorum verò multa Deus aversatur. Hinc actiones bonæ non sunt perfunctoriè faciendæ, nec aliorum suasibus est leviter habenda Fides: ast convenit res suas providè ac deliberatò expendere, sicq; ad actum deducere, ut videantur velut ex ipsâ solâ Dei voluntate factæ. Verba fallunt, opera seducunt plebejum, non tamen sapientem, siqvidem hic tanqvàm expertus Artifex verum à falso secernere novit, qvia humilis est & Deo obediens, hactenus in omnibus occasionibus constans, immotus ac imperterritus.

Q. Undè cognoscitur, num opus bonum sit factum per Deum, eoq; meritorium, necne? R. Pro signo ejus hoc habeas, si opus tantùm perficitur propter Deum seu ex mandato & Voluntate

Dei, hoc ipso est meritorium; sin verò homo se ipsum solum, aut gloriam Dei primariò qvidem, secundariò verò suum proprium quærit (qvod facilè fieri potest, qvâ natura suum qværit tàm in ipso Deo qvàm in Creaturis) tale opus non est per Deum factum eoq; nec meritorium, sivè sit Spiritûs sivè naturæ, externum aut internum. Proindè in hoc,ut homo puritatem Operis cognoscat, tùm etiam id valeat perficere juxtà Voluntatem Dei, situm est summum artificium, cui nulla ars dignè comparari potest, hâc ratione fas esset, ut homo qvi summum bonum obtinere cupit, se coràm Deo semper prosterneret instar pecoris aut vermis confitendo nil aliud quàm qvod sit nihil,nil valeat, nil possit, nil curet præterqvàm solum Deum: ast cùm id factu difficile sit, ecqvis non videat, qvantâ diligentiâ qvantovè conatu opus sit? Bernhardus ait: Multi homines multa sciunt,se ipsos autem nesciunt. Se ipsum verò noscere qvàm sit infirmus ac defectuosus,est longè fructuosius qvàm omnes in universum artes mundi callere.

Q. Quodsi sola gratia est fulcimentum Christianorum, añon qvæ aguntur cætera omnia sunt vana & supervacanea? R. Imò non intermittenda sunt exercitia pietatis, cùm semper sit laborandum in mandatis Domini: verùm id nosse expedit, ne quis operibus suis vel hilum adscribat,nec præparationem aut dignitatem suam æstimet, sed potius à Dei Clementia gratiam flagitet.

Q. Cùm inter Christianos reperiantur multi, qui sua Opera, puta Eleemosynarum, Vigiliarum, Precum, Paupertatis, Cilicii &c. adeò æstimant, ut sine consimili apparatu vereantur ad Deum accedere, dic quæso, num iste modus ad Deum accedendi legitimus sit, an fortè præjudicet gratiæ Dei? R. Qvanqvàm hæc atq; similia opera cuncta sint perqvam bona, si propter solum Deum perficiuntur ex charitate, nihilominus præfatus modus (qvo qvidam obstinato arbitrio sua appretiantur opera qvantùm valere possint ac debeant) est modus judaicus, illegitimus, & Christianis indignus. Annon præjudicet Gratiæ Dei, si

si quis occultè confidit suo arbitrio, ut cum nec Deo nec aliis credere cupit, qvin potius destructa omnia & perdita putat, nî sueta opera ad amussim perfecerit? Excedunt hi, qvi plus qvàm decet operibus tribuunt, econtrà deficiunt, qvi suam operibus demunt præstantiam atq; necessitatem; uterq; autem error dimanat ex ignorato statu glorificationis Dei, ad qvam refertur necessitas operum Voluntariorum, & gratuitorum, de qvibus scriptum est, qvod homo sit conditus ad ea. Quod si possibile esset dari hominem, qvi omnium hominum bona opera peregisset, competeret ei non magis æstimare cuncta qvæ fecit qvam si nec ullum sive parvum sive magnum opus unqvam perfecisset. Hinc colligendũ est, qvàm omnibus conveniat Christianis nunqvam confidere suis exercitiis, qvàm magna etiam sint quamvè necessaria, utpotè qvod est eorum à DEI immensâ misericordiâ accipere solùm gratiam pro gratiâ. Sic namq; futurum est, ut Deus liberet eos ab hostibus domesticis, nimirùm à peccatis & defectibus qvotidie commissis: qvod restat, qvi sic sunt liberati, iis possibile est reliqvam Vitam transigendi in servitute Domini, in sanctitate & justitiâ, uti cecinit Zacharias.

Q. Cùm de bonorum operum merito qvidam contendant, nonnulli id prorsus negent, vel ideò, qvod viderint in mundo hypocrisin esse usq; adeò radicatam, ut etiam hi qvi bonis Operibus student, non advertant eam, dum nuda opera, qvæ bona judicant, nonnisi pro ratione meriti expediunt, annon hîc latet qvædam simplicitas aut desipientia, qvâ hi seipsos seducunt? sed dices, Verbum Dei clarum est, cùm per mercedis promissionem probetur meritum. Hoc qvidem etsi verum sit, qværo tamen, undè fiat, qvod opera innumera qvæ judicamus speciem bonitatis habere, aut nihil meriti, aut ipsam gehennæ mercedem obtinent? R. Id procul dubio provenit non tam ab ipsâ actione, qvàm à Causâ ejus efficiente, qvam si qvis vocet basin vel fundamentum operum, dicendum erit, id esse malum, eoq; in fructuosi operis argumentum. Homo arrogans desipit, qvi putat se posse operari bonum tanto merito, ut Deus teneatur simpliciter

pliciter jure meriti qvà meriti reddere mercedem. Notandum tamen hîc est, qvod Homo taliter peccat nonnunqvam citrà conscientiam suam, qvia ex merâ simplicitate, ideoq; peccatum hoc non punit Deus, qvin potius misertus simplicitatis dona sua in dies auget, opusq; bonum retribuit sine merito: verùm ejusmodi dona Dei parum prosunt tali homini, qvoniam bonum summum qvod poterat obtinere, causâ stultitiæ nec invenit nec adipiscitur vel ideò, qvod Amor sui sive commodum proprium reddidit eum in capacem. Nam opera cuncta quæ patrantur citrà nudum & solum respectum Dei, non Deo sed hominibus fiunt propria, hactenus Deo in accepta. Qvi opera bona vult facere, is actiones suas solùm dirigat necessum est ad laudem & gloriam Nominis divini, nunqvam verò ad placitum hominis, quia oportet intentionem esse puram ac sinceram inter Deum & hominem, qvoad ipse Deus censet simul atq; remunerat opera juxtà intentionem cordis. Si pura est intentio, pura sunt opera, contrà si est perversa intentio, impura qvoq; sunt opera. Porrò tametsi opera sunt ordinata, qvot qvanta eorum sunt, nil unqvam valent, si ab impuris commistis deturpantur; siqvidem intentio prava ad instar amari aut venenati fermenti inqvinat Opera cuncta qvibus admixta est, idcircò scriptum est: qvâ horâ justus peccabit, non recordabor justitiæ suæ. Si qvis in statu prosperitatis vivit, si mediis pro Vitâ necessariis instructus est, si laudatur & amatur, opus est ut in his omnibus comparet sibi virtutem, naturam in gratiam mutet, seipsum verò in imum annihilationis præcipitet. Prætereà opus est etiam, ut aliis hominibus exhibeat se exemplar Sanctimoniæ, & humilitatis, eiq; conformem vitam ducat, omnia bono modo & cum modestiâ peragat, vigil sit in operando, non excessivè mœstus aut lætus. Tàm verba qvam opera sint rectè composita & ordinata eo fine, ut Deus per eos qvi iis attendunt, laudetur & glorificetur: deniq; omne opus bonum eâ sinceritate cordis perficiat, ac si moriendum esset subitò.

Ponamus ergò omnis externi vel interni operis meritorii causam

causam efficientem esse voluntatem illuminatam (Delicatam) ut cum Scripturâ dici possit: Opera bona esse per Deum facta, hoc est non per hominem, qva talem. Ast hujus voluntatis operatio procedit è solo amore boni optimi, non spe alterius lucri, neq; spe ipsius hujus boni qva possessi: proinde ejusmodi actio qva talis non est coacta, non per vim legis extorta, qvia è suo fonte profluxa. Ad Lydium hunc si probarentur opera, facilime secernerentur verè bona à fictis, lucida à Coloratis, nec tot daretur locus controversiis: Idcirco qvi hactenus contendunt, aberrant longius à fonte prædicto, nondum hypocrisin fugare noscentes. Impermutabilis Dei voluntas est basis, fons seu fundamentum verum, cui opponitur fundamentum falsum humanæ voluntatis (naturalis) qvæ est adversa divinæ. Illius opera non indigent merito, qvia jam est adeptum ipsum unum, omne, perfectum bonum; hujus verò Opera non habent meritum aliud præterqvam inferni. Exin cognoscere licet, dari qvædam Opera, qvæ qvidem fluunt ex fonte, sed perturbato, cujus aqva lutosis à rivulis diluta est, his qvidem merces condicta est pro dignitate eorum, hoc est, merces purificationis, & adjumenti, cujus Ope operantes suo tempore qveunt & lutum seqvestrare & rivulos obturare, donec ad fontem aqvæ vivæ, limpidæ accumbant, ubi vox meriti non amplius auditur. His ergò præpositis examinentur nunc Opera, qvæ speciem bonitatis habent, & tamen decipiunt, siqvidem facti eorum collatione cum fundamento vero & falso, apparet statim, qvò referenda sint. Constat autem ad rationem sive classem bonorum operum communiter referri seqventia.

1. Operamur qvidem benè ob amorem Dei & proximi, verùm in hunc amorem ferimur non tàm causâ Dei & proximi, qvàm causâ nostri nostræq; conversationis, adeoq; hic latet decipiens falsitas.

2. Etsi virtutem non sincerè amamus, operamur tamen juxta Virtutem, quam nobis adscribimus, & in censurâ secretâ æstimamus eam velut opus nostrum, non minus etiam de eâ nonnun-

 qvam

qvam gloriamur, non advertendo taliter ſubtractam eſſe Deo gloriam. Hoc fundamentum falſum eſt.

3. Judicando aliorum Opera ſivè bona ſivè mala plerumq; ſolemus nos & noſtra præferre aliis, vitia verò & peccata non agnoſcimus tanqvàm qvæ ſemper tecta mallemus detectis aliorum. Hoc fundamentum falſum eſt, malitiâq; plenum.

4. Magnitudo peccatorum non expenditur & in levitate ac gravitate peccati fallit judicium. Hoc fundamentum falſum eſt.

5. Opera bona facilius peraguntur, ſi ab eorum publicatione reſpectûs qvidpiam derivat, difficilius verò ſi latenter nonniſi Dei gloriam provehunt. Hoc fundamentum falſum eſt,qvia creaturis adhærens. Propterea in Apocalypſi dicebatur ad Angelum Eccleſiæ: Te divitem (virtutibus) putas, cùm tamen pauper ſis.

6. Ad Opera bona refertur qvoq; Cautela (propoſitum) ne quis vel verbis vel factis offendat proximum. Sed fundamentum falſum eſt, ſi ideò ab offenſione deſiſtit, quatenus vindictam nimis impatienter perfert.

7. Aliquandò ſolemus defectus aliorum propter Amorem Dei (uti putamus) cum ſummâ impatientiâ tolerare, vel nimis ſæviter carpere noſtrorum immemores defectuum. Hoc fundamentum falſum eſt, quia non lucidus eſt oculos, ſed trabe obſcuratus.

8. Eruditionem & correctionem averſamur, defectus verò bona intentione vel aliorum defectuum allegatione excuſamus, imò non niſi ſpeciem amando nos ipſos culpamus ut aliorum laudes fictamvè humilitatem aucupemur. Hoc fundamentum falſum eſt, quia externæ culpæ impatientes declinamus correctiones fictâ humanitate, ſeveriores verò invectiones invidiâ plectimus, imò hanc ipſam in juſtitiam in aliis fortè obviam perfacilè agnoſcimus & improbamus. Hoc falſum fundamentum etſi ſæpenumerò per reſignationem deſtruitur, ſuâ tamen ſpontè renaſcitur.

9. Si

9. Si nobis externa mundana subtrahuntur, operamur bonum in Spiritualibus cum animi recreatione, atq; sic possidemus Virtutes inquiete & dona in proprietate, ast non in solo Deo. Hoc fundamentum nondum verum est.

10. Latet quoq; subtilis deceptio in fundamento falso, quâ efficitur, ut dum à creaturis avertimus nos, putemus nos Deum cunctis Viribus in omnibus amâsse, penitusq; nos metipsos abnegâsse. Hic latet intrinsecus adulatio, cùm nec verè nos abnegaverimus, nec semel Deum verè ac integrè dilexerimus.

Hæc & plura alia credendum est esse falso fundamento superstructa, siquidem ab inclinatione humanæ, versus se ipsum voluntatis procedunt. Scopus ergò eorum est commodum, & propria tranquillitas, hinc uno subtracto medio quæritur alterum. Qvid qvod è penu creaturarum hæc depromuntur media, qvarum sunt victus & amictus, refectio, societas, amicitia, lætum nuntium, adjumentum &c. hæc omnia sunt externa. Interna sunt dulcis cogitatio, meditatio, oratio, solatium in Deo & requies animæ, sive sit super dono aliquo divino, sive super Regno Cœlorum, sive in Deo ipso. Hic verum fundamentum nondum inventum est, quia falso adhuc innitimur. Quamdiu nos ipsos quærimus & amamus, mercedem pro nostris flagitando operibus, si disciplinam & correctionem ægrè ferimus, defectus verò aliorum traducimus, si Deum vel bonâ vel malâ die non æqualiter amamus &c. hoc aliud nil est adhuc præterquam falsum fundamentum.

Quocircà quisquis pro suis actionibus quærit verum fundamentum, is cognito prius falso fundamento debet esse cautus in observandis iis, quæ præparare possunt eum; sed hæc sunt quæ seqvuntur.

1. Examinandæ sunt qvàm diligentissimè vires & sensus tùm externi tùm interni, & advertendum ne qua Ideas sensibus objectas recipiat aut velit, nisi cum opus habet. Multum enim confert, si ab externis speciebus libera sit facultas imaginativa, ad hanc autem libertatem facit fuga publicarum congregationum, ne sensus piscentur Creaturas.

2. Ob

2. Ob oculos ponenda est Vita & passio Domini nostri, dignéq; consideranda cum veræ imitationis proposito.

3. Necessum est, ut homo dirigat sua Opera juxtà normam perfectæ Christi Vitæ, juxtimvè observet, quantum quotidiè creverit in assimilatione Vitæ suæ, sivè id factum fuerit in actione externâ, in studio, labore, oratione, obedientiâ, sivè interni passione, humilitate, patientiâ, justitiâ, charitate, veritate, temperantiâ, sinceritate &c. quoniam à parvo externo opere est faciendum initium & per interna majora progrediendum, donec ad finem perfectionis pertingat. Damnosæ negligentiæ est nihil omninò incipere, stupidæ verò mollitiei imbutum primis elementis non ultrà procedere: nam sicut homines primi generis è libro viventium proscribuntur, ità alterius generis tanqvam ignavum pecus arcentur à Regno Dei.

4. Si homo collatis imaginibus se viderit dissimilem factum formæ Christi, expedit difformitatem eam suo humiliter confiteri Domino & adjutorium conformationis petere.

5. Quantum vires sufferunt, debet cooperari homo, ut suæ proprietati emoriatur, sicq; à falso fundamento abripiatur, enim verò quò citius à falso fundamento liberatur, hoc ocyus fundamentum verum revelatur.

6. Oportet hominem observare, in qvo se ipsum amet sivè in victu, amictu, sivè in actione, cogitatione, sive loqvendo, qviescendo &c. ut cognitâ causâ deserat eam qvæsitâ solâ Dei Gloriâ & Voluntate.

7. Opus est, ut vel à cunctis Creaturis desertus homo non desinat amare Deum, sic, ut si qvà Creaturæ secum contendant, passio augeatur, solatium minuatur, non tamen desistat à fuero virtutum (charitatis) exercitio: tunc Deus efficiet, ut in dies crescat in charitate. In his atq; similibus observationibus abscondita latet sapientia decantata, qvam mundus non valet comprehendere.

Cognitis nunc hiscè mediis ad salutem necessariis, non opus est disputatione aut quæstionum earum solutione, nam sciscet opera

opera bona sint necessaria ad salutem: an mereant aliquid necne? quoniam si Vita Christi in Virtute, paupertate, veritate, justitiâ, humilitate, obedientia, passione, charitate & doctrinâ fuit peracta, hæc omnia verò nonnisi per opera sunt facta conspicua; indubium est fore, ut per se cadant qvæstiones inutiles, utpote qvod actualis ista & virtuosa Vita nobis proponitur, cujus ad exemplum vivamus & ambulemus & hoc ideò factum cognoscimus, qvia non nisi per istam Viam itur ad Vitam. Qvid ergò veri dicere poterit, qvi contrà expressum Verbum Dei sine exceptione tàm enormiter contendit contrà necessitatem operum, cum tamen cogatur tunc dirigere cogitatum solùm vel ad opera Legis absq; fide qvæ gentium sunt, non verò credentium, vel ad hypocrisin, non item ad opera fidei qvæ tunc dissimulat? Dum enim opera in universum sumit promiscuè, confundit fidei Opera cum legis antiqvæ operibus, atq; sic minus conscientiosè demit qvod dandum erat illis. In primis hâc ipsâ dissimulatione præbet Auditoribus scandalum, ut in errorem abducti credant, licere credentibus vivere juxtà naturæ fragilitatem absq; reatu, si operum cunctorum par ratio est, si nec justitia, gratia, nec meritum ex iisdem progignitur; indè qvoq; venit, ut per hypothesin falsam seducti non curent Vitam Christi, non studeant pietati, sed potius vitam cum mundo transigant temerè (per accidens) ad mortem usq;. Quis ergò miretur, si viderit eos mori sine morsu conscientiæ, fidenter & placidè, siqvidem lactavit eos falsa opinio, per qvam labuntur in gratissimam Diabolo securitatem, id est, in falsam fiduciam.

Q. Annon & citrà controversiam potest cognosci, qvantum commodi obtineatur ex operum justitiâ? R. Potest: verùm investigandum prius est, num gratia Dei conservetur per bona Opera an abigatur. Posterius dici neqvit: prius autem si potest ostendi, non dubitandum est de Operum ad justitiam necessitate, qualitercunq; explicetur istæc justitia. Atqvi per ipsam Scripturam probatur, Spiritum S. non habitare in anima malignâ, nec permanere in corpore peccatis obsesso, ergò in animâ purâ

dicendum est permanere, sive conservari gratiam, quin & in corde puro ac justo se habitaturum ipse Deus promisit. Id ipsum cùm satis liqveat, considerandа sunt diligenter media qvibus Dei gratia conservatur, tùm etiam impedimenta, qvorum causâ recedit ea, illa sunt Virtutes & bona Opera, ista sunt Vitia & mala Opera. De impedimentis prius agendum est. Fiat reflexio ad vitam humanam, clarum est, eam qvoad Vitalitatis formam supponere motum continuum, quo sublato sublata quoq; est Vita: qvicqvid ergò operamur assiduo motu & actu mediante, id omne quam varium sit, ad actionem bonam aut pravam aut neutram refertur. Sed ad cunctas Vitæ & Spiritus moventis actiones respicit jussus, voluntas & gratia divina, qvæ & pro ratione bonitatis & malitiæ humanæ limitatur, hinc in earum emendatione consistat necessum est totum negotium prædicationis. Ad qvid enim gratia temporalis, nisi ut operum immunditia convertatur in Operum bonorum justitiam, utq; per gratiam duret justitia? Si desunt opera, desunt omnia. Cognoscimus taliter, qvid quantumvè sit, qvod gratiam Dei impedit, vel penitus aufert, nimirum inordinata aut prava actio, quæ tantum gratiæ aufert, quantum ipsa ponderis habet. Cùm autem multiplex sit mala hominis actio, expediret exponere omnes & singulas, qvo malum cognitum facilius auferretur è congregationibus, verùm ob eam multitudinem atq; diversitatem est impossibile recensere singulas singulorum, sufficiat potiores tantùm enumerâsse, ut velut è genere actio specialis ab unoqvoq; agnoscatur.

Impedimentum primum est natura indomita, qvæ absq; ordine & disciplinâ adhæret creaturis magnâ cum voluptate, hinc naturales homines, uti à qvolibet vento temporalium, imò à quovis accidente commoventur, ità carni nunqvam emoriuntur, nec hactenùs à gratia Dei foventur.

Secundum impedimentum resultat è proprietate naturæ (quatenus naturæ est se atq; sua, non aliena qværere) & ideo, si Voluntas, Amor, optatus & conatus impenditur ad proprium com-

commodum, qvî poteſt quærere gloriam Dei? Quicunq; ſeqvuitur ſtatum & inclinationem naturæ, cùm facilè per varias tentationes abducatur in errores, eſt ſemper inqvietus & diſtractus, eoq; divinâ gratiâ indignus.

Tertium impedimentum eſt perquam familiare iis, qvi mundi negotiis implicantur, hi namq; non humiliant animum, cùm potius ſenſus in ſublime extollant, ut placeant hominibus, hinc variato eoq; inutili verborum ac geſtuum generi ſtudent, quo ſit acceptior eorum converſatio. Hoc impedimentum non ſatis conſideratum eſt hactenùs, cùm tamen noxium valdè ſit, quatenus hoc modo perditur divina ſuavitas (Dei amicitia).

Quartum impedimentum non minus manſit obſcurum iis, qvi per id ſunt decepti: nam ſunt audaces, præcipites, qvid qvod defectus non curant minores, hactenus excuſant peccata in peccatis, & qvod in cordis impuritate ambulant, privantur verâ pace fidei.

Quintum impedimentum eſt ſuperbia: hæc etſi è bonâ naſcitur actione, eſt tamen humilitati adverſa. Quisquis ob actionem bonam complacet ſibi, & operatur, ut videatur coràm hominibus, perdit humilitatem veram, de hinc deſeritur à Deo ſæpius.

Sextum in judicioſis ac ſenſuum teneritate pollentibus obvium eſt, qui concitatius feruntur ad judicandum id omne, qvod vident, vel audiunt, hinc & plerumq; tentantur ſuſpicione & invidiâ: per iſtam pravitatem perdunt amorem fraternum.

Septimum in frigidis ac ignavis conſpicuum eſt: nam hi ſunt ad orandum tardi ac deſides, & per ignaviam hanc amittunt ardens verſus Deum deſiderium.

Octavum invenitur inter eos, qui qvoad ſenſus ſunt varii, inconſtantes & inſatiabiles; nam ex qvo vertunt animum foràs à ſimplicitate Lucis ad difformantem varietatem, non agnoſcunt ſe ipſos intrinſecus, nec motibus divinis reſpondent per medium abnegationis ſui, idcircò non illuminantur à Deo, ſed manent in cæcitate, cordisvè inconſtantiâ.

Nonum impedimentum arcet deceptos operarios à plenitu-

dine gratiæ divinæ, eò qvod nunquam advertunt, qvaliter Deus vivat in eis per gratiam, qvatenùs non tàm ex motu Spiritûs interno qvam de consueto ritu sua peragunt opera, tantoq; magis ad modum, multitudinem & magnitudinem operum respiciunt neglecto flagranti & simplici ergà Deum desiderio, qvod in conventibus & solennitatibus haud raro conspicuum est: hinc multa ineptè loqvuntur de gratiâ, nec unqvam sentiunt salutis media.

Decimum est valdè detrimentosum, ast ubiq; familiâre. Nam cùm id omne, quod desideramus, cum fiduciâ erat à solo Deo petendum & accipiendum, sunt tamen permulti, qui omne id, cujus indigent, cupiunt à creaturis accipere, taliter autem deserunt veram versus Deum fiduciam, eoq; cadunt in multiplicitatem, curas & sollicitudinem, ut nesciant quidnam eligere debeant: per id autem impediuntur, quominus unqvam veniant ad veram resignationem suiq; oblationem.

Perpensis hiscè cognoscimus, quid necessarium, quidvè sit ejus oppositum impediens, nimirum est

1. Necessaria carnis mortificatio, cui opponitur impediens naturæ ferocia.

2. Necessaria est divinæ gratiæ capacitas: hujus impediens est proprii commodi cupiditas.

3. Necessaria est Dei amicitia: cujus impediens est ambitio.

4. Necessaria est pax Dei: ejus impediens est incurii cordis impuritas.

5. Necessaria est divina conversatio, cujus impediens est Hypocrisis.

6. Necessaria est fraterna charitas, cujus impediens est judicii præcocia.

7. Necessaria est ardens Dei cupiditas, cujus impediens est oscitantia.

8. Necessaria est divina illuminatio, cujus impediens est creaturarum adhæsio.

9. Necessaria est divinæ gratiæ plenitudo, cujus impediens est cordis in constantia.

10. Ne-

10. Necessaria est oblatio sive ad Deum accessio, cujus impediens est à verâ fiduciâ recessio.

Nunc etiam sunt perpendenda media, qvibus Dei gratia potest conservari, hæc sunt tàm fructuosa, quàm necessaria, quicquid alii contradicant, siquidem quod ad perfectionem perducunt, ingens homini, qui ea observat, commodum afferunt.

Primum est, si homo non solùm in cunctis actionibus, verùm etiam in usu creaturarum nec se nec sua, sed solum Deum quærit, vult ac respicit.

Secundum, si cuncta qúæ videt & audit, boni consulit, & in iisdem solam suam exercet salutem.

Tertium, si Charitas sit universalis, hoc est, versus omnes in Universum homines tanquàm ergà Fratres, nam talis homo sibi cavet, ne judicet aliter de absentibus quam de præsentibus.

Quartum, si qvaslibet creaturas ità in laudem & gloriam Dei offert (consecrat) uti eas à solo Deo agnoscit largita, quod si hoc fecerit, non potest fieri, qvin pace fruatur interruptâ, quin etiam sentiat responsum Dei lucidum.

Qvintum, si animus hominis non afficitur rerum gravitate aut vilitate, sed si sit ità contentus cum Deo, ut cuncta quæ obviant ei, æquo animo perferat in seipso. Hoc enim si fecerit, obtinebit pacem, reqviem & lætitiam.

Sextum, si Creaturis utitur juxtà nobilitatem earum, & juxtà effluxum à Deo primordium, sic ut eas in Deo, Deumq; in illis cognoscat & amet. Nam si se taliter habuerit, apparebit in eo ordo & fundamentum verum, nimirum quod Deus ei & ipse Deo sit omne in omnibus.

Septimum, si animus ejus sincerus, immutabilis & vacuus sit, id est: super omnia mundi contenta in solo Deo elevatus, qvod ipsum triplici modo fieri potest.

1. Si semper indivisus, sedulò ac ferventer bonis exercitiis sit occupatus.

2. Si Deo per amorẽ, imò per cunctas internas mentis potestates

ità adhæret, ut prælucendo alios homines ad Deum perducat verbis, opere, Vitâ, ordine, ac modis.

3. Si immediatè Deo sit obediens, in passione patiens, pauper in Voluntate, amicus inimicorum suorum. Hæc namq; sunt tàm prædicata interna opera, per quæ glorificatur Deus, imò per qvæ divinus amor revelatur sic, qvi aliàs in homine occultus est, nunc velut Splendor emicet per Vitam spiritualem. Verùm, ô Bonum æternum, qvot sunt eorum, qvorum est de tuo nomine gloriari, qvi cuncta hæc pervolvunt, discunt ac perficiunt? Sanè perpauci! Qvàm multi enim sunt, qvi pharisaico imbuti fermento solùm ad externa opera ambitiosè properant, atq; per ea tùm gloriam tùm quæstum quærunt internis procul relictis? Quàm multi deniq; sunt, qui dum fermentum fugiunt, corrumpunt & abjiciunt omnia, insuper putant præfata cuncta esse perfectionis documenta ob fragilitatem naturæ nusqvàm ac nunquàm possibilia? O Mentis crassam caliginem! Adeonè sunt obliti ejus qvod scriptum est: qvod Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Quodsi necessum est illuminari hominem divinitùs, qvò vivat naturaliter, quantò magis credendum est illuminari hominem regeneratum spiritualiter, qvò anima ejus vivat æternaliter? Quodsi renatus in baptismo Christum induit, non dubitandum est, qvin omnes Renati eatenus à Deo illuminentur pari gratiâ, ut possibiliter eorum qvilibet concurrat ad perfectionem, si aliqui (quantum in illis fuit) ambulârunt in perfectione. Quænam ergò causa est, quod adeò rara est hoc tempore perfectio Spiritûs? Procul dubio non alia assignari potest quam negligentia pravam seqvens Voluntatem. Cur fame perit iners & piger? Nonnè quod vetat laborare? Quò vivat homo naturaliter opus est, ut Corpus nutriat cibo & potu; sed pro acquirendo alimento opus est, ut studiosè laboret, qvoniam scriptum est: qvi non laborat, non comedet. Ut laborare possit, opus est, ut omni conatu discat artem aut opificiũ, qvo norit ritè ac utiliter laborare: quanto magis est opus homini animam salvare cupienti, ut omnem impendat operam ejus

ejus sustentationi? hic etiam conatus est cunctis aliis operosior. Qvocirca necesse quoq; est, ut cupidus intendat animum ad disciplinam discendo cognitionem tàm sui quàm boni optimi, eo scilicet fine, ut postmodum viriliter operetur. Laborant quidem homines, ut vivant naturaliter, verùm quò vivant spiritualiter, recusant operari: discunt, qvò laborent, ast non in Spiritu, quia tantùm in carnis mollitie. Undè verò istæc neglectæ disciplinæ Vecordia? è solâ pravâ Voluntate: nam obvium est pravam generationem resistere semper S. Spiritui, hactenus & gratiam Dei impedire, qvominus suum in homine bonum, ejusq; in melius mutationem perficiat. Ad quid enim proficit illuminatio homini velum luci opponenti, imò per voluntatem malam redditur difformis divinæ gratiæ ubertas. Hîc culpa homini, non illuminationi èst adscribenda, siquidem fiducia pravæ voluntati innixa non est nisi falsa fiducia, qvam Christus hoc ipso evertere voluit consilio, qvo non Auditoribus, sed factoribus legis gratiam (salutem) pollicitus est. Quis autem est, qvi unum legis apicem impleat, nî studeat legis observantiæ? falsam autem fiduciam (Hypocrisiæ Filiam) tunc indicavit Christus, cum dixit: Non omnes qui dicunt, Domine, Domine, introibunt in Regnum Cœlorum, sed qvi faciunt Voluntatem Patris. Qvin & prænominatam fiduciæ falsitatem possumus nos omnes agnoscere, si verbum Dei conferimus cum experientiâ. Ecqvis enim est Christianorum, qui moriente suo parente, filio, cognato, amico non speret salutem defuncti, maximè si suo modo antè obitum provisus sit cælesti viatico? Quid quod Amici de hâc morientium præparatione solent perquàm solliciti esse, ne qvicquid est medii ad placidum obitum conferentis negligatur, ità ut qvantum apparet, subsit causa credendi, maximam turbam hominum salutaribus mediis provisorum diem fatalem obire placide in Spe vitæ æternæ. Sed quid scriptura dicit? hoc dicit: qvod nisi dies breviarentur tunc, non salvaretur homo unus, dierum verò abbreviationem ideò dicit futuram, nè seducantur & pereant simul electi. Quibus si credimus verbis, docemur,

mur, maximam tunc temporis partem hominum à Deo iri judicatum in damnationem non obſtante fiduciâ, quia falsâ. Multi autem tàm verbis quàm geſtibus præferunt confidentiam, quam tamen ſi ſeriò examinaveris, non veram (in conſcientiâ radicatam) fiduciam deprehenderis, ſed vagum cogitatum è variis dictorum ſpeciebus exortum, tamq; diu ſuſtentum, quamdiu dicta ſolatii acclamaveris, verùm & tàm citò pereuntem, quamprimum dicta reprehenſionis ac judicii protuleris. Stabilis ergò eſt error Voluntatis usq; ad mortem, ſi regula qvâ ducitur homo per vitam ſuam non ſit rectiſſima. Nam ità in tuâ ſphæra fidis ô homo, ſicut agis, ità agis, ſicut vis, ità vis, uti credis, ità credis, uti doceris, ità doceris, ſicut eſt Vita, mos, modus, & ordo docentium, neq; enim docent tantùm verba, qvæ aliàs æri tinnienti comparantur, ſi absq; Spiritu ſit. Spiritus autem occaſionales confert cauſas, ordinem ſcilicet, modum, mores & vitæ exemplar, quibus ſingulis & univerſis non aures tantùm, ſed omnes Senſus, imò & phantaſia, ratio, intellectus, totaq; mens allicitur ad Deum, qvò convertatur & vivat. Idcirco quicunq; lucem illuminantem in animæ ſuæ penetralia immittunt, dicuntur duci à Spiritu S. Qui verò ducuntur, operantur ſedulò, qvousq; perveniant in viam perfectionis præfatam. Sed dicet qvispiam: è præfatis colligi hominem qvalitercunq; ſedulum non poſſe operari utiliter, nî artem operandi ſatis benè didicerit, adeoq; ſupponi certa quædam artis media, ſinè qvibus inutilis, utilis autem cum iis induſtria ſit. Adhæc quæ poſſunt reſponderi ſublatâ explicatione ſeqventur inferius capite de exercitio, ad quod remittitur ſuppoſitum hoc. Hic tantùm adhuc dicendum eſt aliqvid de operum diverſitate, quatenus bona hominum opera non omnia ſunt fructuoſa; propterea dividuntur Opera bona in ea, qvæ fiunt ex intentione & propoſito humano, & in ea qvæ dicuntur per Deum facta. Illa ſi ſine Dei gratia ſunt, planè infructuoſa ſunt, imò qvàm magna eſſent vel etiam à cunctis hominibus unquàm facta, ſunt merum nihil, nil valent in comparatione ad minimum opus, qvod à Deo per

gratiam

gratiam perficitur in homine, sivè ad qvod faciendum homo impellitur à Deo. Imò opus Dei tantò plus valet præ cunctis aliis operibus, modis & institutis, quæ omnes homines excogitare, fibiq; familiaria unqvam reddere possent, qvantò Deus est excellentior cunctis creaturis.

Q. Undè cognoscitur, num hominis opera fiant juxtà summam Dei voluntatem? R. Exin cognosci potest, si homo prospicit, ut 1. nunqvam careat purà conscientià. 2. Ut ab adunatione Dei se nunqvam avertat. 3. Ut Deus Pater incessanter suum in eo gignat Filium.

Q. Cùm autem hæc opera tantùm perfectorum esse possint, & tamen ab imperfectis etiam queant bona opera peragi per Deum, quamvis non juxtà summam Voluntatem Dei, dic, quæso, qvaliter homo noscat discernere opus merè humanum ab Opere divino? R. Ad hoc requiritur ut homo sit attentus, obseqviosus & probus, tali enim non est difficile cognoscere Opus Dei, qvoniam ad faciendum hoc impellit S. Spiritus hominem, undè impulsus hic vocatur à Theologis alloqvium, quasi per id fiat adhortatio, hæc etiam sæpius fit in homine, ut qveat eam observare. Nam percipit homo in suo fundo interno quasi quid simile ascendenti cogitationi contradictoriæ, quæ interrumpit naturalis propositi cogitationem, huic si statim obediat, deprehendet qvod opus sit bonum finem obtenturum atq; cum Deo esse, contrà cognoscet simul, propositum suum qvod antè putabat bonum, fuisse humanum non bonum. Sic appetitus carnalis est conveniens naturæ, qvod huic opponitur, Spiritui cedit in salutem. Probet hoc quispiam qvandocunq; vult, inveniet veritatem certocertius. Dum enim variant cogitationes, sentitur contradictio; ast exercitatus homo sentit impulsum divinum longè facilius, quo velut ad attendendum excitatur: nam cùm observat diligenter, sentit in se aliqvid, qvod idem est cum hortatione, alloqvio. & statim seqvuntur cogitationes, qvasi oporteat eum seqvi solum Deum, ut perducatur in viam veram, ubi Deus qveat suum in eo perficere opus. Tale est consilium Dei,

cui pauci cupiunt attendere, qvatenus maxima pars Christianorum acqviescit in suo proposito, arbitrio, moribus, modis, cæcis affectatisq; suis operibus, qvibus impeditur tùm S. Spiritus, ne possit alloqvi, tùm ipse homo, nè percipiat, nevè locum det inspirationi.

Q. Siccinè censes, inspirationem S. Spiritûs posse qvàm optimè sentiri silendo & attendendo? R. Imò sic est & non aliter: Enimverò cùm Deus loqvitur, opus est ut omnia sileant, verbum ejus est suave flamen, rumori & vento facilè cedens; cùm Deus operatur, oportet locum habere, ubi operetur, & spiritum humanum passivè se habere, quatenus actio & passio se habent relativè.

Q. Jam mentionem fecisti exercitati hominis, ergonè in hâc materiâ facis distinctionem inter exercitatum & non exercitatū hominem, quid hoc sibi vult? R. omninò distinguendus est homo exercitatus ab inexercitato, præsertim circà hanc materiam, quoniam tametsi quilibet homo possit discernere inspirationem divinam ab humanâ propensione in respectu discretionis inter opus bonum & malum, nihilominus homo exercitatus longè magis discernit inter doctrinam Dei, & inter animæ arbitrium ac judicium in respectu discretionis operis boni humani ab opere DEI. Hæc ergò materia non pertinet ad juniores fortes homines, qui exercitium non habent, nec etiam unquàm aggressi sunt, ut quod his adhuc opus est, quô se assiduè exerceant multis bonis operibus, variis modis intrinsecus forinsecus. Spectat autem tantùm exercitatos ejusmodi homines, qvi desiderant esse Filii Dei omnium charissimi, qvorum via modusq; longè diversus est à modis & viâ eorum qui incipiunt. De Filiis Dei charissimis tractatur alibi.

Q. Cùm autem merces & meritum externis operibus bonis etiam tribuatur, eoq; minus exercitatis hominibus conveniat, annon conveniat minus, qvod opera gratuita velis? R. Opera bona tantùm ea sunt meritoria, quæ è charitate proveniunt, & ideò mercedem habent, quia Deus eam promisit iisdem, sed aliter

rei judicandum est de iis, cùm per Deum sunt facta, nam tunc plus habent quàm specialem mercedem, plusq; perfecta sunt, si nulla pro iisdem poscitur merces. Hic nota, quod amor versus Deum debeat esse æq; gratuitus, atq; Dei amor est versus homines, id est, non causam respiciens, non mercedem aliam, nisi solum Deum bonum ac benignum. Et tametsi nullam Deus promisisset mercedem, nihilominus tantoperè amandus esset. Hinc qui absq; dolo Deum amant, non respiciunt mercedem, quamvis quid aliud nôrint & credant, quatenus quod credunt, ob gloriam Dei abscondunt, ne id respiciant.

Q. Ergone quæ per Deum Adjutorem fiunt opera, supponunt inspirationem? R. Imò S. Spiritus est ille Coadjutor, cujus alloquium & operatio ea interna inspiratio est, de quâ paulò ante dictum, per eam hortatur atq; impellit hominem, quasi diceret sic: ô chare homo, si sequi me vis, deducam te in viam longè tutiorem ac jucundiorem, & in eâ conducam te.

Q. Ecquis inveniretur inter homines, qui tam fideli Consiliario & Conductori non statim obsequatur, dummodo in se quid ejus observet operis? R. Idquidem, uti dictum, observatur facilè; ast ô sapientem eum, terq; beatum hominem, qui se exuto satisfaceret hortatui, institutioni ac impulsui S. Spiritûs obediendo. Sed replico, quis facilè inveniat, qui hoc faciat? Infestimus omnes propriis nostris externis, affectis, sensitivis modis.

Q. Siccinè mihi videris interdicere quibuslibet exercitationibus, quæ apud vulgus tantæ sanctitatis sunt, ne dicam meriti? R. Neutiquam id de me velim concipias. Sed ut me clarius intelligas, ajo: facienda quidem sunt externa bona Opera, sed non solùm, siquidem oportet nos etiam internas bonas exercitationes nobis familiares reddere, quamvis sine proprietate, neq; enim magnifacere aut complacentiam habere in iisdem decet, quin potius opus est expectare voluntatem Dei, & observare opus ejus in resignatione, ne quâ Dei opus (uti facilè fit) deformamus temerario arbitrio, cùm scilicet rationabili, proprio

ac naturali judicio insistimus progressum non faciendo. Hîc ab exemplo res apparebit clarior: videmus in pomario sæpe delabi ab arboribus poma præ matura, qvæ pulchra sunt aspectu; verùm hæc delectatio evanida redditur, cùm paulo post inveniantur ferè ad unum omnia vermibus scatentia, qvi simul è fructibus prorepunt longè lateq; delicatas plantulas depascendo & defædando. Sic eminus poma verminosa sunt qvoad externam venustatem valdè similia pomis non verminosis, ast intus exesa & vermium excrementis repleta videntur. Etsi verò fructus verminosi niteant præ rubore ac teneritudine, indè tamen non seqvitur, non verminosos carere debere nitore externo, dico, non seqvitur, qvoniam ab his reqviritur, ut niteant extus, & simul internâ bonitate præditi sint. Juxtà allatum hoc exemplum, sunt discernendæ actiones humanæ: nam bonæ exercitationes, quæ speciem habent virtutis, sunt plurimæ & longè inter se diversæ, varii sunt modi, qvibus superbiunt inponderosis elatis verbis, clari itidem, nimirum in mirabili exercitio, sunt & alii in vitâ sublimi sivè contemplativâ sivè operativâ, exhilarativâ, transcendentali, propheticâ, prodigiosâ, curativâ decantati modi, & qvi infusam scientiam, Spiritusvè discernendi notionem præseferunt; summatim qvotqvot sunt alii vitæ sublimioris, qvos homo unqvàm noverit, modi, de iis dicendum est; qvod jam sint verminosi aut possint verminescere, nì homo se ipsum probè speculetur.

Q. Cùm dicas, actiones bonas præclarissimas posse esse verminosas (quod vix est cogitandum) dic, qvæso, qvid de non tàm nobilibus, attamen qvotidianis conspicuis censes, qvibus tota ferè multitudo credit, vix unquàm magis meritorias posse fieri. Alii enim sunt magni Eleemosynarii, alii officia & opera charitatis præstant præ grandia, alii promovent quosdam aut sustentant summis muneribus, &c.? R. Hæc quæ recensuisti & plura alia dona vel officia, si qvà contigerit nonnisi Deo soli innotescere inviso exhibitore, qvi mallet ea divulgari, noscas esse verminosa eam ob causam, qvia clàm laudem in iis quærit, elargitas eleemo-

leemoſynas taliter ſibi appropriando. In pauperum & infirmorum ſolatium impenduntur magnæ Eleemoſynæ, exſtruuntur Xenodochia, Orphanotrophia, qvin etiam templa pretioſa: aſt qvid inſignia iisdem affixa, inciſa deſignant? Reſpondetur, hoc, ut Mecœnatum Munificentia reddatur inde glorioſior, utq; honorem acqvirant, uti ſolet dici, virtutis præmium: O qvantum mercedis pro tanto merito!

Q. Parva merces, grande meritum, qualis proportio? quid quod adhuc parum tibi videtur & fructûs exigui? R. Adi Scripturam & audi, qvid loqvatur verbum (Filius) Dei, qvi de bonis Phariſæorum operibus ad populum ſic loqvitur: Cùm datis Eleemoſynas, nolite tubis perſonare ſicut Hypocritæ faciunt in ſcholis & plateis, ut videantur ac laudentur ab hominibus: Amen dico vobis: reportant mercedem ſuam, puta, qvia honor virtutis præmium eſt. Matth. 6.

Q. Si tales Eleemoſynæ ſunt in fructuoſæ, dic quales viciſſim ſunt fructuoſæ? R. Has ex eodem Evangelio per diſcito ac probè notato, qvid dicat Os veritatis: Cùm datis, ait, Eleemoſynas, non ſciat ſiniſtra manus, qvid facit dextra, ut veſtræ Eleemoſynæ maneant occultæ, & Pater veſter qvi videt in occulto, reddet vobis in publico.

Q. Quis toleret iſtam tuam aſperitatem? Cùm eo fine fiant eximiæ Eleemoſynæ, ut orēt pro bene-factoribus, ipſa ratio dat excuſationem: Nam quomodò poſſēt orare pro illis, qvi donant, ſi neſciatur tùm ipſum donum, tùm ejus largitor? R. Aſt ego dico, Eleemoſynas in occultum Dei ſinum profuſas, ſic ut Deus ſolus noſcat eas, prodeſſe magis, qvàm vaſtiſſimum Templum exſtructum ſub conditione cum cunctis hominibus pactâ, ut ſcilicet hi orent pro Benefactore. Nam ſi qvis confidenter ſoli Deo ſua offerret opera (donaria) procul dubio futurum eſt, ut Deus tantum rependat, qvantum omnes homines poſſent exorare, & hinc plus orant ipſæ Eleemoſynæ in puro Dei reſpectu factæ, qvàm omnes homines poſſent orare in reſpectu notificatæ obligationis.

Q. Annon ſic talia opera etiam numeras inter verminoſa? R. Quin etiam hoc ſuperaddo, qvod tali modo multi homines cuncta ſua opera bona deſtruunt ſic, ut videantur per totum vitæ curriculum perpauca fructuoſa opera peregiſſe, ſivè quis cultum Dei conſideret, ſivè hominum miniſterium, ſivè jejunia, vigilias, orationes, eleemoſynas &c. utpotè qvod ſemper habent reſpectum ad meritum & mercedem, qvo hactenus acqvirant aliquid ſivè à Deo, ſivè ab hominibus: ſed ſic ſeipſos quærunt occultè dum cupiunt deſuper æſtimari. Tibi ipſi relinqvo dijudicandum, num verminoſa ſint hujusmodi opera, etiamſi tot eſſent eorum, ut ſe per totum mundum dilatarent.

Q. Ad hujus aſſerti defenſionem profer ad huc teſtimonium è S. Scripturâ? R. In pluribus Scripturæ locis invenies teſtimonia, maximè hoc: qvod Chriſtus dicit: cùm jejunatis &c. ne coràm hominibus videamini cum veſtro jejunio, ſed coràm Patre veſtro, qui in abſcondito eſt, & Pater veſter, qvi videt in occulto, rependet in propatulo. Quicquid autem hîc dicit de jejunio, id vult referri ad cuncta alia bona exercitia. V. g.

Matth. 6.

Quantum ad orationem dicit: cùm oras, ingredere in Cameram, clauſoq; oſtio invoca Patrem. Hæc verba ſunt ejus ex ore prolata, qvi ipſa veritas eſt: qui vult, conſideret ea, & juxtà verba ea examinet opera, qvæ non fecit ſoli Deo, deindè computet qvantum apud Deum, qualemvè fructum ſit indè reportaturus, hæc proba docebit, an verminoſa ſint opera necnè.

Q. Ut autem qvæ jam ſunt dicta, evadant clariora, dic etiam aliqvid per Exemplum de causâ inſtabilitatis operum, qvare in comparatione fructus ab arbore cadant antè tempus maturitatis? R. Dicam: noſti dari arbores in pomario, qvarum fructus mali antecellunt fructibus bonis in pulchritudine, hi ſatis diu in arbore pendent ſub aëris tranqvillitate; aſt quamprimum à procellis turbatur aura, decidunt, qvia ſunt verminoſa: qvod autem deterius adhuc eſt, audiſti, quod vermes eorum prorepunt, & depaſcuntur plantulas in horto circà arbores creſcentes. Arbores verminoſis fructibus fœcundæ deſignant homines im-

impræparatos, immodestos, petulantes, qvi suis bonis operibus, qvorum plura faciunt, qvàm homines perfectæ resignationis, nimium confidunt, hi qvod præ aliis apparent valdè prudentes, bonarum actionum studiosi, virtute speciosi, & modificati, idcircò magni meriti rationem reponunt in hæc omnia. Ast si qvis qværit, qvamdiu? Respondetur tamdiu, qvamdiu fruuntur pace, tranqvillitate & prosperitate, qvamdiu eorum opera solare lumen illustrat. Nam probam tentationum ne qvaqvàm sufferunt, à qvibus tamen electi tanqvàm ab assuetis non afficiuntur; hinc si obortâ tempestate moventur, aut sponte decidunt, aut â procellâ dejiciuntur, qvoniam sunt fructûs verminosi nusqvàm valentes. Quid qvod ab his etiam afficiuntur simplices tenues homines, qvi comparantur plantis à prorepentibus vermibus depastis, hos namq; mediante eorum falsâ libertate ac doctrinâ deceptos perdunt. Quid, quæso, anxietatis sentient in horâ mortis, si in eorum fundo non Deus essentialiter, sed tantùm fictum qvoddam proplasma ejus invenietur? Ambulârunt enim in viâ latâ, dum clàm seqvebantur naturalem eorum ductum & inclinationem angustâ sinceræ resignationis viâ desertâ, & si qvà nonnunqvam pedem movebant in viam angustam, retracto tamen eo statim ad latam naturæ viam declinabant. Si qui servantur eorum, hi sunt præ aliis longè felices. Sed hæc sufficiant de operibus infructuosis.

Q. Cùm jam intelligam, quid sentiendum sit de operibus, quæ comparantur fructibus verminosis, eoq; impediunt, quominus homo recipiatur in numerum charissimorum Dei Filiorum, insuper autem restet dicendum aliquid de iis operibus, quæ fructibus non verminosis comparantur, hinc tuum erit nunc tradere, quid habeas de Operibus à verminatione liberis, Deoq; charissimos Filios efficientibus? R. Libenter id faciam, dummodò non tædeat auscultare diligenter. Nota, quadruplici viâ & modo posse se hominem habere, ut opera ejus reddantur Deo accepta.

1. Oportet, ut tùm externa tùm interna opera ejus fiant sine ullâ

ullâ æstimatione, sic ut nil mercedis pro iisdem desideret præterquàm solum Deum. Quod si placuerint Deo, acceptum sibi referat, sin minus, decidunt vel ideò, quod non sunt facta ad laudem & amorem divinum.

2. Oportet, ut actio per quam obedienti se Deo simul ac hominibus etiam quam minimis subjiciat, ità ut alios magis justos censendo nemini se unquam ullo modo opponat.

3. Oportet exercere profundam humilitatem, fundando se super suum Nihil, cùm nil sit ei magis proprium quàm Nihil, imò si quid adest vel inest homini, hoc ipsum non est ei proprium. Ast si quid facit, quod potest dici à se solo factum, hoc reputet esse malum, unàq; seipsum malum. Cogitet in Spiritu suo: Annon & omnium maximus peccator ad sanctitatem pervenisset, si tantam Deus gratiam ei concessisset, quantam mihi contulit? Hinc nota, cunctos eos, qui in securo hoc humilitatis fundo persistunt, non posse ullo modo judicare alios propter qualiacunq; opera; imò quamvis mala non sint, nihilominus se statim indè reflectere ad suam infirmitatem, quo facto elabuntur judicio aliorum Hominum.

4. Oportet se semper occupare operando in timore & terrore tanquam coràm occulto Dei judicio, non sicut qui desperat, sed ut Amicus, qui metuit, nè quà Patronum charum offendat.

Nam qui non veraciter se in hoc fundum demisit, ejus opera verminescunt omnia, etiamsi tot essent eorum, quot cuncti homines facere possent.

Q. Cùm jam abundè ostensum sit præfato quadruplici modo institutam exercitationem reddere Deo charissimos homines, dic etiam nunc, an quid prætereà restet faciendum necnè, quo impellantur à S. Spiritu quantocyus? R. Unum adhuc restat opus faciendum, qvod nobilissimum est, & spectat propriissimè Amicos Dei veros, hoc est, expectare Deum, ejusq; impulsum, sivè operationem studiosè observare. Tunc temporis non infreqventer obveniet calcanda via deserta, & perqvàm calamitosa, qvam devitare fas non est, qvoniam nobilissimus indè fructus

ctus est reportandus, dummodò se ad ambulandum in eâ resolvant animo●. Fiduciâ in S. Spiritum positâ: hoc fit, cùm minus hæsitanter redeunt in seipsos, opusq; Dei observant.

Q. Cùm mihi incidat Scrupulus de verbo expectare, quæritur, num certum aut incertum tempus detur expectationis, an subitò quis cùm inceperit expectare, sentiat operationem Dei? R. Opus Dei non habet certum tempus, cùm referatur ad Voluntatem Dei, à qvâ proscribitur omne momentum temporis. Nam cùm divina Operatio sit tàm excellens, ut superet omnes sensus, naturam & rationem, hinc digna est expectatione per totam vitam durante, hanc ob causam tantoperè laudatur patientia. Qvodsi qvis toto anno nil digni faceret, nisi quod expectando attendat ad opus Dei, nil esset neglectum; imò tametsi tantùm exigua coruscatio occulti operis, quod Deus in fundo ejus operatur, aut nec tantillum feriret eum, tantum abest, ut qvid neglectû sit, ut potius totius anni tempus longè melius impenderit, quàm qui eximiâ exercitatione se suâ sponte occupârunt omnes.

Q. Siccinè cum Deo negligitur nihil? R. Plane nihil.

Q. Quare? R. Quia hoc tempus, hoc opus Dei est, non hominis. Hominis est expectare juxta placitum Dei, Dei vero est juxtà suum placitum venire operatum aut emanere. Qvantò Deus præcellit creaturis, tantò ejus opus prævalet operibus cunctarum creaturarum, hinc expectantes vacant externo exercitio, cùm se internâ operatione magis magisq; occupent.

Q. Quantum exindè capere possum, arbitror, perfectam hic pacem & securitatem inveniri, sed cur hoc nolunt credere homines? R. Cùm velint scire, & tamen intelligere neqveant unqvàm, ideò non credunt: proindè hoc tantùm inservit pro hominibus perfectis, qui sunt immersi divinæ Unitati. Neq; etiam expedit pro aliis bonis hominibus imperfectis, quibus satius est se exercere in cunctis bonis Operibus, ne incidant in otium sivè falsam vacuitatem.

Q. Quantum putas qvod Deus amet hominem, qvi locum & ●●●●m dedit Deo utendi & operandi opus suum in eo? R. Amor

iſte tàm magnus eſt, & immenſus, ut nulla ratio qveat comprehendere eum. Amatur enim talis homo amore, qvo Pater cœleſtis amat unigenitum ſuum Filium. Qui ſic patiendo Deum impellitur, vadit in abyſſum: In hâc viâ eſt homini antè omnia opus, ut ſeſe mergat in profundum ſui nihili, ſic ut de operatione divinâ nil ſibi applicet, ſed potius Deo linqvat qvod Dei eſt, & ſervet ſibi, qvod ſuum eſt, hoc eſt, proprium ſuum nihil. Nam ſi quà fieret, ut homo ſibi qvid compararet eorum applicando, lapſus iſte eſſet omnium periculoſiſſimus.

Cum nobiliſſimo hoc opere clauditur doctrina de merito & neceſſitate bonorum Operum, in qvâ continetur diſtinctio bonorum Operum, qvorum qvædam qvalitercunq; bona ſunt, non ſunt meritoria, eoq; nec gratiam conſervantia, quædam verò conſervantia gratiam, & meritum habentia acquirendæ mercedis, hoc eſt, adjumenti ſivè promotionis divinæ ad Opera perfectiora, & ad virtutem humilitatis, quâ aſſeqvutâ homo exercitatus opera ſua nihili æſtimat, quia abſcondita vult propter gloriam Dei, & hinc habet meritum unum maximum, & mercedem unam ſimplicem maximam, nimirum ipſum ſolum bonum ſummum, qvod Deus eſt.

Hic eſt Finis, qvem ſpectat Dei voluntas, & in hâc Dei voluntate conſiſtit mandatum dilectionis, qvod Deus olim populo ſuo dedit, quod ipſum ipſa charitas (Dei Filius) credentibus impoſuit, tanquàm quod per hanc dilectionis operantis juſtitiam reddimur uberioris gratiæ participes Amici & chari Filii Dei. Erit ergò in ordine nunc procedendum ad Dei mandata, qvæ vel ipſa defendunt neceſſitatem & meritum bonorum Operum, qvatenus præcipiunt bona, & prohibent mala, qvod ipſum adeò perſpectum deberet eſſe, ut mirum ſit, quì unquàm deſuper potuerit oboriri ulla in adverſum quæſtio.

CAP.

CAP. III.

De Mandatis Dei.

Q. Christus quidem dedit mundo mandata, hoc est mandata Patris sui, qvæ omnia olim in formam mandati dilectionis redigebantur; ast non obstante hoc, quærunt nonnulli, an fidelibus, qui à lege dicuntur liberati, sit data lex necnè? R. Id sanè affirmat Ecclesia Sancta Catholica, ast sunt qui solent contradicere Spiritui S., hi negant hoc & putant, Legem contrariari Libertati, ideo quod Lex non sit, ubi Libertas est. Verùm hanc contradictionem, quâ committitur peccatum in Spiritum S. tollit ipsa S. Scriptura per distinctionem 1. Legis, quà dicit, liberos non esse legi subditos, sed tantùm servos. 2. Libertatis, utpotè quòd hæc distinguitur in veram & falsam (malè ordinatam). Veram Theologi ajunt lege carere, falsam verò legis causam esse. Videndum ergò hîc est, qvaliter id sit. Scriptum est, qui serviunt peccato, non esse liberos sed servos, qui verò peccato non serviunt esse verè liberos. Liberi sunt qui nec sibi nec creaturis adhærent, sed in obedientiâ & humilitate vivunt Deo dediti, ad eum ferè modum, qvo Christus Dominus noster vixit. Quantum enim homo â viâ hâc declinat ad Creaturas, ad qvas per extravagantem amorem fertur, tantùm servit peccato, ac per consequens tantum se legi reddit subjectum. Servi peccati igitur sunt homines carnales, & â Lege offensi, de quibus hîc nihil agendum, quia ipso facto à Regno DEI exclusi sunt.

De illis autem dicendum hîc aliquid est, qui putant se liberos esse, cùm tamen sint etiam servi peccati (in sensu spirituali). Nota ergò: In viâ libertatis decipiuntur multi à seipsis, partim cùm per inordinatum appetitum se citius abripiunt à Creaturis non expectando tractum divinum, partim cùm absolutam veræ

libertatis cognitionem non habent, siqvidem tunc putant jam satis esse, si viam veritatis diligenter quæsiverint, si Deo dedicati mundo sibiq; ipsis abrenunciaverint, tunc ergò quiescunt nec ultrà progrediuntur ad paupertatem Spiritûs, nec vitam Christi imitantur, tàm humiliter & obsequenter, quàm possent: indè autem nil aliud sequitur, quàm quod à technis Diaboli superati labantur in spirituales divitias, ambitionem, inordinatam (falsã) libertatem, sic conseqventer in Casses peccati se per incuriam implicando, eiq; postmodum serviendo sub graviori jugo tanqvàm fascinati (excœcati). Hi taliter seducti dum putant se liberos esse, inveniuntur mancipia severitati legis subjecta. Confidunt plerumq; suæ in sacris scientiæ, hinc opinantur se posse scripturâ & lege carere, in pace vivere, aliis imperare, leges præscribere, tùm etiam Corporis animiq; recreatione satis dignè frui. Indè quidem perspicuum est, ambitionem falsamvè libertatem esse velut consangvinitate junctas invicem, sic ut ubi hæc sit, illa non deficiat & vicissim: proindè Homo per eas deceptus si statûs gratiâ sit aliis superior, putat, quæcunq; vult, loqvitur & operatur esse bona ac justa, reliqua verò tanquàm ineptias despicit. Indubium est, quin tales nunqvàm converterentur, si sine lege esset; ut ergò converti qveant, necessaria est Lex, per qvam instruantur, & à cognitâ per legem deceptione reducantur ad veram libertatem. Quodsi autem his necessaria lex est, num hi à lege liberi esse debent, qvi mundo adhuc adhærent, qui veritati non dant operam, qui Deo se non dedicant; sed multò magis in summâ Cæcitate ac malitiâ vivunt, disciplinam, mandata, legem, modos, instituta & ipsam vitam Christi aspernati? Haud quaquàm! Idcircò qvod re ipsâ non erat necessarium, factum est necessarium in tantâ animorum perversitate, qvam ut coërceret S. Ecclesia, instituit modos, ordines & leges hactenus observatas. Expedit sic nôsse, qvâ de causâ lex & instituta Ecclesiastica sunt ordinata, nimirum, ut per ea ad veritatis agnitionem compellantur, qvi jumentis aliàs ferisvè petulantiores essent. Mandata tùm Dei tùm Ecclesiæ sunt media conductiva & velut pri-

mæ

mæ viæ ad veritatis obtentionem. Propter hanc causam recipiuntur etiam consimiles ordinationes & exercentur ab iis, qvi possunt carere iisdem, hoc est à verè liberis & spiritualibus.

Nam per hoc exemplum confirmantur tùm mandata tùm debiles ipsi, qui in his ambulare coguntur, qvin & per talia exempla non nunquàm plurimum corriguntur & producuntur. Quid quod ipse Dominus noster se legi subjiciendo humiliter ac obsequenter expedivit veteris testamenti consuetudines, ritûs ac mandata, hoc ipsum fecit eâ de causâ, ut per has primas vias paulatim conduceret suos imitatores in alias magis directas ac propinqvas. Propterea legis finis hic est, ut per eam detecta veritas cognoscatur, atq; hoc erat officium Christi, nimirum legem tradere, suoq; Exemplo nos in eam deducere, quin & eò spectant cuncta ejusdem Verba & Opera. Ex his cognoscimus, cur lex credentibus data sit, & dictum est, qvia necessaria fuit: cognoscimus hinc etiam, cur lata lex non eos attineat, quibus non necessaria est, nimirum, quatenus suâ sponte per Deum perficiunt omnia, quæ Deus vult, adeoq; Deus sibi non est lex. Verùm hoc se non habet ita, nisi tantùm in iis, quibus est paupertas Spiritûs & vera spiritualis humilitas, qvæ indè provenit, qvod veritas detexit, hominem à se ipso, hoc est, de suo proprio nil posse, nil valere, nilq; habere aliud, præterquam defectum, vitium & malitiam, hactenus hominem non esse sui juris nec potestatem habere in aliud quid, tantominus in seipsum, jura verò aliena competere Creaturis, maximè autem Deo in hominem. Illuminatus homo agnoscit, & probat hoc ipsum propter id qvod exigit veritas, proindè se abjicit humiliter, nec audet qvicqvam petere à qvoquam veraciter nisi nudam sustentationem, insuperq; cum timore (exin abactâ satietate tenuitas & jejunium velut à fonte suo derivat): qvicqvid ergò vel sibi concedit vel aliis confert, id solâ de necessitate agnoscit faciendum, indè seqvitur, eum nec juris quidpiam, nec gratiæ nec mercedis ea propter obtinere, tantominus sapientiæ. Talis homo est verè pauper & humilis, quia nec qvicquàm scientiæ manet ei, nisi quod

est inventum per id, cunctos homines tenaciter sibi ipsis inhærere cum pronitate ad omnis corporis vitia & malitiam, hactenus quoq; legem aliàs non necessariam provocare: qua propter in humilitate & timore iisdem compatitur, ac propter necessitatem se sponte subjicit aliorum legi & ordinationibus, ut fratribus suis exemplo suo prosit, his namq; non adest Christus, quamdiu versantur in spirituali superbiâ, falsâve libertate, hoc est, in regno diaboli. Nam ubi Christus est, & esse cupit, ibi summæ necessitatis est adesse veram humilitatem & paupertatem Spiritûs, imò animum pressum, immanentem, constantem, plenum passionis secretæ usq; ad mortem. Sic est & non aliter, hic est scripturæ sensus, qui aliter docet, decipit: Si quæris, cur id ità necessum sit? Respondetur, propterea, quia bonum est, Christus verò bonum ipsum.

Notandum autem & hoc est, quod in respectu præfatorum illuminati homines imposterum non opus habent Magistro, sicut dictum est per Prophetam: erunt omnes à Deo docti & non docebit quisq; proximum suum. Sic nec ad bonum agendum & malum intermittendum compelli se patiuntur, quia ab ipso eo, à qvo docti sunt, compelluntur eò, cui & hactenus obediunt.
Rom. 8. In hoc sensu non indigent lege, sicut dicit Paulus: qui Spiritu Dei ducuntur non sunt sub lege. Sed quid est hoc, qvod Christus obediens ac humilis in summâ passione perficiebat bonum gratiâ meriti, cùm sui causâ id non erat faciendum? Ergò ut aliquis respectu promissæ mercedis, salutem suam promoveat operibus bonis vel qvalicunq; creaturarum coadjuvante mediò, id aliquã Legis vim supponit, & hic sensus, non esse sub lege est alius, atq; à priori diversus. Dicendum autem est, quod homines illuminati etiam in hoc sensu sine Lege sunt, quatenus hæc omnia parata habent, neq; indigent mandato jubente, ut sibi prosint, suisq; meritis lucrentur aliquid, cùm id jam faciant, sic & essent facturi in Christi sequelâ, tametsi præceptum non esset. Taliter intelligimus, qualiter homo qveat transcendere legis sivè mandatorũ obligationem, & tamen operetur id quod mandat præceptum.

Dictum

Dictum autem est, quod homo illuminatus, obediens, pauper & humilis observat vitam Christi, modos ac ordines, eoq; simul cum aliis hominibus peragit opera bona externa aliquid promerentia, id quod alicui supervacaneum videri posset, cùm jam id ipsum possideat essentialiter, quod per quodcunq; potest promereri. Verùm hic nihil est superfluum, quoniam si abstrahendo à Luce falsà, quæ est naturæ, saltem perpendimus Lumen verum sive id sit æternum, Deus scilicet sive creatum, hoc est, Lumen gratiæ, invenimus, quod Deo, quà Deus est, convenit se ipsum pandere, amare, sibiq; manifestare, non quidem per Actum quendam, sed in essentiâ, & in hâc manifestatione consistit Personarum distinctio in lumine æterno. Invenimus quoq;, quod Deo, quà Deus vivit in homine illuminato, competit aliquid, quod est solius Dei, & quod in se ipso est, absq; creaturâ, quia essentialiter & non formaliter, & hoc ipsum est bonum. Quatenus autem bonum jam est, & utile est, hinc noluit Deus id otiosum esse, atq; exinde provenit Actus, actio (operatio). Sed absq; Creaturâ non datur actio, ergò Possessori hujus Boni competit indesinens actio pro ratione modi ac ordinis præmentionati.

Quod attinet meritum & mercedem, quæ homo illuminatus non curat, noscas velim, hæc nomina esse verba Dei, Messiæ, Prophetarum & Apostolorum, cur ergò non sint totius Ecclesiæ? quæ ratio? Ast dictum est, quod usus eorum vocabulorum non est perfectorum, sed tantùm imperfectorum hominum. Uti enim meriti post habitio est gratitudo & humilitas fidelis ac prudentis hominis, quà ullo merito indignum se reputat; ita gloriosa meriti ostentatio est hominis imprudentis, jactabundi, maliq; moris rudinas, quæ etsi non usq; adeo offensa est Deo respectu promissionis, non tamen est accepta, tantominus meritoria rei malè intellectæ causâ. Exinde autem obortæ sunt tricæ excessivæ, quà una pars solùm agnoscit humilium gratitudinem, altera verò pars gradum promissi doni transcendere non vult, nec hactenus ad perfectam humilitatis formam progredi.

gredi. Quemadmodum autem divinæ gratiæ copia non est mensuranda, sic & indignitas (exiguitas) recipientis non est suprà modum extollenda. Qui medium tenet, ex verbo Dei cognoscit, ejus opera sivè animi sint sivè corporis tandem expensum, eumq; si legitimè certaverit, coronatum iri & contrà; ast ea propter non inflatur per literam, quoniam Spiritus dicit eum esse in utilem (indignum) servum, in superq; tunc talem, cùm se putat fecisse omnia, qvæ facere conveniebat. Humilis ergò projicit se coram Domino dicens: Domine indignus sum omnium bonorum tuorum, ac multæ clementiæ tuæ. Tua sunt omnia &c.

Q. Dic qvid in exercitatis notandum est de Dei mandatis? R. Quod Christus suavi spiritu Mandata Patris sui commendavit discipulis, id adeò parvum videtur in oculis carnalium hominum, ut ea potius despiciant velut non usq; adeò necessaria essent, propterea remittuntur in exercitati ad vetus Testamentum, qvod pandit rigorem justitiæ atq; severitatem mandatorum, iis namq; ea omnia scrutatum exhibita sunt in admonitionem, ut qui stat videat ne cadat. Deus autem tradidit populo Israël mandata per Mosem, qvibus excitari debebant ad perpendum Charitatem & Beneficia Dei immensa, Deumq; reciproco amoris affectu proseqvendum custoditis scilicet mandatis suis: hoc ipsum commemoravit Messias, per Mosem designatus, cum dixit: qui servat sermones meos, is est qui diligit me. Notandum igitur est, qvod Deus singulari præcepto injunxerat populo Israël memoriam redemtionis, qvo cautum erat, ne unqvàm oblivi sceren tur diei, in qvâ fuerant ex Ægypto educti manu potenti & liberati à jugo Captivitatis. Ab universali hoc beneficio pendebat perpetua populi gratitudo & veneratio divinorum præceptorum. A typo nunc progrediendum est ad ipsum omnium maximum Opus Redemtionis animarum ab inferno, ibi invenimus per Testamentum fuisse latum præceptum sempiternæ commemorationis ejusdem, hoc ipso obligamur similiter ad gratitudinem perpetuam & observantiam præ-

præceptorum dominicorum, hinc si quis dubitet, an id præceptum fuerit necuè, qvod Christus jussit, cum instituit Sacramentum Altaris facere commemorationem sui, hunc scrupulum excutit severum mandatum, qvod Deus in typo per Mosen dedit populo Israël: sed commemoratio Messiæ est totius vitæ suæ virtuosæ, ad quam & passio, mors & resurrectio refertur, consideratio & Imitationis ratio. Hinc qvilibet perspiciat qvanto suo damno negligat mandatum hoc, in quo comprehenduntur cætera, qvoniam ingratus dehinc redditur, à cujus domo malum non recedet, exclusâq; charitate reus fit perpetuæ transgressionis. Judæis Verbo Dei reluctantibus dicit Scriptura misisse Deum Prophetas, ut dicerent Populo Israël: si convertimini, convertimini ex toto corde, nec claudicando ambuletis in bivio, verùm me solum sequamini relictâ Viâ Ægypti, & ego vos conducam interram benedictionis. Est ergo finis conversionis cordialis (ad quam mandata conducunt) sequela Dei, qvam Deus vult, & non solùm vult, sed etiam cooperatur eò, uti apparet ex hoc, qvod dum conatus est trahere populum ad se à viâ malitiæ eum avertendo, usus est variis modis & mediis, puta miraculis, præsagiis, obscuris Sacramentis & ritibus, quorum omnium finis erat, ut Sensibus humanis continuò affectis, non superesset locus nec tempus patrandæ malitiæ. In typo hoc est præsignatus ordo christianæ disciplinæ, per quam perducitur homo ad cordialem Conversionem; fideles Christiani observant eam fidentius, contrà qui ambulant in bivio Spretâ disciplinâ conversionem curæ cordiq; non habent, mirum ergò est, qvod adeò jactent testamentum Dei, qvi ejus Mysteria sacra prophanant, dum non perpendunt, qvod scriptû est in eo, quare assumis Testamentum meum per os tuum &c? In bivio ambulant, qvi non seqvuntur solum Deum, sed etiam mundum & carnis cupidines, dehinc & impediuntur, quo minus in Vitam beatam perveniant. Uti enim dictum est à Christo: Nemo potest duobus Dominis servire; ità qvi est ad mundum conversus, à Deo reperitur aversus & vicissim: Hinc dicit Christus iterum: qvi

non manet in me, non est me dignus. Exemplum de bivio exhibet Juvenis in Evangelio, qui Deo serviebat in formâ externâ valdè speciosâ: ast Christus eum corrigebat quasi ad Deum nondum fuisset conversus ex toto Corde, totâ mente, cunctisq; Viribus, hinc ejus misertus revocabat eum jubendo, ut suas facultates erogaret in pauperes, inq; charitate seqveretur Salvatorem. Exemplum hoc non perpendunt, qvi Juvenem hunc imitando externâ quidem Specie ad Deum respiciunt, corde verò ambulant in Viâ Ægypti. Annon in bivio ambulat maxima pars hominum? qvin & inter eos non pauci, qvorum omnis conatus est externos modos ad nutum & sub peccato mortali observare, qvi omni diligentiâ cavent, ne in amictu variet habitus, nevè vilescat ornatus, ne vox labatur in cantu, ne strepitu rumpatur silentium, ne in flexurâ Corporis vitietur figura &c. Hi putant taliter se optimè conversos esse à viâ Ægypti, non obstante cupidine carnis in iis regnante. Verùm istorum apparatus non nisi Species sivè umbra est, necqvicqvam hactenùs faciens ad Conversionem, hanc potius supprimit falsa rei intellectio, ut taceam aversionem internam, cui anima excæcata immoratur. Qvid qvod homo oberrans in bivio nunquam directâ viâ procedit, quamdiu Unitatem veræ Viæ posthabet, hinc mirum non est, qvod ejus conversio sit & dicatur nulla. Qvàm procul sit modalis homo à verâ conversione, liqvet in Ficûs exemplo, cujus virentia folia alliciebant Dominum quæsitum dulces Speciosæ arboris fructus. Qvodsi Dominus maledixit ficui, non aliâ de causâ, qvàm qvod in eâ fructum non invenerat, annon & iis maledicet, qvorum Species ficui, modi foliis sunt similes, sterilitate qværentem eludentibus? Oportet enim ut Dominus fructus inveniat, alioqvin timendum est, ne sit propinqvior maledictio qvam qvod credamus.

Q. Cùm Christus discipulos suos dilexerat usq; ad finem, multa iisdem exhibendo signa Charitatis tàm Verbis qvàm Operibus, maximè in S. Cœnâ, dic qvid ab iis reqvisivit pro eâ charitate, ne gratis ac sine fructu amârit eos tam impensè? Adhor-

hortabatur eos ad exhibendam sibi reciprocam charitatem, ad quam obligabantur suo merito, eorumq; debito.

Q. In qvo consistere voluit Dominus noster eam charitatis exhibitionem ad referendum par pari? R. In observantiâ doctrinæ ac mandatorum ejus, cujus quoq; respectu promisit se rogaturum Patrem, ut mittat illis Paraclitum alium manentem cum iis in æternum, nempe Spiritum Veritatis, quem mundus velut ignotum sibi non potest accipere.... Quapropter non potest excessivè doceri de charitate, ut qvæ suavis est, grataq; semper, longè autem suavissima ipso sensu sivè perceptione.... Qui diligunt Deum, his præcipit Dominus amare se mediante mandatorum observantiâ, sic ut cognoscatur eum non Deum amare, qui ejus mandata non servat; per se verò constat, Deum odisse peccatorem, qvatenus Deus est Bonum summum, peccatum verò malum summum....

Q. Ad exercitatos homines nunc redeundo, dic qvomodò potest talis homo amare Deum in summâ charitate? R. Mandata servare debet, hoc est, Voluntatem Dei observare, propriam autem suam Voluntatem penitus exuere, ut fiat non sua, sed Domini Voluntas. Deus autem vult charitatem bonam, qvæ non habet propriam, sic ut cùm se amat, faciat id propter eum qvem amat....

Q. Qualiter potest homo custodire mandata? R. Id triplici viâ potest fieri: nam

1. Opus est exactâ custodiâ sensuum externorum, ità ut homo discat summâ curâ claudere 5. portas sensuum, incessanter resistendo ac vincendo malè ordinata desideria, id qvod tunc fit ac fieri potest, cùm non consentit ad sensus diligenter attendendo.

2. Opus etiam est mortificatione internæ delectationis, suæq; modalis Vitæ sivè pænosi conductûs, cui nullatenus consentiendum est; imprimis debet se custodire à portis infernalibus, qvæ sunt philavtia, propria Voluntas, propria complacentia (iomeritas) propria sapientia (arbitrium) affectatio Spiritualis.

3. Opus est qvotidiano exercitio versus Deum & versus se ipsum.

psum, ità ut mens hominis se Deo offerat ex purâ charitate in vivam Hostiam Dei in timore perfecto coram cunctis hominibus. Id etiam solet fieri tàm mirâ dilectionis expression e, qvæ neqvit Verbis exprimi, sed tantùm percipi, qvatenus transcendit potentias naturæ ac sensuum: taliter scandit mens suprà se ipsam in Libertatem Spiritûs, (qvam dono accepit) vadendo ad Patrem cœlestem unitum se cum eo propossibili. hoc ipsum fit ad Laudem Dei sempiternam, cujus causâ se dejicit totam cum sui ipsius abnegatione in abyssum Divinitatis rogando Deum, ut reddat eam fœcundam in suo servitio, qvemadmodum amavit, elegit atq; creavit eam eo fine, ut id in eâ ac in omnibus Creaturis sine morâ perficiat; prout suæ Voluntati novit congruum, qvalecunq; demum opus sit. Tali modo mens vult esse exemplum tàm justitiæ qvam misericordiæ prout Deo placuerit: hoc ipso quidem non intendit promereri damnationem pravis operibus, sed Deum implorat, ut largiatur ei robur ad perficiendum Voluntatem ejus. Procedendo sic à Patre ad Filium, qvi Patris sempiterna sapientia est, se subjicit simpliciter in illud nil esse, nil scire, nil cognoscere, nil percipere à se ipsâ, de eo, qvod est ad Laudem & Voluntatem ejus vel faciendum vel intermittendum, hactenus rogat, ut ipse perficiat id in eâ & cunctis Creaturis per suam divinam Sapientiam prout noscit sibi placitum, hominibus autem salutare. Hoc facto acqviescit omninò in merâ simplicitate expectando Opus Dei, credendo & sperando, qvin sit facturus: & quid porrò immineat ei, parata est accipere à manu ejus ad Laudem suam non scrutando sed simpliciter id faciendo quod credit esse pro Voluntate ejus, siquidem id credit cujus non habet certitudinem. Cæterum si juxtà Scientiam foret agendum, non raro videretur ejus æquitati contrarium, hoc autem cùm facere nolit, descendit per fidem in fiduciam erga Deum. Per hoc extollitur Deus in mente juxtà suam sapientiam, Ipsa verò humiliatur juxtà intellectum suum; ast eam exercitationem usurpat sibi amorosa anima in rebus perpusillis, indè unitur in Dei Sapientiâ verè ac simpliciter pene-

tran-

trando in infinitam Deitatem, in obscuritatem suæ ignorantiæ, ubi cunctis Creaturis est sublimis, ac incomprehensibilis, quatenus est simplex essentia, ad quam non pertingunt humanæ potentiæ, nisi quoad eidem uniantur per Fidem, Spem & Charitatem... His ita peractis accedit mens amorosa ad Spiritum S. qui à Patre Filioq; procedit, totam submittendo, tamq; perfectè se uniendo ei ut à cunctis creatis rebus abstrahatur: sic Fide ac Spe transcensâ intrat in Deum cum Charitate... Charitas deniq; hæc quæ dona superat, unitur increatæ abysso tam profunde ac propè, quam ulla Creatura cum suo intellectu potest pertingere... Unitas ac libertas, quæ ibi est, est cunctis Creaturis incomprehensibilis: homo verò (sic loquendo) pervenit quadantenus ad Christi humanitatem, hinc sine pudore facit consortium ac unionem cum Christo. Quodsi ob aliquem defectum vult exorare Patrem, sumit Christum secum comprecantem ad Patrem, atq; sic simul se offerunt Patri in eâ ipsâ fructuosâ virtute, quâ Christus se obtulit in cruce dicendo: In manus tuas commendo Spiritum meum... Anima sic in Charitate suspiriosâ alloquitur denuo Christum sic: O Domine dicit, guberna me liberè, quemadmodum te Pater direxit liberè. & comprecare mecum, ut S. Trinitatis Voluntas fiat in me quoq; juxta mensuram imperfectionis meæ tam perfectè atq; in te facta est olim, quin etiam fac ut unum sim tecum ad Salutem christianæ Ecclesiæ. O Domine, tu redimendo mundum semel passus es, non pateris imposterum, ast ego pati valeo tui loco, proindè noli mihi parcere, sicut Pater tuus non pepercit tibi, cor meum ad omne paratum est, quod tibi placet nunc & in æternû. O Domine, tu nosti, in quo potissimum tibi gratias agere, aliisq; prodesse possum, eò, precor, applica me... Taliter confidit anima Deo fore, ut ejus gloria perficiatur in eâ: Verum tamen antequam se anima sic potest offerre, eundum est per Viam desertam & per ignotam variam cruciantem mortificationem: postquam autem duas priores Vias perambulavit, advenit Deus ipse introductum charam sibi animam, edoctum sci-

licet tertiam charitatis viam, per qvam unitur Deo, uti dictum est.

Q. Cùm juxtà Spiritum sic sit vivendum, dic quæ sit causa, quod adeo pauci sint homines spirituales? R. Causa hujuscè penuriæ est hæc, quod has similesq; vias nolunt pervadere, undè non possunt aliis magis fructificare. Sic enim servanda sunt mandata charitatis, ut homo reddatur spiritualis (ambulans in viâ Spiritûs). Idcircò qui se conferret ad charitatis mandata, is fructûs ferret longè uberiores qvàm ferunt alii, qvi cupiunt servire Deo in cautè cum extraversione & impatientiâ, non in simplicitate, cum actuali externo servitio, non in inversâ charitate. Secundum id, qvod antè dictum est, excitatur homo à somno tenebrarum, atq; perducitur ad verum lumen. Quod restat præ foribus nova gratia est, qvâ non areptâ fit, ut aufugiat inadvertenter. Hinc valdè necessarium est, ut imploremus Deum, quò largiatur veram simplicitatem ac humilitatem, hoc est, ut nos ipsos contemnendo pro minimis, indignis hominibus nos reputemus talesq; velimus esse, qui probro afficiantur ab omnibus, qvibus & omnes Creaturæ adversentur, cùm hoc ipso futurum sit, ut discamus emori nostræ voluntati, nos custodire ab omni appropriatione foris & intus, deniq; offerre nos Deo ad gloriam ejus in beneplacito divino, sine delectu vel repetitione nostri. Tantum ad mandata Dei, quæ charitas præscribit.

Q. Adhuc unum reqviro adjicias hîc, nimirum, cùm ideò Scriptura scrutanda data sit, ut observetur, dic qvid sit, qvod S. Scriptura potissimùm observandum tradit? R. Hæc tradit custodienda primò mandata Dei, secundò consilia ejus. In veteri Testamento præscripta sunt mandata Dei, in novo Testamento mandata & consilia simul, & hâc ratione latius patet, longeq; perfectiora requirit Nova, qvàm vetus Scriptura.

Q. Dic quosnam spectant mandata, qvæ sunt priora Consiliis? R. Omnes in universum homines, maximè imperfectos, rudes, crassos ac nihil exercitatos, qvi omnes tenentur servare mandata. Mandata enim sunt velut instrumenta, quibus rescidan-

ſcidantur teſtacea Cordium tubera, hoc eſt, illicita quælibet facta.

Q. Conſilia verò qvos ſpectant? R. Filios ſivè Amicos Dei. Non ſufficit his mandatorum obſervantia, quibus data ſunt conſilia ſalutaria; idcircò Amici Dei omnem adhibent operam, qvo per anguſtam portam penetrent in vitam æternam, quam pauci inveniunt.

Q. Cùm pauci evadant perfecti, an omnes boni ac debiles qvi perfectionem non attingunt, perditum eunt? R. Haud ſanè! Nam ſicut infirmis multa ob infirmitatem conceduntur quæ alias non ſunt conceſſa; ità & debilibus in Fide (qvi tantùm mandata obſervant) dimittuntur multa, quæ veris Amicis Dei propudioſa ſunt & minimè conceſſa. Verùm qualiter ignavi queant excuſari, qui vel infirmos ſe ſimulant, vel infirmitatem dolosè contrahunt, ne vel mandata teneantur obſervare, viderint ipſi.

Q. Ad libertatem autem qvam hi prætexunt addendum eſt aliquid, cùm aliàs libertas in Scripturâ commendetur, quaſi in illâ verum Bonum absq; impedimento poſſideatur, atq; ſic Deo liberè ſerviri dicatur, dic ergò in qvo conſiſtat Libertas, qvæ non præjudicet mandatis Dei? R. Conſiſtit ea Libertas in Creaturarum abdicatione, nimirum quoad Voluntatem & Conſenſum, non quoad Uſum. Enimverò per Deum ac propter Deum utimur Creaturis ad noſtram alteriusvè neceſſitatem, tanqvàm bonis alienis, non noſtris, idq; ſimili quaſi intentione, qvâ innocens infans ſua tractat crepundia, qvam ob rem præpoſuit nobis Chriſtus genium infantilem tanqvàm tot formis ac ſpeciebus nondum deformatum, adeoq; immotum & vacuum. In vacuo animo velut in tabulâ raſâ longè felicius imprimuntur præcepta Dei, & qvicqvid ſpecierum indè pronaſcitur ab iis recuſum deprehenditur. In tali fundo habitat ſolus Deus cum ſuis præceptis, (qvod apprimè Regnum Dei vocaveris) atq; dehinc regitur talis homo, indè vult, indè ſcit, facit ac deſiderat, tantâ ſcilicet ſinceritate ac perfectione, ut & alii cognoſcant, id donum

num cognitionis non ab homine qvà talis, sed ab ipso datore omnis boni Doni dependere. Cognitio hæc est tantò perfectior, quantò à proprietate subjecti remotior. Idem dicito de Voluntate & amore, ubi consimili Libertate opus est, si vis, ut una Virtus respondeat alteri inperfectione sinceritatis, atq; sic in statum imaginis divinæ iterum eatur. Detrimentosa ergò est appropriatio, qvatenus per eam impuræ Species permiscentur puris, virtutes sic in statum imperfectionis denuò abducuntur, qvod qvidem dum jam scimus, omninò istæc propriæ Voluntatis, amoris & Cognitionis fuga & abrenunciatio est suscipienda, ut intelligentia tua sit pura, voluntas pura, & amor purus, qvia divinus: sic namq; erit Deus solus omne in omnibus tuis viribus, id est, in toto tuo systemate. Qvicqvid mihi attribuo non est veraciter meum, eoq; nec Cognitionis, sed opinionis tantùm, in vanâ hâc attributione non agnoscitur id, undè venerit, cujus est, nec glorificatur Deus pro his in operibus suis: imò sic deest homini cognitio veri ac boni, veri qvidem, qvia est alterius, non sui, boni verò qvia procul dubio melius est, qvod Dei est, quàm quod Creaturæ est. Idcircò auscultat liber homo ipsi Veritati ac reputat, qvod qvicqvid boni perficitur, sit melius esse Dei, qvàm Creaturæ, undè seqvitur interesse hominis nil scire, nil velle, nil desiderare, nisi qvod ipse Deus in eo vult ac diligit. Verè libera sic est ea Creatura, quæ vincta non est neq; prehensa ab aliqvo concupiscibili, imò quæ nec adhæret uspiam nisi soli Deo. Iterum ac iterum libera est anima ista, qvæ cuncta ea qvæ Deus non sunt, transcendit, nam sibi ipsi non adhæret ideò, qvia cunctas Creaturas eidem obvertentes ad Deum solum amore dignum ablegat.

Q. Superest adhuc alia Libertas, cujus meminit Dominus noster, & videtur hæc esse omnium veracissima, & dependere ab obedientiâ ac ordine Discipulatûs Christi, qværitur hinc, qvid reqviratur ad id, ut qvis sit Christi Discipulus, aptusvè qvi hactenus verè liberetur? R. Id qvod eò requiritur, apparet ex illis Joh. 8. Christi Verbis: Si in Verbis meis manseritis, veraciter estis mei Dis-

Discipuli. His Verbis proponit nobis rationem Verborum seqventium, qvibus modum liberationis exprimit dicens: Si Filius vos liberat, verè liberi estis. Dehinc concludi potest, non liberari veraciter eos, qvos Filius non liberat: nec liberare Filium verè nisi eos, qui sunt Discipuli ejus. Discipulos qvoq; Christi non esse, qvi non in verbis ejus permanent perseveranter... Diversæ hæ propositiones respiciunt diversum fundum animæ, verum scilicet & falsum...

Q. Qui nam sunt, qvorum fundum falsum est, qui non sunt Christi Discipuli, qvi non liberantur à Filio, ut sint Confratres ejus? R. Non sunt Discipuli, nec per conseqvens Confratres Christi liberati, qui non manent in Verbis Domini. In Verbis autem Domini non manent cuncti, qvi Deum non quærunt sincerè, qvin potius qværunt, qvæ sua sunt, utile scilicet, ac desiderabilem quamvis mundi Speciem, imò & multas alias internas atq; externas commoditates, quarum Deus unica & vera causa non est. Tales non sunt Filii, nec liberi, sed servi, hactenus non permanent æternum in Domo Domini, sed ejiciuntur, ejecti autem abducuntur à Parente falsi fundi (Diabolo) in Domum mortis secundæ (in Carcerem æternæ Caliginis).

Q. Cùm Christi Discipulus tantùm sit is, qui in Verbis, hoc est, doctrinâ Domini permanet semper, qværitur, qvo sensu qvis maneat in Christi doctrinâ? R. Is tantùm manet in Christi doctrinâ, qvi eorum quæ à Deo unqvam accepit donorum nil retinet intra seipsum, nec sibi proprium efficit, nec amat, nec cupit; sed sicut pauper homo, cui nil proprium est, cuncta qvæ habet, cœlesti suo Patri, cujus hæc sunt, offert ac reddit cum gratiarū actione ad Dei Gloriam: hic ratione verè est ac dicitur Discipulus Christi, qui ad ea, qvæ vult Magister, attendit, nec minus ea observat, atq; in succum & sanguinem suum vertit... Exemplum humanæ paupertatis sunt non tantùm cuncta animantia irrationalia sivè fera sivè domestica, qvæ vel cibum rapiunt, vel timidè qværunt, vel à suis nutritiis cum ejulatu postulant, sicut scriptum est: Oculi omnium sperant in te Domine &c. Verùm

rùm etiam ipsa hominis nativitas, & mortalitas deponit documentum nuditatis. Prout ergò unusqvisq; homo nascitur pauper, pauper qvoq; denascitur, ità toto eo tempore, qvod inter ortum & obitum ejus decurrit, verè pauper est, ac esse debet homo; siqvidem earum rerum vel regnorum, qvæ Dei sunt, non proprius Dominus, sed dispensator est, cujus pro Villicatione, id est, pro cunctis sibi concreditis & usurpatis tùm necessitatibus tùm superfluitatibus reddenda est ratio, qvod qvidem facere non teneretur, si verus rerum hæres, Possessor ac Dominus esset, quemadmodum nec Deus reddit rationem, cujus mundus est propriùs, qvia per eum solum totus factus est cum omnibus qvæ in eo sunt rebus.

Q. Produc exemplum falsi fundi, ut pateat qvàm sit exosum Deo? R. Exemplum exhibet secta Pharisæorum & scribarum, quos Christus tantoperè devitavit tanqvàm damnatos homines, eò qvod utraq; secta carebat vero ac sincero ergà Deum affectu; qvandoqvidem è falso eorum fundo prodibat falsitas omnium nocentissima, qvâ totus seducebatur populus. Tàm rara est inter homines qvi spirituales esse debent, sinceritas, ut multi sint, qvi vel scribarum vel Pharisæorum notâ vel utraq; signari mereant, unus qvidem plus minus altero.

Q. Annon sunt hodiedum prudentes homines qvàm plurimi, qui quælibetcunq; objecta sivè verbalia sivè realia, & quæ concernunt formam status sui ad rationem trahunt, ut multa hinc intelligant, & altum sapiant ad suam ipsorum gloriam, ornamentum & magnificentiam, qvos ideò scribis similes censes? R. Idcircò tales intelliguntur sub nomine scribarum, qvod de prudentiâ suâ ambitiosè gloriantur, prætereà in fundo suo, undè Veritas emergere debet, inveniuntur vani, infructuosi ac desolati.

Q. Dic qvales erant Pharisæi? R. Tales erant, qvi nimis multum tenebant de se & sua sanctitate, suasq; consuetudines, instituta, modos, ritûs & traditiones gravi Authoritate, ac severitate custodiebant Gloriæ hactenus laudisq; cupidi.

Q. Nun-

Q. Nunquid possunt eo nomine salutari, qvi penè similes iis sunt? R. Jure meritoq; vocantur Pharisæi aut Hypocritæ, qui iis se gerunt similiter, qvorum scilicet fundum ad summum repletum est judiciis illorum, qvi modis eorundem non attendunt.

Q. Siccine traditiones non sunt servandæ, eò, qvod Christus repræhendebat Phariseos objecti iisdem transgressione mandatorum divinorum, quatenùs propria instituta strictè observando perdebant tempus opportunum, qvo Deo servire debebant obseqventer? R. Uti Dominus noster non reprehendit omnes in universum traditiones, sed tantùm vanas, imò & præposterum earum usum, cujus causâ negligebatur divinorum præceptorum Observantia, sic nec hodiè sunt rejiciendæ traditiones. & consuetudines (quarum ratio usq; & finis laudabilis est) à multis seculis observatæ (omne enim qvod bonum est, est juxtà Scripturam retinendum); sed illæ non sunt servandæ, qvibus obscurantur divina mandata, vel non sic servandæ ut negligantur illa.

Q. Qualiter autem se gerunt hi, qvi ne qvà divinum obscuretur mandatum, traditiones non servant, qvanqvam nec ipsi mandata Dei servare cupiunt, cùm doceant, mandata Dei non posse servari? R. Hi omnium pessimè agunt, quia carnaliter: proindè non mirum est, qvod iniqvitatem, & impietatem labantur sæpesæpius. Nam uti ejusmodi hominibus nulla est observantia, ità etiam nullus conatus, progressus nullus, nullus respectus, nulla sanctitas, nulla deniq; gratia Dei. Christus hinc eos pariter interrogat dicens: qvare non servatis mandata Dei?

Q. Cùm autem & hodie sint, qvi suis propriis modis, inventis, consuetudini ac institutis tenaciter adhærent præponendo eas Voluntati & monitioni divinæ, insuper etiam eos Amicos Dei, qvi propter Seqvelam Christi aliorum inventis id tempus impendere neqveunt, contemnunt, libenter noscerem, an Christus etiam fugiet eos, uti relictis Pharisæis abivit dicendo: Non novi vos? R. Christum nullatenus manere inter tales, qvi ei sunt è directo adversi, sed derelictis iisdem abire certocertius: non

enim ſunt palmites, qvos Pater ejus plantavit, timendum ergò, ne evellantur & in ignem conjiciantur juxta illud verbum
Matth. 15. Chriſti: Qvi non eſt mecum, contrà me eſt, & qvi non congregat mecum, diſpergit.

Q. An ergò opus eſt, ut unusqvisq; ſibi caveat à modo phariſaico? R. Unicuiq; convenit ſuum præſervare fundum, nè inficiatur contagio phariſaico, neceſſum qvoq; eſt ſcrutari fundũ, ut ſi qvà falſa ſanctitas, cujus cauſa vel finis non eſt Deus, in eo abſcondita lateat, qvamprimùm expellatur, ſiqvidem verendum aliàs eſt, nè Deus indè fugiat, cùm ſit futurum, ut Deus eradicet omnes plantas, qvas non plantavit ipſe in fundo bono.

Q. Judæi multum orant & pſallunt, hoc ipſo anſam præbent credendi, non omnes Chriſtianos qvi multum orant, legunt, pſallunt, eſſe ſanctos, compertum inſuper eſt, non paucos, qvi dum bona Opera faciunt, reſpiciunt ſemper modum externum, interno fundo eorum intereà obſeſſo muſcoſâ Creaturarum ſupellectilè, multum orare ac legere ſinè fructu; annon hâc ratione magis proviſum eſt Utilitati, ſi hæccè Opera orationum, Jejunii, Vigiliarum &c. intermittuntur? R. Minimè: hæc enim opera cuncta ſunt bona & utilia, adeoq; qvà talia, omninò facienda, nec unqvam intermittenda, tantominus rejicienda, ad hoc autem reqviritur, ut ſit ad Deum converſum fundum internum.

Q. Cùm ſibi qvis cavet tùm à ſubtilitate naturali eorum, qui Scribis comparantur, tùm ab externâ ſpecie & conſuetudine eorum, qvi Phariſæis aſſimilantur, qvibus tamen vix poteſt effugere, cùm ubiq; graſſentur iſthæc contagia, is quoq; facilè noſcatur, qvi talis non eſt, annon totus mundus hunc ſeparatum perſeqvitur tanto furore, ut qvò ſe vertat, qvovè ſubſiſtat non inveniat? R. Sit ergò impetitus & afflictus undiq;, ſiqvidem id aliter eſſe neqvit, cùm mundus amet ſolùm qvæ ſua ſunt: Verùm hoc modo pervenit ad Crucem Chriſti, dum ejus exemplo conformatur, præterea Spem habet certiſſimam fore, ut Chriſtus veniat hoſpitatum in eo. Hæc ſanè venatio ejus eſt tantùm externa.

Q. Quid

Q. Quid si interna insuper accedat Venatio, annon duobus pessimis malis, nimirum venatione & afflictione substernitur homo? R. Non, sed potius subtiliatur atq; fugacior redditur, qvod si se rectè gesserit, immensam indè capit Utilitatem.

Q. Quid per internam Venationem datur intelligendum? R. Hæc sic intelligi potest: cùm proprium interni hominis domicilium sit ipse Deus, illoq; feratur & desiderium & liberum hominis arbitrium, eò non solùm internus homo à Deo permovetur, ac promovetur per modum Venationis, sed ipse etiam adigit (impetit) externum hominem, ut simul ad Deum tendat. Hoc autem cùm fit, excurrit petulcum jumentum qvæsitum Vias alias declives ac nemorosas, puta latibula propria.

Q. Annon exindè oritur dissensio in homine? R. Qvod sic: idipsum enim qvod vult internus homo, est planè adversum externo & vicissim, idcircò Caro & Spiritus semper luctantur inter se invicem, & sicut scriptum est: Caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus contrà Carnem. Item: in membris meis invenio legem contrariam legi mentis meæ: qvod volo bonũ non facio, & malũ qvod nolo facio. Ecce cùm Spiritus & Caro colluctantur, tertius advenit (Deus) & inseqvitur suâ gratiâ alterutrũ. Rom. 7.

Q. Quis autem hæc intelligit? R. Qui intelligit, intelligat: qvisqvis autem Venationem istam intelligit in Veritate, is se qvàm optimè habet; Nam omnes qvi à Spiritu Dei compelluntur (ducuntur) sunt Filii & Amici Dei electi, qvos Filius verè fecit liberos. Ostensum his est, qvò pertineat Libertas, & simul ostensum est qvod non præjudicet mandatis, qvatenus mandatorum Causa est peccatum, qvod & ipsum tollit Libertatem. Peccatum autem cùm pravæ Voluntatis effectus sit, reqvirit ordo seqventi Capite tractare materiam de Voluntate bonâ, malâ, deq; ejusdem resignatione, qvâ obtentâ elabitur peccatum, mandata servantur in verâ Libertate.

CAP. IV.

De Voluntate.

Q. Dic qvid in hâc materiâ noſcendum ſit de Voluntate, qvid eſt Voluntas? R. Voluntas eſt ſecunda Mentis poteſtas, cujus facultas & operatio varia eſt, in hâc materiâ dicunt Theologi, qvod ſit fidei Rectrix, amoris diſcretrix, exercitationis promotrix, actionum productrix, & hæc Voluntas bona eſt. Cùm autem Voluntas ob liberum arbitrium poſſit eſſe prava, ideò ad hanc refertur, diffidentia, incredulitas, frigiditas, deſidia, mala actio. Voluntatem ſeqvuntur Idearum evolutiones, cogitationes, luxus affectionum, & è contrario meditationes, conſiderationes, exercitia, obſeqvia. In Virtutibus aſſumendis vel rejiciendis Voluntas deliberat, eligit, reformat, terminat, confundit, & qvicqvid hîc vel Laude vel Vituperio dignum committitur internè & externè ad Voluntatis arbitrium meritò refertur. Qvi non operatur, non vult operari, qvi non amat, non vult amare, qvi non credit, non vult credere. Non enim Voluntas eſt otioſa Idea, ſed eſt poteſtas ſemper & validè activa, ità ut actus ejus neqveat intercipi niſi in termino ad qvem: differentiam patitur & qvidem levi occaſione, non autem ſuppreſſionem in ſtatu naturæ libero. Idcircò reliqvæ potentiæ, qvæ ad tempus poſſunt à ſuis Cauſis ſuſpendi, ſunt ejus pediſſequæ ſtudioſè ſeqventes, qvò duxerit eas Domina. Sed utut ſe habet Voluntas in ſtatu naturali ad peccatum, ità qvoq; in ſtatu reſignationis ſe habet ad ſanctitatem & perfectionem.

Q. Qvomodò habet ſe peccatum ad Voluntatem? R. Peccatum originaliter nil aliud eſt, qvàm propria hominis Voluntas divinæ Voluntati contraria, cùm ſcilicet homo aliter vult, non autem ſic nec id, qvod ſummum Bonum vult: quapropter id omne qvod profluit è pravâ hominis Cupiditate, qvicqvid ſit vel

vel vocetur, sivè fraus, mendacium, injustitia, sivè Vitium & iniqvitas &c. Peccatum est. Præter pravam hanc Voluntatem non datur Peccatum, imò si alia Voluntas nōn esset, nisi unica ea, qvæ Dei Voluntati conformis est, hoc est, nil aliud volens qvàm verum Bonum, non esset Peccatum, hinc jure meritoq; dicitur propriam hominis Voluntatem esse peccatum.

Voluntas hominis libera seqvitur ut plurimum naturam Originis, qvam novimus sub Voluptate hominis conceptam esse, hactenùs uti æternæ Voluntati contraria est, ità placet homini qvod vult, & qvod vult, placet ei, nobis autem sic constat, qvod congenita Voluptatis Voluntas rarissimè Originis suæ limites transcendit. Duplex autem est Voluntas, sicut Lux & Vita duplex est, nimirum Voluntas Dei vera ac bona, & Voluntas naturalis (falsa). Voluntas divina vult, ut ametur solùm Bonum verum ac præter hoc nil aliud, qvia & ipse Deus solùm se verum Bonum amat, & vult, ut nemo aliter qvàm ipse Deus velit, nec alia Voluntas sit præterqvàm æterna. Sicut nec vita nec substantia est aliqvid essentialiter, nisi unum in vero uno; sic etiam qvælibet Voluntas reqviritur esse una in Dei Voluntate & Deus sola Voluntas in omnibus: hâc ratione est Deo contrarium & exosum, qvicqvid non est de Voluntate Dei. Exin cognoscimus, quàm veraciter Voluntas humana, naturalis (propria) & quicquid ex eà pendet, mereat dici peccatum. Ast contrà Deum & absq; Deo nil est, nisi Voluntas volens aliter & aliud, qvam Dei Voluntas vult, quoniam cuncta quæ Deus creavit vidit esse bona. Quoad creationem, hoc est, quoad creata subsistunt essentialiter, sunt bona, & in hoc respectu Diabolus bonus est, nam quoad esse suum sunt in Deo, dehinc bona: cæterùm quicquid esset, & tamen sine Deo esset, non esset bonum essentialiter. Quatenus autem Creaturæ sunt bonæ, placent Deo ac sustentantur ab eo. Quicqvid cognitionis obtinetur ex illis & de illis hoc ipsum testatur, Creaturas sternere viam, manuq; velut conducere ad ipsam æternitatem: in hoc sensu mundus vocatus est Paradisus. Omnia quippè sunt homini subjecta

jecta ad nutritionem, Usum & Necessitatem, quà nil ex omnibus prohibitum, nilq; Deo contrarium invenitur, excepto unico, quod hactenus assimilatur vetitæ arbori Paradisi: ex hoc unico namq; profluit cognitio boni & mali, maliq; electio, hinc etiam vocatur nomine sibi proprio Voluntas propria seu prava. Hujus respectu sentit natura humana divinum hoc interdictum, nimirum, ut quidem quicquid agitur, agatur liberè ast eâ Cautelâ, ne contrà Voluntatem Creatoris, sed cum & per Voluntatem ejus peragatur; Lucifer volebat adversus Deum, hinc Protoplastos ad lapsum consimilem pravæ Deoq; contrariæ Voluntatis persuadebat. Quapropter quicquid est, in quantum cum & in Deo est, in tantum bonum est, econtrà in qvantum absq; Deo vel contrà eum est, in tantum malum est; in qvantum bonum est, amandum est, in qvantum verò malum, fugiendum est. Amari sic possunt Creaturæ qvoad Essentiam; qvia Dei sunt, in Deo & per eum subsistentes originaliter, non verò quoad respectum, hinc procul absit applicatio: nam si ad eas cupiendas ac possidendas fertur animus, alienatur, sicq; à bono summo deflectit ad aliud aversâ Voluntate. Sola hæc aberrans Voluntas non est essentiale qvidpiam subsistens per Creationem, sed est quid depravatum per cupidinem, idcircò non est bona: quatenus autem bona non est, amanda non est. Ratio dehinc sumitur, quare peccatum non sit amandum, nimirum quia non est bonum: bonum non est, qvia non est Ens subsistens per Creationem, sed est vel prava Voluntas vel ex hâc producta genitura, quæ non est in Deo eò quod non vult solum Deum, sed aliudquid. Quoad actiones ipsas, in quibus potior ratio peccati consistit, eodem res recidit: hæ namq; quoad vel bonæ vel malæ sunt, sunt vel amandæ vel fugiendæ. Malæ sunt peccatum, seu pravæ Voluntatis effectus, bonæ verò dirimuntur in verè & falsò bonas. Verè bonæ sunt, qvæ è cognitione ac informatione Lucis & Charitatis veræ proveniunt, atq; hinc placent Deo, qvatenus in Spiritu & Veritate fiunt. Falsò sivè apparenter bonæ referuntur ad peccatum, qvia malæ sunt, nimirum

rum provenientes è voluntate atq; cupidine humanâ à Deo alienâ, hactenus & recta à Luce & Charitate falsâ, qvæ veræ Luci & amori opponuntur, & ideò, qvàm speciosæ sint, sunt tamen falsæ & deceptoriæ, à peccato non differentes in minimo. De Voluntate hominis aberrante sivè propriâ dictum pauló antè est, qvod ea nil aliud sit qvàm velle aliter qvàm Deus vult, & qvod taliter sit Deo contraria, de eâ ergò dicendum adhuc est, qvod hominem regit regimine pravo & peccaminoso. Nam homo naturalis qværit suum proprium, qvod putat optimum qvà suum, hactenus non qværit verum optimum, sed falsum, nec invenit verum, qvia per opinionem deceptus qværit seipsũ, insuper & hâc ratione magis decipitur, cùm putet se esse ipsum optimum. Qvodsi Voluntas propria non esset, non esset infernus, non Diabolus, non lapsus Adami, si qværis undè hoc? dico, qvia Lapsus utriusq; non erat aliud nisi Voluntas Voluntati Dei adversa, qvæ tamen una & eadem esse debebat. Hinc intelligimus, qvàm prava Deoq; exosa sit naturalis Voluntas. Homo autem qvi qværit & amat verum Bonum qvà tale, non vult nec amat seipsum, & hactenus qvæsitum qvod invenit, possidet absq; offensione Dei. Enimverò talis homo vult tantùm hoc, ut sua Voluntas emoriatur, utq; sic sine impedimento Voluntas Dei liberè in eo operetur, qvod restat, non est sollicitus de Voluntatis origine & deturpatione. Carnalis homo ad instar Diaboli cupit cognoscere secretam Dei prædestinationem per hoc qvod scire cupit Causam, ob qvam Deus homini indidit Voluntatem propriam sibi tàm hostilem peccati causam. Finis hujus concupiscentiæ est delectatio & gloriatio, qvæ nil est aliud qvàm Spiritualis superbia. Equidem illuminatus homo cognoscit causam hanc, ast non superbit hactenus, neq; cognoscit per effectum petitionis; sed intellectus ejus eruditur per Lucem veram taliter, ut noscat solùm, qvid velle qvidvè amare eum oporteat. Hoc fine creavit Deus Voluntatem hominis, qvo intellectum, quovè amorem creavit, nimirum, ut mediantibus hiscè potestatibus Deus suam exprimeret Voluntatem

 tatem

tatem ac proprietatem tanquàm per medium aptissimum, idq; genus actionis pertinet ad perfectionem. Si homo caruisset Intellectu & Voluntate, nunqvàm fuisset Deus agnitus, ne dicam amatus, laudatus, vel glorificatus, nec inter omnia creata fuisset qvidpiam qvod coràm Deo aliqvid Utilitatis habuisset. Harum autem potestatum suprema est Intellectus, tanqvàm per qvem Voluntas & desiderium informatur, qvid velle, qvid appetere debeat anima & qvid non. In hâc cognitione potissimùm intelligendum datur, qvod Intellectus cum Voluntate & amore creatus sit non propter se, nec propter ipsos, nec deniq; ad propriam Utilitatem, adeoq; nec propter se debeant velle qvidpiam; attamen qvod per Creationem sunt ejus qvi creavit ea, hâc ratione nil aliud velle tenentur per obedientiam sivè pro ratione debiti præterqvàm id, qvod Creatori visum fuerit Bonum, qvod ipse est. Non enim creavit Deus Voluntatem hominis, ut sit propria, sed ut Deus per eam tanqvàm per Instrumentum servile operetur. Voluntas Creatoris est in Deo sine motu & actu essentialiter, in Creaturâ verò est activa seu perficiens, ea propter vult Deus Creaturam, nimirum, ut Voluntas alioqvin immota, Opus ejus in eâ velit & perficiat. Taliter cognoscimus, Voluntatem nostram, tametsi creata sit, non nostram sed tàm Dei esse, qvàm ipsa æterna Voluntas Dei est: in hoc respectu non competit Creaturæ velle pro suâ ratione, sed Deo competit actio Voluntatis in homine per Voluntatem hominis qvæ creata & per Creationem Dei donum est. Qvodsi Deus per Voluntatem creatam operatur volendo, istæc voluntas non meret dici propria, tantominus Deo contraria, est autem una atq; divina voluntas, & hactenus amor ac dolor, qvi Voluntatem seqvitur, non est hominis sed ipsius Dei, cujus est Voluntas. Quicquid volendo cupis charum est, id qvod non volendo abominaris tortura est; qvod si ergò vis & non vis per Voluntatem Dei, amas aut doles, sed non tàm tu amas aut doles, qvàm Deus qvi vult, aut non vult.

Ex his apparet, cur Voluntas debeat esse libera, nulli mancipan-

panda, ſed ſoli Deo relinqvenda. Nihil autem tàm liberum eſt qvàm ipſa Voluntas, qvam ea propter illuminati in ſuâ libertate conſervant, ſicut eam Chriſtus ejusq; ſeqvaces conſervârunt. Dicuntur hinc etiam verè liberi, qvi per Chriſtum (Veritatem) ſunt evacuati & liberi facti, qui & hâc ratione manent in pace, ſatietate, qviete & beatitudine. Nemini licet Voluntatem ſibi mancipare ſic, ut qveat dici propria ſeu libertate privata. Natura, Adam, Diabolus, hanc ſuſtulerunt Libertatem, qvà ſuâ Voluntate abuſi ſunt volenter in commodum, nolenter in perniciem ſuam, ſiqvidem idipſum non juxtà ſed contra Deum eſt. Libertas cùm eſt ablata, Voluntas capta & ſubjecta, tunc dicitur appropriata (proprietas); aſt ubi hæc, ibi nulla reqvies, nulla beatitudo eſt, ſed è converſo intranqvillitas, adverſitas, mæror, anxietas & ſollicitudo. Quamdiu enim proprietatem habet homo, non eſt ſui juris, nec à Concupiſcentiâ ſe poteſt penitus avertere, hinc ſæpeſæpius perturbatus ad iram concitatur, ſi qvà reſiſtere debet ei, id qvod in ſuperbo atq; avaro conſpicuum eſt. Aſt hoc non ſolùm; verùm quamprimùm deſiderium ſuum ſatiavit, angitur conſcientiâ, qvà ſentit ſe Voluntati ſuæ fuiſſe obſeqvutum, proindè nec pax, nec eſt tranqvillitas ei. Cæterùm pax non in propriæ Voluntatis complemento, ſed in ſuppreſſione ejusdem invenitur, hinc eâ ſoli amantes & ſpirituales potiuntur homines. Quodſi verò proprietas iſtæc non deſeritur in tempore (mortalitate) nulla poſtac conceditur ejus depoſitio, qvin potius cum immanente eâ proprietate interminaliter perdurat ſtatus inqvietudinis, adverſitatis & anxietatis ſine Spe beatitudinis, velut id obſervatur in Diabolo, qvi, qvod proprietatem hanc non exuit in tempore, ſed eam retinet in æternitate, non habet Spem beatitudinis in æternum. Cum Diabolo ſubibunt paria ſupplicia, qvi proprietatem hanc è tempore ſecum convehunt in æternitatem. In inferno cuilibet damnato eſt ſua propria Voluntas, eoq; omnis miſeria: inferis autem coæqvantur mortales ob paritatem proprietatis, qvi tamen adhuc vivunt in tempore inter Cœlum & infernum, ubi

mortalibus concessa est electio futuræ mansionis; qvò plus proprietatis, hoc plus inferni. Qvi proprietatem cupit aut possidet, mancipium est, qvi verò nil cupit ac obtinet proprii, is verè liber est. Qvisqvis mortalium à vero lumine verè liber factus est, si posthàc posset pari modo liber vivere, is verè beatus esset, nam Regnum Cœlorum certocertius esset in eo. In Regno Cœlorum nil est, qvod proprium dici possit, hinc est ibidem vera pax, veraq; beatitudo. Sunt qvidam, qvi plurimùm disputant de libero arbitrio, num hoc sit à naturâ necnè? hi autem rem magis obscurant qvàm illustrant, tametsi eam facilè possemus comprehendere, si lumen verum nos illuminaret. Siqvidem per id docemur, qvæcunq; Deus creavit, esse bona, inprimis indè seqvitur, creatam Voluntatem esse bonam, cùm sit potestas imaginis divinæ. Exindè simul seqvitur eam creari liberam, qvà bona est ac dicitur. In Christo mansit semper libera, in cunctis verò reliquis hominibus inter nascendum ducitur in captivitatem & appropriatur mediante occasione qvalitatum Corporis & naturalium proprietatum, per quas dum homo adhuc cognitione caret facilimè flectitur, sic ut dici qveat, omnem hominem amittere libertatem sub initium vitalium & animalium functionum, eoq; nec libertatem recuperare posse nisi per gratiam Dei, per Lumen verum & renovationem Spiritûs illuminetur. Hoc enim facto solvitur Voluntas à Compedibus & redditur libera, capaxq; obsequii. Quid qvod & multis hominibus quibus natura fuit benignior, non levis pronitas est ad bonum electivè, hoc est ad bonum hoc vel illud, qvod est Creaturarum, sed ad Bonum summum nullius hominis desiderium fertur ab incunabulis, qvia non cognoscitur antequàm intelligat, proindè solemus dicere, ignoti nulla Cupido. Qualitercunq; ergò hominis bonum est, non est verè sed falsò bonum, neq; ex Voluntate liberâ factum, priusquàm per cognitionem summi Boni, qvæ per fidem acqviritur, purgata sit conscientia, & libera facta Voluntas.

Quantum autem ad ipsam Libertatem, ea duplex est, nimirum vera & falsa. Vera sequitur Lucem veram divinam &

voca-

vocatur in Scripturâ Libertas Spiritûs: ubi hæc est, ibi Voluntas utitur eâ ad opus suum, qvod est velle sine impedimento. Inprimis hoc opus est velle id qvod electivè est optimum ac nobilissimum, cætera cuncta qvæ non sunt bona, non vult nec perfert nisi cum dolore: exindè seqvitur, Voluntatem, quò magis libera est, hoc magis dolere Vitia & peccata. Exemplum præbet Dominus noster, cujus Voluntas erat liberrima, hâc ratione erant ei totius mundi peccata tortura omnium maximè: idcirco qvò quis liberior, hoc Domino proximior. Libertas ficta seu falsa est, cùm homo mortalis utitur Carnis Libertate, nec sentit peccatum, nec dolet de eo, imò cùm mavult vivere juxtà securitatem absq; passione. Libertas hæc non parta est à Luce verâ, sed est libertas falsa, naturalis decepta, iniqva, quia parta à Luce falsâ, naturali, decipiente & deceptâ.

Q. De liberâ Voluntate qvod protulisti sufficiat, nunc etiam quid habes de bonâ Voluntate explica? R. Quod habeo accipe! Prout ex Voluntate pravâ (naturali) omne peccatum nascitur, ità è Voluntate bonâ (supernaturali) producitur omnis generis Virtus. In vanum ergò fideles nimis sollicitè curant, num propè sint Deo, an procul distent ab eo, in vanum qvoq; mærore afficiuntur ob res haud acquisibiles tunc scilicet, cùm Voluntas eorum bona est. Cuncta possidet homo, sivè amorem, humilitatem, sivè qvamcunq; Virtutem, imò ipsum Deum, si potenter ac incessante desiderio velit eas. Et sicut volenti homini nil deest, ità nec qvicqvam potest ab eo auferri sivè à Deo sivè à Creaturis, dummodò Voluntas ejus sit bona, & justa, hoc est, divina. Sunt autem multi homines, qvi credunt possessionem hanc esse impossibilem, hinc ajunt mandata Dei servari non posse. Ast alibi dictum est, ejusmodi homines posse, sed nolle posse, quapropter nunquàm vivunt juxtà mandata Dei, quia nunquàm volunt. Sunt & alii homines, qui ajunt se qvidem velle, ast posse non esse in illis. Verùm istorum hominum Voluntas non est reaptè talis, qvia solùm verbalis, adeoq; minimè divina. Errant in hoc, quod non volunt effectivè atq; poten-

ter, & sic eorum confessio est mendicata è fraudulentâ pravâ Voluntate, quæ accidentalis est, non essentialis, non vera sed falsa, non divina sed naturalis. Divina autem Voluntas probatur per id, si Voluntas vult semper volendo purè ac simpliciter in respectu ad nudam Dei gloriam. Gloria Dei est, qvam Homo velle debet, cætera bona propter eam, prætereà nil aliud; siquidem nec commodum sic expetitur, nec ipse Deus, nec Vita æterna, nec Virtus, putà in respectu ad interesse hominis, qvia solùm propter divinam gloriam, indè patet, quæ sit Voluntas divina. Voluntas hæc datur homini ideò, ut talis sit post manifestationem ejus, hâc ratione manifestat Scriptura prius Voluntatem Dei, qvam subseqventer cognoscit homo ex Verbo Dei, & hæc cognitio est medium gratiæ, quâ Voluntas quæ libera est, instruitur, conducitur, corrigitur. Velit ergò homo cum firmo proposito & sine excusatione quam velle potest Gloriam Dei, jam nactus est possibilitatem. Nam ideò dicitur, nos naturatenus non posse, nec posse velle, qvia à naturâ non habemus cognitionem bonæ & justæ Voluntatis. Prout igitur moraliter bonum ac malum, justum ac injustum nonnisi per instructionem discendo cognoscimus; ità etiam in divinis justū ac injustum, bonam (Dei) ac malam (nostram) Voluntatem discendo cognoscamus oportet. In hoc supposito malè dicitur hominem non posse velle nisi per singularem Dei gratiam & sic insuper valdè difficulter: enim verò qui sic credunt, labuntur necessariò in impietatem, quò credant Deum esse Authorem damnationis æternæ Vi atq; decreto Voluntariæ electionis ac reprobationis. Sed ex præpositâ doctrinâ cognoscitur, omnes homines in supposito cognitionis posse velle, quia his omnibus, qvibus prædicatur Verbum Dei & qvi cognoscunt illud discendo, adest Voluntatis possibilitas, qvanqvàm & in gradu Operationis simul ac Voluntatis qvoad constantiam conferat aliqvid naturalis constitutio (corporis dispositio) tanqvàm in respectu medii aut obstaculi. Principalissima tunc est Voluntatis potestas supposito cognitionis lumine, qvia & ipsa fides hactenùs Volun-

Voluntati subjecta est. Nam ideò Voluntas est potestas, quia velle potest, & nil nisi velle potest; si non potest velle aliquandò, non est Voluntas, tantominus potestas. Atqui Virtuti nulla est diversitas qvoad esse, utpotè qvæ semper eadem est qvoad potentiam, tametsi non semper talis qvoad Actum vel tempus. Sic qvisqvis credit, necessum est qvod velit credere, & si non vult, non credit. Ex illo igitur fonte, undè profluit fides, profluit & fidei fructus; velis ergò & amabis, velis & operam adhibebis virtutum exercitio, velis & à Deo traheris, velis & Deum quoad Clementiam, gratiam & judicium senties, velis & adunaberis ei. Hæc Voluntas non dependet ab ullâ re extraneâ, dehinc nec alligari nec separari potest à suo respectu neq; per Vitam, mortem, neq; per Diabolum, neq; per Creaturam vel passionem aliqvam.

Voluntas bona non est debilior coràm Deo ad bonum qvàm prava Voluntas ad malum est. Id autem præstat Voluntas prava, ut Opus malum priusqvàm ad effectum perductum est, in ipso jam firmæ Voluntatis proposito habeatur pro facto, & hujus judicii ratio est, quod alioquin externus effectus non nisi ab impedimento intercipitur, sic autem potest aliquis potentialiter occidere multos, etiamsi effectivè non occiderit eos, judicium autem occultæ occisionis refertur ad Crimen Voluntatis: nam nemo occidit reaptè, quem non in animo prius per Voluntatem occidit. Exin propalàm est, peccatum generari à Voluntate, tametsi pravum opus non sit patratum externè, sed tantùm internè per assensum Voluntatis, ideò punitur etiam Crimen internum, quod nemini aliàs est noxium aut cognitum. Hoc tamen noscendum est obiter, qvod Opus malum in effectum deductum punitur severius, quia per assensum toties iteratum insuper per factum redditum est homini noxium ac scandalosum.

Pari modo licet asserere effectum Voluntatis ad bonum, comprimis cùm Voluntas per Dei gratiam fiat potentior qvàm naturatenùs est. Cooperante Deo cum bonâ Voluntate alleviatur

tur

tur conatus operis propositi, qvò citrà moram qveat expediri; si adsit occasio; secùs comparatum est cum Voluntate pravâ, qvæ adjutorii superni expers nonnisi à propriâ malitiâ (Dæmonis instrumento) capit assistentiam. Qvantò magis etiam Dei gratia operatur cum Voluntate bonâ, tantò potentior redditur ea ad Opus bonum qvod vult peragendum, qvàm est Voluntas prava per suam malitiam stipata. Cur ergò dicunt aliqvi, qvod non possint, cùm tamen divinam gratiam de se prædicent exuberanter? Ast hîc dicendum est veraciter, qvod bona Voluntas per gratiam Dei omninò valeat bonum velle atq; perficere, imò longè melius quàm prava Voluntas opus pravum, si comparetur. Cum scriptum sit: Omnia sunt possibilia credenti: id absq; dubio respicit bonam credentis Voluntatem, cùm dicatur per Voluntatem posse etiam ea præstari, quæ per externum Actum præstari neqveunt. Omne donum Spirituale vel Virtus qualicunq; intervallo distat ab eo qvi eam desiderat cum Voluntate perfectâ, nihilominus longè certius dicenda est appropriata ei, quàm si quà possideret eam cum aversione. Dicitur etiam, per voluntatem firmam posse sustineri omnium hominum labores, & omnium bona Opera perfici, id quod sic est intelligendum: dato possibile esse, ut quis hæc omnia tùm sustineret tùm perficeret, nil potest eum morari, ne cuncta fiant, nisi Voluntas ejus, nam ex quo vult facere, quod potest, facit juxtà Voluntatem, ex quo vero non vult, itidem non facit juxtà suam Voluntatem, quapropter dicendum est, cuncta possibilia quò fiant & non fiant, esse in Voluntatis potestate, undè rectè dicitur omnia per Voluntatem perfectam fieri, tametsi non sint effecta per Opus, qvia indubitanter sic fierent, si daretur possibilitas. Perfecta ista Voluntas, cui deest tantùm potentia aut possessio, efficeret omnia quæ vult, si posset, ergò credendum est eam in Veritate omnia ista coràm Deo perfecisse. v. g. Si Rex in Regno suo cuncta posset quæ vellet, procul dubio is cuncta quæ vellet, deduceret in effectum; & si quà supplicanti vellet donare ditionem vel Thesaurum, nemo audebit in contrarium

rium dicere, Regem non fore facturum id qvod habet in potestate: si verò Rex captus nil possidens idem facere vellet, qvis dubitat, Regiæ Voluntati responsurum effectum, quamprimùm Regno potiretur? Qvid quod Rex potens non regnat diutius quàm vult, cùm situm sit in suâ potestate velle regnare aut Regnum Sponte deponere. Non solùm ergò opes, thesauri, dignitates, sed sceptra & coronæ sunt in potestate voluntatis. Ecqvis enim Regi prohibeat Regnum deponere? A Rege autem transumptâ comparatione ad status inferiores, ad Cives opulentos dicimus, eorum opera aut divitias esse subjectas eorum voluntati, cum qvibus si non pro Deo fœnerantur, id non naturæ imbecillitati, sed pravæ adscribendum est voluntati, hactenus iniqvus quilibet Bonorum suorum dispensator habet animum saturatum ac servilem, non vacuum, non liberè ad Deum elevatum, qui mundo affixus immergitur curis secularibus, cùm posset cuncta sua ad gloriam Dei impendere si vellet, aut cuncta propter Deum relinqvere, si vellet: est ergò culpa voluntatis, non possibilitatis. Is autem, qui vellet cuncta relinquere, posset & Regnum relinqvere si possideret, & per hanc bonam Voluntatem perficeret cuncta bona opera, nec minus cunctas toleraret molestias, si sic possibile esset. Ad voluntatem itaq; referuntur meritò & ea, quæ hactenus potestati humanæ non sunt in Universum supposita.

Ast qvisquis animum suum negotiis secularibus implicat, non facilè relinqvet sua Bona; sed si qvis tali objiceret, quod sic non obediat mandato Dei, quid respondebit? dicet fortè, se id servare non posse: Verùm responsio hæc falsa est: siquidem fateri debebat, se nolle id facere, tametsi factu possibile sit. Simile qvid obtinent & reliqva mandata, quæ ideò non servantur, qvia servare nolunt ea homines. Num homo non potest relinquere Bona, aut proximo donare ea, an non potest amare proximum, servire & obedire ei? Num benedicere neqvit ei, si maledicere potest? Num perseqvutionem, opprobrium, aut omnis generis passiones neqvit tolerare? Cur autem Apostoli, & Martyres,

imò Imperatores, Reges ac Principes totum mundum reliqverunt libenter ac potenter qvia volenter? Cur ſancti homines ſerviverunt proximo ſuo per amorem, cur mala cuncta perpeſſi ſunt? Verùm cur homo pravæ Voluntatis ſeipſum ſubjicit manifeſto periculo, cur ſpiritum ſuum enectoper funem aut enſem corpore præmeditatò evocat? Indubium eſt, præfata cuncta ſeu bona ſeu mala Opera perfici per Voluntatem ſivè bonam, ſivè malam. Concludendum itaq; eſt, undè talia procedunt Opera, indè qvoq; provenire obſervantiam dominicorum præceptorum. Si vellent homines facerent qvod poſſent; negare autem neqveunt, ſe poſſe mandatorum obſervantiæ ſuum adhibere ſtudium: verùm qvàm rarum hoc ſtudium ſit nemo miretur, qvia Voluntas talis eſt. Corrigatur ergò Voluntas, inverſus erit totus homo, à Voluntate qvippè pendent cuncta qvæ perficiuntur ſivè ad bonum ſivè ad malum, & qvi qvantocyus in viâ Domini progredi cupit, neceſſum eſt, ad Voluntatem divertat ſtatim currendo ad ejus inverſionem faciendam, nam bona Voluntas eſt fructuoſiſſima & jucundiſſima.

Sunt porrò hîc alia qvoq; conſideranda, nimirùm: Cum homo videt alium qvendam expedire opus bonum ſegniori animo, ipſe verò longè ſincerius propenderet ad ejusmodi operis expeditionem, præprimis ſi pro ſuo modulo adderet aliqvid utut exiguum, hîc aliter fieri non poſſet, qvin deſideriosus hic majus indè reportet præmium, qvam operator ille, qui Vires ſuas impari labore exantlavit. Si qværis, cur adeò imparis laboris impar inſuper præmium? Reſpondetur, ob Voluntatis imparitatem: ſiqvidem in Operum cenſurâ præmium ſpectat Voluntatis Scopum. Si opus magnum, Voluntas debilis, præmium eſt minimum; ſi Voluntas potens, Opus parvum, majus eſt præmium; ſi Voluntas perfecta, opus æqvaliter perfectum, præmium eſt maximum. Indè venit differentia, qvod valentiora ſunt præmia eorum, qvi pari amore & Voluntate magna expediunt Opera; eandem enim coronam, qvæ Martyribus parata creditur, is obtinere nequit, qvi non æqvali martyrio

tyrio

tyrio affectus est, tametsi ejus & Martyris appetitus ad Martyrium fuerit æqvalis. Verùm hîc aliqvi dicent, in Voluntate perfectâ consistere ipsum opus martyrii, hoc est, potentiâ & quidem summo cum appetitu, si Actus impeditur, eoq; idem esse cum Actu, cùm Actus ipse nil faciat ad perfectionem: qvatenus autem effectus ab efficiente causâ non differt, nisi pro ratione progressûs ab occasione vel promoti vel impediti, eatenus censent Voluntatem sine opere obtinere præmium æqvale. Ast de hoc nemo facilè contendat, siqvidem jam constat perfectam Voluntatem multa posse, id est, si fuerit talis ex totâ Virtutis potestate.

Perfectè bonæ Voluntati nullus præfigitur terminus (temporis articulus) longus sivè brevis qvoniam perfecta Voluntas est ea, qvâ cuncta qvæ potest homo, facere velit ex nunc & usq; ad mortem, vel si possibile esset, ad mille annos & ultrà, & sic Voluntas semel vel ad momentum talis sit semper talis, id est, sub exclusivâ temporis: proindè dicitur, talem Voluntatem fecisse coràm Deo omnia etiam in minimo temporis tractu, eamq; fore parem mercedem impetraturam cum Operibus in mille annis peractis. Sed hanc perfectionem Voluntatis non omnes intelligunt, quamvis Sanctorum Martyrum historias & exempla nôrint, sibiq; imitanda præposuerint. Cùm autem omnis Virtutum perfectio potissimùm consistat in Voluntatis perfectione, hæc autem nonnisi per doctrinam, simul ac perdurum, continuatum laborem comparetur, necessum est ut hujus perfectionis gradus cognoscatur, hæc autem cognitio supponit crebram petitionem, qvâ exauditâ fiat, ut tandem Deo dante attingatur gradus perfectionis. Voluntas tunc demum perfecta invenitur in justitiâ, cùm caret omni proprietate, malitiâ & inconstantiâ, sic qvidem Voluntati divinæ totaliter conformata, ut neqvicqvàm velit præterquàm qvod Deo placitum est juxtà cognitionem ejus, deniq; & cùm hæc qvæ jam dicta sunt, contestatur ipso facto vel intermissione, ubicunq; & qvandocunq; id fieri possit aut deceat. Ad hanc perfectionem nonnisi per

multos gradus scanditur in sublime, quò quis exercitatior, eò aptior, tantoq; Voluntas justior est ac pretiosior. In Supremo gradu perstiterunt homines Sanctissimi, in reliqvis Sanctiores: ast hîc notandum est, multos qvidem desiderare altissimos Sanctitatis gradus, nihilominus per tale desiderium Sanctitatem eam non attingunt, qvia nec gradus medios attingerunt. Enimverò cum Sanctitate sic comparatum est atq; cum Voluntate; tàm Sanctus est aliqvis, qvàm magna Voluntas ejus coràm Deo est. Quodsi Voluntas ejus coràm Deo tàm perfecta esset, qvàm qvalem ullus unqvàm homo habuit, non dubium est, qvin & tàm Sanctus esset ac ullus homo fuit, similiter & tunc Supremum gradum attigisset. Qvapropter mensura Sanctitatis pro Voluntatis magnitudine ac sinceritate modificatur. Sic intelligimus, qvod cum perfectâ Voluntate possumus omnia, nimirum Deum amare, laudare, colere, & qvæcunq; volumus alia, ast non cum imperfectâ possumus omnia. Qvicunq; tantùm habet Voluntatis, & amoris ad laudandum Deum, qvantum ullus unquàm homo possibiliter habuit de gratiâ & naturâ, istaq; Voluntas sit vera, constans & sine fuco, is Deum perfectè laudâsse dicitur. Verùm ut multi fatentur ingenuè, se Voluntatem hanc non habere; ità vicissim multi bonam vendunt, qvam non habent Voluntatem. Voluntas enim eorum, qvi à Deo hoc vel illud in necessitate poscunt, vel qui in Oratione aut discursu Deum qvasi informant, qvæ qvanta qvaliavè iisdem largiatur, non est bona, tantominus perfecta, qvia propria & carnalis. Hi malè sunt informati, non Voluntatem Dei neq; seipsos cognoscentes, hinc & eorum opera sunt imperfecta, vana & ingrata in oculis Domini. Satius fuisset illis orâsse semper: Fiat Voluntas tua Domine; & cum Paulo: Domine qvid me vis facere? Hæc oratio est Deo gratissima, cæteræ cunctæ, qvæ sine hâc sunt, nil prosunt, imò nocent. Per istam precatiunculam freqventer Deo objectam permovetur Deus ut faciat juxtà Voluntatem suam: proindè expedit antè omnia nôsse, qvod Deum qværenti qværenda sit Voluntas DEI, non verò pro more

re vulgari ac pessimo hoc vel illud, non solatium, non interna delectatio cum præscriptione; Uti enim talis oratio est coràm Deo stultissima præsumtio; ità qvoq; iniqvissima ac odiosa. Quod ipsum cognoscendum traditur per Voluntatem Dei, qvâ manifestatur, Deum à nobis requirere, ut nostram Voluntatem semper & ubiq; subjiciamus divinæ, utq; ductum, actum, tractum Dei libenter & volenter recipiamus, qvò pacem in omnibus habeamus. Subjectio istæc vocatur aliàs abnegatio, qvà nostram Voluntatem nullo modo dignam æstimamus, cui respondeat opus; uti autem per hanc Voluntatis suæ abrenunciationem homo qvàm optimè præparatur, ità sine eâ non est speranda perfectio, imò nec Dei adhæsio. Est qvidem hominis per Dei gratiam eligere hoc vel illud sub naturali inclinatione, sed Utilitas dehinc dimanans per parva est ac penè nulla. Videmur vix & ne vix peregisse quidpiam, anteqvàm eò perventum est, qvò nosmetipsos tradamus Deo totali cum resignatione (externâ & internâ) quovè solatium appetamus nullum qvàm id qvod Deus intus reposuit. Re namq; taliter gestâ fieri certum est, ut magnâ securitate & suavitate possideamus cuncta per Deum longè veracius ac unqvàm aliàs, attamen hanc suavitatem nemo valet per externa specimina promereri; imò secus fieri compertum est in illis qui nolunt emori Voluntati suæ, qvoad Voluntati divinæ non sunt subjecti, (dediti integrè). Nunc autem videndum est, qvid homo Utilitatis capiat, qvi exuit seipsum Deoq; integrè deditus in Voluntate deseruit cuncta qvæ naturaliter possedit. Is

1. Semper & ubiq; contentus est, qualitercunq; Deus procedat secum, sua qvippè Voluntas Dei Voluntas est.

2. Brevissima ejus Oratio cum sui abnegatione facta superat de merito mille aliorum orationes & Lectiones amore sui peractas.

3. Induit Deum tali modo, ut Deus in ipso & ipse in Deo sit, quapropter nemo lædit, offendit aut attingit eum, priusqvàm Deum affecerit sic.

4. Pro singulis, qvæ Deus ei imponit, refert debitas Deo laudes & gratias.

5. Cuncta dulcescunt ei, qvæ aliis amarissima sunt, qvia à Deo ac in Deo adveniunt ei omnia, in Deo verò nihil amaricat.

6. Quicquid eidem per Deum accidit, deportat secum suavem à Deo gustum, indè probatur id nonnisi divinum esse.

7. Qvàm dura sit passio, etiam ab hominibus inflicta, potest tamen eam haud difficulter perferre, qvatenus quælibet passio (qvæ hoc modo à Deo determinatur homini) tangit prius Deum & mitigatur, undè & ab ipso Deo provenit voluntaria passionis receptio.

Q. Estnè Virtus non minus qvàm Vitium in potestate nostrâ? R. Id ità est, quatenus Voluntas est animæ potestas, cui velle liberum est, hanc libertatem spectat bonum & malum, qvod potest Voluntas promiscuè velle, sicut utrumq; potest intellectus cognoscere. Esse autem Virtutem in potestate nostrâ, exprimit ipsa potestatis etymologia, cujus consensus, cùm sit ad bonum, vocatur Virtus, cùm verò ad malum vocatur vitium. Qvodsi in nostrâ potestate non esset Virtus, seqveretur non dari pugnam in homine, & per consequens neq; Coronam Vitæ æternæ. Cùm autem & ipse amor regatur à Voluntate, qvid erit dicendum de Operibus quæ subseqvuntur Voluntatem? Procul dubio tàm virtuosum Opus qvàm vitiosum venit adscribendum liberæ Voluntati, cujus exemplar exhibuerunt Pagani, qui per Scientiam rectamvè rationem fuerunt conducti ad solum desiderium Virtutis, ututcaruerint eâ gratiâ, qvæ fidelibus abundanter data est ex pacto promissionis eo fine, ut qvæ jam liberè volunt omnia, perficere valeant. Sola ratio gentiles persuadebat volendi virtutem liberè, quid autem obstat nobis, qvominùs velimus ac possimus Virtutem, nobis dico, qvi revelatam fidei Veritatem habemus ac insuper cooperantem Dei gratiam? Non ab effectu statûs peccaminosi statim concludendum est, Virtutem, non esse in nostrâ potestate, vitium verò semper in inclinatione, cùm solo cultû mediante subseqvutivè Virtus æ-

qué

Digitized by Google

què pendeat ex inclinatione atq; pendebat vitium antecedenter ex eâ,ut taceam eos,qvi à teneris tàm ad virtutum exercitia propendent quam alii ad vitiosas actiones. Qvod aliqvis ad turpiora vitia inclinat, alius verò ad majores Virtutes, id omne diversæ Culturæ (informationi) occasionaliter debetur, per qvam indomita natura compescitur, vel etiam contrario modo natura mitis vitiatur, adeò Voluntas flectitur ab occasionali medio utrinsecùs. Qvidqvid ergò circumspectioni hîc atq; sollicitudini debetur, id aliqvi ineptè ad potentiam referunt, cùm nihilosecius potentia benè volendi abesset sub curâ & studio, si ea non esset connaturalis. Inprimis observamus Voluntatem etiam ab infantiâ seqvi Ideas objectorum, putà nutritionis, obseqvii, libertatis, persuasionis, lusûs, orationis, laboris, otii, quibus omnibus educatio præest; siquidem Species primitùs impressæ instruunt Voluntatem, hactenùs vel vitia vel virtutes, vel utraq; promiscuè per modum assuetudinis assumuntur in Oeconomiam naturæ, quæ postmodum tanqvàm domestici hospites continuò persuadent animam, ad qvod propendeat, dehinc qvàm difficulter eradicantur Vitia nec nisi magno studio & Intellectûs operâ. Tradita sic est Scriptura S. ejusq; expositio, cujus medio Intellectus informetur, qvò noverit postmodum pellectam reducere Voluntatem, id quod neutiquàm fieret, nî utriusq; (seu vitii seu virtutis) esset æqva potestas. Examina impudicum hominem, hunc deprehendes aut ob Characteristicum qvoddam naturæ vitium, aut ob inordinatam educationem esse talem, indè fit, quod eos homines longè magis virtuosos censeamus, qvi per Magistri virtuosi disciplinam exculti sunt. Compertum est pariter, sapientes plerumq; velle virtutem, quamvis externus Actus non semper respondeat primo Voluntatis motui. Sic homo fit continens per jejunium, qui ventre repleto libidini deditus erat: furentem crapulosum mitescere facit sobrietas, invidiosum deprecatio flectit ad amorem &c. adeò à causis externis movetur Voluntas tàm ad bonum qvàm ad malum, etsi pro ratione moris in uno citiùs qvàm in alio. In

adul-

adultis concurrunt affectiones per totam Vitam, sed inæqvaliter valdè, non tamen semper eò quò tendunt, flectunt Voluntatem. In sanctis enim plerumq; atq; potissimum perstat Voluntas ad bonum immota dehiscentibus interim affectibus, sic in paganis sapientibus est simile qvid deprehensum, quamvis diverso modo ac fine, qvi sine dubio ad tantam morum perfectionem non sunt conducti, nisi per mediorum externorum selectionem & observantiam, cujus respectu tàm leges quàm artes tulerunt. Qvantò magis potens est homo mediante gratiâ Dei totq; divini verbi adminiculis, ut ad Virtutis propensionem ac possessionem perveniat, qvi naturatenus habet potestatem eligendi boni & mali in supposito Cognitionis? Et hujus asserti Veritas patet ex ipsâ vitii pœnâ, qvam sanè pateretur innocens, cui non esset potestas virtutis contrariæ vitio, hanc autem cùm scire teneatur homo, non potest excusare ignorantiam legum divinarum & profanarum, siquidem Christus dixit, si nescirent, non haberent peccatum; & antè legem non imputabatur peccatum: Spectat ergò pœna facti ipsum arbitrium vitiosum. Cæterùm per gratiam Dei perducitur homo ad media præfata, sivè à pueritiâ, sivè in Juventute, sivè etiam in Senectute, ac pro ratione mediorum diversè operatur gratia. Quid ergò incumbit homini facere, nisi ut auscultet Domino & observet vias Domini, mediaq; objecta, quibus doceatur, quibus etiam perducatur de Virtute in Virtutem: nam Dei gratia incitat ad pugnam, promovet pugnam per variam hominis exercitationem & tentationem, ideoq; si qvà homo negligit eam, id suâ culpâ fit, si verò solicitè eam suscipit, pervenit tandem ad diadema virtutis, id quod dicimus, mediantibus adminiculis & potestate hominis volentis ità factum esse.

Q. Huic autem obstat qvod qvidam objiciunt dictum Scripturæ, qvod cognoscendum tradit pravitatem naturæ, quasi qvod omnis nostra cogitatio à teneris ad pravum inclinat, quid ad hoc? R. Hoc est intelligendum de homine naturali, non autem de jam converso, ne dicam divino: nam cui hoc dictum venit applican-

plicandum, is nondum probus nedum divinus factus est. Divinus homo tàm inclinare debet ad bonum, qvàm naturalis homo propendet ad malum. Purè naturalis propensio est ad ea quæ sunt ei propria, hactenùs etiam in sphærâ naturæ concluduntur, hominemq; talem brutis associant: alibi autem dictum est, præter hunc statum naturæ esse qvoq; in homine statum Mentis qvæ supermundialis regionis soboles est, & hi diversi statûs non conveniunt inter se. Jure verò suo competit homini fideliter ducere statum meliorem, qvem Deus potioris æstimat propter potestatum atq; virtutum coincidentiam, hâc ratione qvicqvid ab hac affinitate excluditur, diversum qvid est atq; dissimile, Deiq; Voluntati contrarium: hinc Lex, hinc Culpa, hinc Pugna, hinc Victoria, hinc Corona. Quicunq; ergò considerant hominem qvoad solum statum naturalem, rectè quidem præfatum dictum citant. qvod etiam tunc carnalibus atq; mundanis hominibus objiciebatur; ast cùm noscamus, id hodiè tantùm allegari in adversum Legis & mandatorum Dei, dicendum est, contentiosos negligere considerationem hominis quoad statum nobiliorem, qvà spiritualem, indè tot tricæ inqvietant eos. Cùm tot sanctorum exempla prostent, qvæ testimonium perhibent, propensionem ad bonum non esse adversum homini, plurimum refert, hanc summè necessariam propensionem latius explicari. Enimverò in eodem subjecto humano potest consistere utraq; propensio simul & status uterq;, juxtà qvod dicit Apostolus: peccato servio Carni, Spiritu verò servio Deo. In utriusq; vicissitudine (alternatione) qvoad modum, tempus & qvantitatem discretam magna subest difformitas, imò in eâ consistit pugna (militia Christiani) hinc nuda extremorum commemoratio parvam habet Utilitatem; sed in viâ & gradibus (quorum ingens numerus) fundata est tota christiana doctrina. Una propensio potest esse major alterâ, imò una potest alteram vincere sicut una saltem maneat sivè naturalis sivè spiritualis: hæ autem cùm tantùm sint incompatibiles per accidens, compatibiles autem è dono congenito, hâc ratione non possunt dici simpliciter

incompatibiles. Quodsi pagani poterant naturæ defectûs vincere in statu Virtutis per animi culturam obtento, qvid erit tenendum de statu fidelium, qvibus animi status spiritualis est tàm de naturâ quàm de gratiâ ? Nam sicut homo quilibet nascitur homo naturalis, ità quilibet baptizatus renascitur spiritualis. Quoniam autem Dei gratia sit Universaliter donata cuilibet baptizato, cur dicimus hunc vel illum peccatorem non habere gratiam Dei, vel non habere mentem, si Dei Imaginem naturæ infusam habet? Perversè culpam in Deum conjicimus, cùm omnes in Universum qui Christum semel induerunt, adstantem Dei gratiam habent semper pulsantem, semper ducentem, modò nefarius homo eam observet. Cur ergò nefarius est homo? Respondetur ob informationis legitimæ defectum. Hinc verè concluditur, statum hominis naturalem ac damnosum in unoquoq; homine potissimùm esse referendum ad debitæ culturæ neglectum ; nam sicut nulla tàm ferox fera est aut inobediens eqvus, qvæ neqveant corrigi & cicurari per artis media ; qvantò magis homo, qui animo præditus est, potest emendari in suâ naturâ per medium rectæ institutionis, ad qvam divini Verbi prædicatio pertinet. Cultura deniq; est medium homini perqvàm necessarium, tanqvàm per qvam eruditur Intellectus, desiderium accenditur, Voluntas invertitur, cujus ope postmodum ipse homo valet ductum & tractum Dei cognoscere atq; pro lubitu seqvi. Qvicqvid ergò per Culturam est acquisibile, non est à naturâ proscribendum penitus, siqvidem absq; naturâ rerum nihil est artificium.

Q. Cùm homo parum vel nihil possit, ad qvid tàm multa humanis Viribus imponuntur imparia onera? R. Ideò ut ea qvæ non potest, velit perficere. Potestati volendi nullum opus nimium est qvàm magnum qvamvè multiplex sit, cumq; mens finiat in Deo, indubium est volendi potestatem in ipsam pertendere Divinitatis abyssum, eoq; superare omnia quæ possunt eidem injungi: qvanqvàm igitur pauca præstare valeamus, multa verò & maxima velle, tùm etiam qvælibet facta metiatur Deus

Deus juxtà Voluntatem, dehinc ſequitur, talem conſtitui ſe qualem qvis toto corde totaq; mente cupit eſſe, adeoq; nemo ſibi hujus vel illius ſancti hominis vel Angeli modum exoptet aut eligat, ſed potius omne quod unquàm fieri poteſt, deſideret totumq; ſe Deo conſecret neceſſum eſt.

Q. Cùm ſic doctrinam de Voluntate liberâ, pravâ, bonâ, divinâ perduxeris usq; ad totalem abrenunciationem ejusdem, reſtat adhuc annectere hîc, quod eſt noſcendum de tàm obſcurâ materiâ, nimirum de reſignatione arbitrii. Tu ergò quid me docere potes, doceto, dum inſto interim interpellatum bonam tuam voluntatem: dic undè deducitur voluntatis Reſignatio? R. Non niſi homo obediens poteſt ſe ſubdere alterius voluntati cum abnegatione propriæ Voluntatis, indè autem ſeqvitur hanc Voluntatis abrenunciationem provenire ab ipsâ obedientiâ. Nam ubi Reſignatio, ibi nil magis eſt quam obedientia, ſed non viciſſim: dico, non vicisſim, quia homo poteſt per cæcam obedientiam plurimum operari ſub permanentiâ proprii arbitratûs. Verùm hîc latet Arcanum Lucis in hoc conſiſtens, quod voluntatis naturalis in cunctis actionibus deſertio facit hominem tùm juxtà ſuperiorum Voluntatem, tùm juxtà Conſilium omnium bonorum hominum, hoc eſt, ad Dei gloriam vivere ac operari absq; ſelectione hujus vel illius, planè ſimpliciter, attamen cum diſcretione boni & mali. Iſtæc proprietatis depoſitio comprehenditur facilius ſub notione oppoſiti, qvod eſt proprietatis aſſumtio. Nam homo qui tàm à Dei, qvàm omnium bonorum hominum communione ſequeſtratus deprehenditur, tenaciter id retinet, quod ſuum proprium ſentit eſſe, hoc eſt, propoſitam Voluntatis expeditionem, ſic ut abindè ſe nullo modo revocari patiatur: ejusmodi homo dicitur eſſe ſibiipſi deditus, ſeu ſeipſum poſſidens per ſuperbiam, qvamobrem ſemper manet inqvietus ac diverſus, neſciens pacem. Mox enim idipſum faſtidit, qvod paulo antè cum cupidine operabatur, vel hoc vel illud eligens tanqvàm is qvi adhuc incapax eſt divinæ gratiæ: mox currit ad Deum cupiens adhærere ei cum Suavitatis (præ-

 guſtûs)

gustûs) perceptione, mox optat abundantiam mox paupertatem & qvam nunc amat conversationem, tunc Claustro fugare volebat. Verùm inqvietudo talis vix unquàm aliundè causatur in homine qvàm à propriâ Voluntate, sivè advertenter sivè inadvertenter. Et tametsi id homo non intelligat, convincitur tamen ab amoris Effectu (qvi est pax) interstinguere propriam Voluntatem (qvæ est amoris toxicum) à sibi oppositâ pacis formâ. Cùm autem Deo hâc Voluntate nil magis exosum sit, hominis quoq; inqvietudo sit ipsa sua Voluntas, hinc seqvitur, nil Deo magis exosum esse homine taliter inqvieto. Hoc qvidem dum multi agnoscunt, fit, ut alius quærat sibi peregrina, sancta, deserta loca, alius ad opera diversa perfugit, alius modis singularibus ab occasione & malâ Voluntate se liberare cupit; sed cuncta hæc absq; Utilitate, qvia sine ordine, cùm priùs erat à seipso fugiendum. Etenim in cunctis istis Viis nil est nisi labor & error, qvò longius itum, hoc plus erratum est, quocunq; appulerit talis homo, expectat eum angor, dolor, inqvietudo, impedientes & impermeabiles Mæandri. Tales sunt similes homini qvi aqvis immersus manibus pedibusvè laborat, non tamen emergit, præ defectu Virtutis ac notitiæ, in qvibus natandi ac emergendi Spes vel maximè consistit. Pleraq; quæ tempore moderno præsumuntur, non sunt ex ordine sed ex confusione; vana igitur & iterum vana. Confusionem hanc parit diversitas, qvæ nunc vel maximè prædicatur ob singularem prudentiam, qvam mundus stultè sibi persuadet hactenùs: hinc sordet mundo simplex Veritas fundamentum, à qvo tamen erat incipiendum. Non erat operandum, sed erat prius desistendum, non intrandum, sed exeundum prius ab eo, qvod nobis propinquissimum invenitur (hoc est à philavtiâ) sic namq; futurum est, ut ad alia liberè ac ordinatè procedamus, si sine sarcinâ nostrâ fit. E præfatis cognoscitur, qualis sit homo seipsum possidens, nimirum qvi seipsum nec vincere potest nec linqvere per superbiam, dum cupit magis sibi quàm aliis à se præstari obedientiam. Nunc è converso considerandus

dus est homo, qui seipsum vincendo linquit per humilitatem, & qui inclinat potius aliis præstare obedientiam qvàm sibi præstari sivè in actione sivè in passione: hîc autem bene notandum est obiter, qvod per hanc resignationem exstirpatur omnis Causa & effectus superbiæ, vicissim quoq; perficitur humilitas in gradu altiori, imò tunc prævalet Deus homini juxta Voluntatem suam, sic ut homo nil aliud cupiat nisi Deum. Et hoc ipsum est Dei Voluntas, qvi planè non vult, ut homo possideat aliqvid cum proprietate, velut id ab exemplo & è doctrinâ Christi patet. Hîc obstabit aliquis ajendo, si homo per Voluntatem Dei cogitur linqvere seipsum & omnia, tenetur hactenùs deserere Uxorem, Liberos, Statum &c. imò & ipsum mundum fugere, & si qvà omnes sic obedirent, qvalis esset mundi status? Ad id sic respondetur breviter. Juxtà Voluntatem Dei sunt deserendæ omnes Creaturæ, non qvidem qvoad Usum, sed qvoad appropriationem: nam posset fieri, ut homo desereret Regnum, imò totum mundum, seipsum tamen retineret sic autem valdè parum vel nihil reliqvisset. Quodsi verò fit, ut homo seipsum prorsus relinqvat, qvicqvid talenti intereà sibi ad lucrandum Deo concrediti possidet, sivè sint opes, sivè honores, officia, qvidqvid deniq; sit, ubi dispensat fœnora, verè dici potest, eum deseruisse cuncta sub appropriationis desertione. Nam cùm talenta Bonorum sint homini à Deo commissa, ut lucrum indè faciat impendendum ad Laudem & gloriam Dei, benè tunc fecerit, si cogitat, non sua se sub manibus suis habere, sed prorsus aliena, nec nisi de fide commissis sumere provisionem causâ sustentationis ejus relicto pauperibus superfluo. Qvapropter est homini diviti ac honorato summopere incumbendum, ut à mundanis ac transitoriis rebus omnibus maneat aversus (intactus) ne inclinatione suâ adhæreat illis semper observando Deum, sivè donet, sivè auferat, sivè impellat sivè abigat, nos velle cunctis his versationibus eò deducere, ut nostrâ animâ depauperatâ possit Saluten in nobis operari: sic verè dicitur aliàs, divitem posse qvàm difficulter introire in Regnum Cœlorum.

Nunc delineandus est homo, qui suæ Voluntati prorsus abrenunciavit. Is namq;

1. Exuto antiqvo induit novum hominem, qui juxtà Dei Voluntatem creatus est.

2. In suo animo aversus est ab omni temporali Bono ac Commercio, ità ut viso indigo homine statim cogitet sic, cùm bona possessionis suæ magis sint necessaria indigo homini qvàm sibi ipsi, hinc etiam plus juris habere indigum qvàm se Bonorum possessorem.

3. Inclinat magis ad sustinendum opprobrium qvàm aucupandum honorem, atq; mavult esse subditus qvàm Præfectus.

4. Non qværit desiderabilia mundi, qvia cùm qvæ amat, mundo displiceant, censet se mundi sarcinâ validè oneratum esse.

5. Suaviter in se conversus est, sic tamen, ut, cùm noverit communem, familiarem Vitam esse nobilissimam, qvàm promtè divertat ad Opera & auxilia externa, si viderit occasionem servire infirmis, succurrere afflictis, errantes, si potest, ad Deum reducere, aliaq; Charitatis opera expedire, etiamsi sit in seipso intentus, haud difficulter, dico, extrorsum se conferat paratus ad servitia, ubicunq; se obtulerit occasio. Nam qvia semper intendit latitare intus, minori impedimento divertit foràs, qvàm alii homines, qvi extus manere intendunt.

6. Sub extraversione suâ impendit operam, qvò unà maneat internè ad Deum conversus.

7. Quamprimùm se sentit extrorsum vagari, confestim revertitur ad Deum cum pœnitudine suæ inconstantiæ & ad vicissitudinem suæ versionis non indiget Virium, quia nullam rem cupit possidere cum desiderio.

Cognito nunc, qualiter comparatus sit homo seipsum non possidens cum proprietate, restat dicendum, non omnes pervenire ad hujus Virtutis perfectionem, qvoniam alii hærent sub initium, alii subsistunt in progressu, non nullis deficit aliqvid, cùm semper inveniant quod deferendum est: & hîc permulti illaqveant se, qui hanc distinctionem non probè observant.

Multi

Multi decipiuntur per Inconſtantiam humanam, cùm vident virtuoſos remittendo nonnunqvàm pigreſcere in opere virtutis, hos ſtatim pronunciant Hypocritas putando per inconſtantiam taliter ſubruta eſſe, qvæ antecedenter impari labore conſtructa erant, ideoq; malunt carere Virtutibus, ne fortè opus qvoddam perdatur atq; cum eo totius Virtutis præmium: tales autem neq; ſeipſos agnoſcunt, neq; actiones ſuas, undè omnium miſerrimi ſunt. Alii verò per incuriam decipiuntur, qvi de Virtutum fonte non ſunt ſolliciti, quò eum cognoſcant, hâc ratione manent in opere externo, & malunt videri quàm eſſe. Tales homines, tametſi meliores prioribus hærent, nec valent progredi, qvia neſciunt Lucem gliſcentem in vero & non in falſo fundo. Nôſſe enim debebant, virtutem non in externâ actione conſiſtere, ſed in Eſſentiâ ſpiritualis naturæ, è qvâ cunctæ actiones tanqvàm à primo mobili pendent, hinc etiam rectisſimè dicitur: ſi cauſa eſt bona, boni ſunt qvoq; ejus effectus. Juſtitia, Veritas, Sanctitas non talis eſt ex operibus, ſed opera ſunt talia ob cauſam ſanctam, juſtam, veram, & hinc cognoſcimus, cur Opera non juſtificent, non ſanctificent, quà talia, ſed qvod ſancta ſunt, juſta & vera, ſi à vero, juſto & ſancto fundamentò ſanctificentur, id quod accidit etiam Verbis & Operibus privatis, de quibus nunqvàm dicta eſt juſtificatio. Sanctitas cùm fundetur in Ente efficiente, hinc facilè judicandum eſt, qvousq; protendatur per effectum: nam quantò plus amat aliqvis, tantò plus habet ſancti fundamenti, & hoc quò ſanctius, eò major operum Sanctitas. Ac probè notandum eſt, qvod opera è ſancto fundamento profecta ſunt luminoſa & absq; errore, quæ verò è ſolo arbitratu proveniunt, ſunt merè erronea, eoq; vaniſſima. Hinc utraq; Claſſis hominum errat craſsè, qvod non obſervat fontem Virtutum nec modum operationis, cùm quælibet humana actio primordialiter pendeat ab animâ, quæ ſi eſt bona, bonæ ſunt actiones ejus, erat ergò bonum fundamentum in animâ qværendum. Reliqvi qvi ultrò non valent progredi per hoc falluntur, qvod operam ſuam per vices & non conſtanter

(in-

(incessanter) impendunt, indè impeditur intimior Dei adhæsio, pro cujus modio aliàs modificatur operum præstantia. Sunt enim tàm magna, quàm magnus est amor, effector operum divinæ gloriæ. Amor est Gluten, qvo Deus & anima conglutinantur, qvò fortius est gluten, eò firmior est adhæsio, diuturnior Boni inhabitatio & vicissim; qvò verò remissior Amor, eò debilior resignatio. Ut autem plenam qvis hauriat informationem de resignationis Virtute, tradiderunt Theosophi axiomata seu doctrinales qvosdam Articulos, per qvos, si probè observantur, Intellectus illuminatur & ab errorum caligine liberatur.

1. Est: Qui seipsum cum omni suâ Voluntate linquit, tàm verè deserit cuncta Entia, acsi antè resignationem possedisset ea.

2. Quidquid propter honorem & Voluntatem Dei non desideratur, id omne derelictum est in paupertate Spiritûs.

3. Quò citius qvis linqvit seipsum, eò facilius linqvit se subseqventer, imò qvò sæpius, eò commodius: nam ista resignatio est à principio interpolata, nec redditur constans nisi per indefessum conatum.

4. Quantum qvis exit à seipso in omnibus rebus, tantum (& qvod notandum nec plus nec minus) intrat Deus in eum qvoad gratiam & dona.

5. Quantum ad id impendit laboris, tantum obtinet homo pacis.

6. Qui cuncta Entia propter Deum deserit, cuncta in Deo possidet.

7. Nil Deo acceptius est, nobisq; suavius vel commodius eo, qvod propter honorem Dei effectum est, sivè activo sivè passivo modo.

8. Nullum opus magis aptum inventum est ad qvamvis Sanctitatem, qvàm vinculum Dei & hominis per amorem & glorificationem Dei confectum.

9. Quicquid Deus plus amat, id qvoq; à nobis plus est amandum: qvamobrem nil est in nobis amandum, nil rejiciendum, nisi id, qvod Deus in nobis aut amat aut odit.

10. Deus

10. Deus nil magis in nobis amat, qvam integritatem nostri, eo scilicet fine, ut sine obstaculo qveat expedire Voluntatem suam in nobis.

11. Quisquis amoris proprietatem habet in seipso, is uti aptissimus ad implendum Voluntatem Dei, ità qvoq; Sapientissimus, gratissimus, similimus & propriissimus est juxtà modum amoris ordinati.

12. Quantum amamus Deum, tantum amamus nos ipsos propriè. Adjicitur propriè, qvia rejectâ omni proprietate malè ordinatâ retinenda est benè ordinata proprietas amandi & laudandi Deum, eiq; serviendi. Nam ista proprietas est una sola, qvæ coæterna esse debet, & ipsa est vitalitas seu Vita æterna.

13. Servitus, laudatio & dilectio Dei hîc qvidem constans, ibi verò æterna esse debet.

Quicunq; Articulos hos observat, combibit & in effectum deducit, is vivit verè beatè, qvin & Deus cum glorificatione sui regnat in nobis. Beata autem Vita cùm producenda sit incessanter, necessum est, ut fiat id triplici modo æqvaliter. Modus

1. est, cùm Deum per gratiam suam amamus, laudamus & glorificamus: hoc enim dum fit, habemus nos activè ac dicimur sitire vel esurire Deum, sicut in hymno canitur: te esurit mens avida, tu Cibus meus es: item: dum te gusto, esurio, dum bibo adhuc sitio fontem dulcedinis.

2. Est, cùm per Amorem in Laude Domini deficimus animumq; demissum in Deo attollimus: dum enim hoc fit, non tàm activè habemus nos qvàm passivè, adunamur Deo in vitam & mortem, ast tametsi hoc opus est propensio amorosa ad Deum, ea tamen est cum gratiâ Dei, eoq; cum passione.

3. Est, si demum per amorem in Deo elevati sumus, nil deficit nobis amplius, qvia cum Deo una Vita, unus amor sumus.

De benè ordinatâ proprietate immanente dictum hîc aliqvid est: restat nunc brevibus dare exemplum malè ordinatæ, eoq; seqvestrandæ proprietatis, qvæ per malè ordinatum inhæret amorem. Fit enim, ut homo contristetur (molestiâ gravi afficiatur),

ficiatur), dum damnum, injuriam, ignominiam &c. patitur, è contrà verò fit, ut nihil moveatur à damno, injuriâ illatâ proximo suo se longè nobiliori. Quæritur qvæ Causa diversæ hujus affectionis? Respondetur, Amor falsus, seu malè ordinatus, qvod sic amat homo seipsum præ altero, qvem tamen magis amare, deq; ejusdem acceptâ injuriâ magis dolere debebat, eò qvod longè præstantior sit homo alter qvàm ipse, hactenus & Deo acceptior. Huc debet referri observatio nona. Nostra ista proprietas est summè fugienda, ut qvæ nobis est adeò gravis ac molesta, ut impediat, qvò minus animum nostrum, uti decet, ad Dominum liberè elevare queamus. Summæ ergò insipientiæ est dolere de tanti mali jacturâ, hoc est, de subtractione nostræ proprietatis, cùm potius sit eò incumbendum, ut mediante persequutione qvantocyus supprimatur Hostis noster omnium infensissimus. Etenim cùm hostis non detur nobis nocentior, qvàm ipsa nostra proprietas, idcircò ad ejus remotionem reqviruntur aut nostræ aut aliorum Vires, & si nos ipsi aversamur nosmetipsos oppugnare, convenit dare aliis licentiam nos oppugnandi, huncq; succursum grato excipere animo. Judicet nunc aliquis, an justus ille dolor sit, qvem qvis ob persequutionem ab Hoste suo patitur? Dicet eum summè injustum esse. Huc potest referri consilium Christi, qvi dicit: Diligite inimicos vestros: Et: benefacite his, qui oderunt vos. Adhuc unum restat observandum, qvod cunctis scitu perqvàm necessarium est. Proprietas nostra non solùm noster hostis inqvilinus est, verùm (qvod damnosissimum est ac peste magis fugiendum) & ipsius Dei. Nam nemo negabit, qvod qvantum in se est, optaret, ne Deus peccata sua examinando vindicet. Sed qvid est aliud hoc, qvàm impudentissimo ausu velle Deum suâ privare Sapientiâ & omni Scientiâ? ideoq; optaret, ne Deus tàm potens esset peccata puniendi. Sed qvid est aliud hoc, qvàm Deum suâ velle privare excellentiâ & omnipotentia? Imò optaret, ne Deus tàm justus esset expendendi peccata, cùm homo malit impunè peccare; Sed qvid hoc aliud est, quàm Deum velle

velle suâ privare justitiâ? Hæc & similia proveniunt cuncta è venenatâ istâ proprietate malè ordinati amoris, hinc rectè dicitur, qvod prava ea Cupido nos separat à Charitate Dei: secùs facit Amor ordinatus, qvi anteqvàm defraudaret Deum honore suo in minimo, mallet quamcunq; passionem sustinere, modò ut gloria Dei provehatur.

Q. Quo signo internoscimus, qvandò Voluntas nostra mortua sivè in Deo amissa est? R. Id è seqventibus patet. Cùm Resignatio propriæ Voluntatis sit vera ad sanctitatem Via, arbitrium verò humanum decliuet magis ad malum, qvàm ad bonum, maximè sub defectu Cognitionis (in statu naturali) seqvitur, hominí esse eousq; laborandum, donec obtineat absolutam Cognitionem & arbitrium ad Bonum: nam sub hâc exercitatione flectitur Voluntas per gratiam Dei ad Bonum cognitum, atq; sic paulatim emoritur pravitati, imò & sibiipsi. Interest autem hominis scrutari, qvousq; Voluntas sua educta sit, imò post longam ejus emendationem diligenter observandum est, num sit translata in Deum integrè. Perfectam istam translationem solent vocare mortificationem seu mortem Voluntatis, qvidam etiam vocant eam privationem, quasi diceres rem destructam aut prorsus ablatam. Hæc semimortua habetur sæpè pro mortuâ, fallitq; hominem, cùm propriâ Vi reviviscit, hinc homini incumbit attendere sibi, qvò eam perimat qvantocyus. Num autem mortua, destructa sivè amissa Voluntas sit, cognoscitur è Signis seqventibus: nimirùm

1. Si homo cum resistentiâ fugit Opera iniqvitatis sivè magna sivè parva sint, suamq; Voluntatem avertit ab iisdem: nam juxtà Voluntatem suam vivere, peccatum est.

2. Si homo paratum se invenit ad omnes Virtutes, quas Deus ab ipso reqvirit, id qvod homo non habet à seipso.

3. Si deserit cuncta, qvæ possunt statuere medium inter Deum & hominem spiritualiter aut corporaliter. Hæc quidem omnis medii ablatio est summum Opus, qvod Deus in homine operatur.

4. Si Voluntas hominis est Dei Voluntas, ac si in quovis Casu

objectum hominis eſt ſola Dei Gloria. Hæc duo enim, Gloria & Voluntas Dei unicè in homine optata & effecta reddunt hominem participem Luminis gloriæ.

His omnibus in ſe repertis exiſtimandum eſt Voluntatem humanam exſtinctam eſſe. Reperiuntur autem tantùm in homine perfecto, qvi perſtat immotus in Veritate eſſentiali, in ignotâ, occultâ, cæleſti Voluntate Dei, ſic ut jam amplius nec bonum velit nec malum: hinc talis homo dicitur carere Voluntate ſuâ, qvia Deum ſolum ſinit velle nec aliter cognoſcit niſi cum Voluntate Dei. Si qværis, undè hæc omnia cauſam ducunt? R. Ex ipsâ paſſione Domini, qvam cùm induerit homo ſubtrahit ſe rebus cunctis, qvæ Deus non ſunt, ipſe verò Deo ſic religatus attingit ſummum perfectionis gradum, hactenus etiam à Deo impetrat, qvicqvid expetit. Eccè quantus Theſaurus recondatur in paſſione Domini, quem unà accipit, qvi paſſionem dominicam adeptus eſt. Mirum ergò non eſt, qvod omnia à Deo impetrat juxtà petitionem ſuam, cùm Deo ſatisfaciat juxtà placitum ſuum: nam Dei manus eſt ſemper aperta ad dandum ei, qvi juxtà Voluntatem Dei vixerit integrè. Hinc dicit S. Auguſtinus: Deus benedictus qui vult omnes homines ſalvos fieri, miſereri nobis & dare gratiam ſemper quidem paratus eſt. Mens verò noſtra carnis nimium delectata commercio, qvoties in peccatum avertens ſe à ſummo bono prolabitur, toties nubem reatûs interponit, qvà gratia miſerentis Dei alioquin ſemper promta in eâ minimè operetur. Mens noſtra ad Deum per Voluntatem bonam & interni deſiderium amoris converſa pulcherrimis atq; dulciſſimis gratiarũ illuſtrationibus perfunditur & in ſancto Speculationis acumine mirificè roboratur. Mox verò ut peccati nubes interceſſerit, ſe Lumen illud indeficiens abſcondit. Præoccupatum namq; ſecularibus ſeu carnalibus deſideriis animum Dei gratia neqvaqvàm illuminat. Neq; enim miſceri poterunt vana veris, æterna Caducis, ſpiritualia Carnalibus, ima ſummis, impura Sanctiſſimis, Cæleſtia terrenis, ut pariter mens ſapiat, quæ ſurſum & qvæ ſuper terram.

CAP.

Cap. V.
De Peccato.

E Præcedenti doctrinâ patet, Voluntatem bonam operari bonum, è contrà pravam Voluntatem operari malum sivè Peccatum, qvod est à summo Bono totaliter aversum. Uti autem Peccatum pœnâ dignum est, ità ejusdem notitia summè necessaria est. Deus autem ne plecteret ignorantiam generis humani, subvenit ei suâ gratiâ, in dicando & prohibendo peccatum ac indicando & mandando Bonum qvod vult, ignorantia sic exigit mandatum, mandatum reqvirit obedientiam. Transgressio mandati facit ex homine peccatorem Deo exosum, qvâ tollit justitiam ejus, cogitq; eum reddere Deo rationem aut satisfactionem. Idcircò post cognitionem bonæ & malæ Voluntatis tangit ordo ipsum effectum malum, peccatum scilicet & peccatorem, quatenus peccatum est ea, de qvâ in præcedentibus dictum, aversio Creaturæ à Bono immutabili & conversio ejusdem ad mutabile, à perfecto ad imperfectum, à toto ad partem. Hæc cùm sint in hoc Capite pervolvenda, confero me ad inqvirendum abs te.

Q. Cur homo relictâ supernorum consideratione totus inhiet sensibilium Creaturarum Usui? R. Invenimus id aliâ de causâ non fieri nisi propter Philavtiam sivè Amorem sui ipsius. Nam per qvod alliciuntur sensus, per qvod reficitur Corpus, aut per qvod honor ejusdem extollitur, ut omnis generis commoditates silentio prætereeam, id omne transplantatur idealiter in appetitivam facultatem, undè Voluntas postmodum flectitur in assensum & vitium inclinationis. Id genus desiderii est longè alienum à desiderio ejus Boni, undè particularia hæc objecta velut per effluxum producta sunt. Sunt ergò laqvei & compedes animi omnis generis Creaturæ, sivè sint sensuum objecta, sivè ab his tanqvàm à suis causis intus genita nova objecta, qvos

omninò fugeret homo si sapiens esset, cùm ab iisdem velut in primigeniâ Cæcitate adeò detinetur, ne unqvàm conspiciat Lucem. Cupiditate suâ rectus homo sibi tantùm servit non ei, ob cujus servitium creatus est, hactenus loco Dei colit & veneratur seipsum, eodemq; honore Deum privat: hæc est superbia Dæmonum, qvi Creatoris gloriam in se transferre præsumebant, par ergo pœna supplicii infernalis, eademq; mansio manet Consortes ejusdem peccati. Specimen communis omnium nostrûm servitii præbet mancipium qvodpiam, cui propitior fuit natura: Sors adjudicavit ei conditionem Servitutis præscripto statûs sui ordine, qvo demum cognito contentus est Servus, nil cogitat de suo, Cibum capit, reqviem suscipit pro modulo exigentiæ, de reliqvo non nisi sollicitus est, qvaliter pugnet, qvovè laboret pro Domini sui commodo & Gloriâ, hoc facit incessanter, summo studio, in sudore, cum desiderio flagranti, imò & fuso sangvine Vitam exponit suam pro Domino, hosq; amoris incorrupti Signa edit tamdiu, qvamdiu intrà limites fidelitatis versatur; secùs autem facit, qvi Seductori aures præbet, is namq; arreptâ occasione deserit Dominum, qværit suum proprium commodum, aliaq; specimina infidelitatis exercet adusq; meriti sui præmium. Infidelis servi similitudinem refert, qui derelicto Honore divino, eoq; qvod ei impositum est servitio, auscultat cunctis occasionibus usurpatum Creaturas pro Voluptate suâ: talis homo deprehenditur infidelis & in omni qvo sese occupat pro se peccat, imò ex uno peccato incidit in aliud qvasi continuato filo, præprimis in peccatum immânens cæteroqvin pessimum, de quo fortè nunqvàm dolet, dico hoc ideò, qvia sensualiter adscribit sibi omnis generis Bonum, sivè id Vitam, sivè Essentiam, sivè Cognitionem respiciat, quasi id suum proprium sit & non alienum: per hoc namq; se præfert aliis, & in contemtum alterius effert. Ast qvid est aliud hoc, qvàm aversio à Deo & Conversio ad seipsum, qvam si vocaveris lapsum, jam verè denominaveris similitudinem lapsûs Angelici. Quò ergò profundior est & concitatior, hoc

hoc etiam deterior eſt ac ſenſibilior. Nam ſi qvâ hominis gloriatio de ſuis tanqvàm de ſuis propriis privat Deum ſuâ Gloriâ, qvantò major erit dehoneſtatio Dei, ſi Creaturis pro lubitu ſuo totus adhæret. Si Gloriam Boni, qvam qvis caſu aut ſtudio perficit, ſibiipſi attribuit, tanqvàm ea ſibi meritò competat, dupliciter peccat, ſemel qvidem per Lapſum, qvod à Deo averſus cadit in ſeipſum, poſteà verò qvod divinam Gloriam tanquàm rapinam ſibiipſi tribuit ac retinet, cùm tamen omne Bonum qvà tale, non ejus, ſed Dei ſit. Ad Peccatum autem hoc eſt dicendum, quod etiamſi omnia mala operetur, inſuper & peccatorem perdat, nil tamen eſt per ſe, adeoq; ſi homo ſe totum ab eo averterit, non eſt ampliùs, neq; à Deo conſpicitur & punitur; aſt poſtqvàm revertitur peccatum, videtur qvoq; ſtatim & ſcitur à Deo, hinc anima premitur per id, ideoq; ſcriptum eſt: qvi ſtat, videat ne cadat: omninò ergò eſt fideli abſtinendum à Peccato, & non patrandū Peccatum ſivè mortale ſivè veniale ſit nullâ de Cauſâ, nullâ ratione, id eſt, nec malâ nec bonâ, qualiſcunq; demum cauſa ſit in temporis aut æternitatis reſpectu, propterea dicit Apoſtolus: non ſunt facienda mala, ut indè eveniant bona.

Q. Qualiter poteſt Homo ſibi proſpicere, ſi ſtat, ne cadat in Peccata gravia? R. Ad eum modum reqviritur duplex doctrina, Veritatis ſcilicet, & regularis Vitæ, utriusq; doctrina continetur in S. Scripturâ, dogmate eccleſiaſtico & exemplo ſanctorum. Proſpiciendum ergò eſt homini, ut Vita ejus habeat conformitatem cum totâ S. Scripturâ, cum Vitâ S. Patrum, id qvod fieri neqvit, ſi non deſiderat corripi à S. Scripturâ ut & ab omnibus bonis hominibus. O qvàm moleſta eſt Eruditio (Correptio) cunctis his, qui ſibiipſis non penitus abrenunciant de præſenti vel futuro, mediante tali exercitio, quo mortificatur Caro, Sanguis, Sensûs, & Opera rationabilia!

Q. Dic quibus eſt grata ac neceſſaria correptio? R. His ſaltem, qvi omni ſtudio conantur ſervare totam Scripturam, & cuſtodire omnia Verba Domini Dei noſtri, & qvi deſideranter exoptant contemplari Sanctitatem Vitæ in aliis hominibus, qvorum ad exemplum ſuam componere diſcant.

Sed

Sed hîc objiceret aliqvis: an poteſt homo eſſe ſine Peccato, qvi in Peccato genitus eſt? R. Hoc non obſtante convenit ei qvi fugam Peccati ſibi propoſuit, nôſſe quid ſit Peccatum, qualis effectus ejus, qvænam etiam ſint media præſervativa à Peccato &c.

Q. Quid eſt Peccatum? R. Peccatum in genere nil aliud eſt, qvàm Actus Deo contrarius cauſatus à Voluntate hominis, qvæ Voluntati divinæ contraria eſt. Cuncta creata ſunt bona qvoad Originem, id qvod eorum conſervatio reddit perſpicuum, qvatenus autem bona ſic ſunt, non ſunt peccatum. Aſt qvicqvid habet potentiam Voluntatis abſolutæ, id hactenùs habet potentiã peccandi & non peccandi, hinc & Peccatum in eo potentialiter latet, quod per effectum manifeſtatur actualiter. Ipſa quidem potentia bona eſt, verùm tamen & Author peccati eſt, & hoc taliter fit in Veritate. Quodſi Voluntas creata ſubjecta eſt Voluntati increatæ, vultq; id omne qvod æterna Voluntas vult, convenit creata Voluntas cum increatâ in Unitate veri ac boni; ſi verò Voluntas Creaturæ rejicit ſummi Boni Voluntatem, neq; vult idem qvod Bonum vult, hoc ipſum velle eſt Deo contrarium, eoq; malum: qvicqvid ergò ab iſtâ contrariâ Voluntate dependet, Peccatum eſſe deprehenditur. Peccatum ſic facilè cognoſcitur, an ſit Peccatum dummodò cognoſcitur Bonum, ejúſq; receſſus. Si quis vult aliqvid & alter id non vult, in hoc contrarius eſt hic illi, offenſus ac moleſtus in omni eo, in qvo ſentitur volendi contrarietas: Si verò in Voluntate ſit Concordia, paratur Amicitia. Id nobis exemplo eſt, qvod actiones noſtræ procedentes à Voluntate, qvæ Voluntati divinæ contraria eſt, ſunt contrà Deum, eoq; peccata; quæ verò Voluntati Dei congruunt, Bonum ſunt. Sic facilè cognoſcere poſſumus, num & qvando peccamus & non peccamus; imò exin agnoſcimus ſimul Peccatum ejusq; remedium, qvod conſiſtit in eo, ut ſimus cum Deo concordes qvoad Voluntatem, qvia diſcordia Peccatum eſt. Atq; ſub hoc Peccati genere prædicantur ſynonymicè omnia, qvæ bonum non ſunt, putà averſio à Deo, Peccatum, vetus Adam, inobedientia,

tia, arrogantia, Voluntas naturalis, proprietas &c. Proindè istorum omnium Cognitio est Lux irrumpens, subitò illuminans, qvia id totum est Bonum simplex & unum.

Q. Qualis autem est effectus peccati? R. Sciendum est, qvod qvotidiana Peccata excæcant animum efficiendo, ne Deum videat, præter id qvoq; aut remorantur aut intercipiunt precum exauditionem, potentias animæ labefactando subigunt, hominiq; torporem & tædium boni inducunt, deniq; & genitores sunt graviorum Peccatorum, quæ pænam augent.

Q. Qualiter fit præservatio à Peccatis mortalibus, & qvotidianis? R. Sextuplici medio perficitur ea.

1. Cùm hominis Vires per Dei Virtutem proteguntur, & per divinam gratiam confirmantur; siqvidem per hunc effectum redditur anima capax resistendi omni, qvod Deo contrarium est.

2. Si Sensus externi cum appetentiâ semper reguntur ab animi Virtutibus, ne absq; permissu extravagentur, qvoniam per hunc effectum conservatur justitia hominis.

3. Si hominis Voluntas ità manet subjecta divinæ Voluntati, ut jam non amplius sit hominis sed Dei Voluntas. Per hunc namq; effectum est homo compositus in Sermone, nec peccat.

4. Si homo in cunctis rebus ordinem & medium tanqvàm temperamentum quærit. Nam per hunc effectum caret excessibus è malo ordine provenientibus, atq; à Deo adjutus facit facienda, linqvit linqvenda.

5. Si homo intus & extus pauper est, qvoniam per hunc effectum facilè toleratur quælibet passio velut ab insensibili.

6. Si anima per ignem divini Amoris purgata est. Per hunc enim effectum considerat homo liberè tùm Verba tùm actiones suas, ac intermittit cuncta, quæ sunt vel Deo vel gloriæ ejus adversa.

Homo per hæc præstantia adminicula roboratus & præservatus jam non peccata, sed pacem & solatium habet, ob puritatem qvoq; exaudiuntur preces ejus, in Angelorum Sodalitatem

receptus Custoditur, præter id qvod semper ad Deum patet ei aditus. Taliter possibile est resistere cogitationibus abalienantibus. Nôsse igitur expedit obstaculum ejusq; remotionem, velut propter qvod non pervenit homo ad Deum, (Peccatum scilicet) qvo cognito opus est removere obstaculum ejusq; Causam mortificatione Peccati, id ipsum qvâcunq; notitiâ aliâ utilius qvid est.

Q. Quid sentis de Peccato mortali? R. Ut sit mortale Peccatum, ad hoc reqviritur Voluntas & propositum, quo homo scienter ac volenter sine discretionis contradictione se à Deo vertit ad patrandum Actum vitiosum Deoq; ignominiosum. Enimverò tametsi homo involuntariò obrueretur tot cogitationibus qvot sunt momenta temporis, iisq; tàm pravis ac turpibus, quales unqvàm ab ullo homine concipi possent, imò qvamcunq; materiam, de Deo scilicet, de Creaturis, &c. concernentibus, longissimo insuper temporis tractu, non hactenùs peccat mortaliter, hoc est, si arbitrium, voluntas & facultas discernens præmeditato applausu non consenserit, sed potius potenter hujusmodi naturæ Vitia fuerit aversata. Id enim genus Vitii est defectus originalis, qvi animo non imputatur, qvà non est ei talis per essentiam, sed tantùm per accidens; eatenùs vocatur concupiscentia naturalis & turpitudo originalis: hoc qvidem certocertius est, neutiqvàm perfectum fieri hominem hâc subsistente, attamen ad Peccata mortalia non est referenda, qvamdiu mentis potestates dissentiunt. Magna ergò est eorum imbecillitas, qvi hanc involuntariam & naturalem tentationem Peccatis mortalibus adnumerant authoritate dicti illius: quare ascenderunt Cogitationes pravæ in Cor vestrum: Cùm & hi tacitè per id fateantur, se resistere nec posse nec velle, qvin potius tàm pronos esse ad Peccata, ut à qvâlibet pravâ cogitatione ad assensum moveantur, ut taceam qvod actiones plerorumq; inter eos testantur, se ea quæ cogitant, dummodò possunt, deducere in effectum, & si non possunt, saltem iisdem delectari sub Peccato mortali. Quod autem id Christi dictum attinet, patet

patetè Scripturâ, pharisaicas istas cogitationes non fuisse involuntarias, sed ex proposito & præmeditatâ Voluntate cogitatum efficiendi prognatas, adeoq; reprehensas. Videndum ergò, qvid circà Peccatum noscendum sit. Augustinus dicit: Ut Peccatum sit Peccatum, requiritur id fieri cum Voluntate, exclusâ verò seu dissentiente Voluntate non fieri Peccatum. Seqvitur indè, qualescunq; sint Imaginativæ conceptûs, Species & Ideæ intus fabricatæ in sensitivæ animæ gremio, si facultas discretiva non afficitur sic, ut cum oblectatione decernat factum, non esse referendas ad Peccata mortalia. Ea ergò est subtilis & secreta tentatio, si de incidente malâ Cogitatione, qvà sic obruitur homo, ut sui immemor nonnunqvàm cum oblectatione Sensûs in eâ persistat longiori temporis tractu, putando judicat se cum Voluntate ac discretione lapsum esse in eam Cogitationem, & hactenùs negligentiam suam commutâsse cum Peccato mortali, cùm tamen id nil aliud sit qvàm documentum debilis Intellectûs, quod scilicet ignorat homo discernere inter Actûs animi & inter stolidos Imaginativæ conceptûs, & qvæ his adjacent media Unionis & disjunctionis. Ea autem est sanctorum doctrina, potestatem intellectivam & arbitrariam satis diu sæpesæpius distineri (impediri) ab incidentibus ludentis phantasiæ imaginibus, subseqventer & à Carnis cupidine, ne sub iisdem casibus seipsam observet. Mox enim à qvo tunc observavit, qvod sui muneris est, consulit secum meditando qvid factu opus sit, num factum aut infectum velit, atq; tunc fit, ut liberè consentiat aut dissentiat Peccato. Propterea non perterreatur homo à Cagitationibus suis tanqvàm à Peccatis mortalibus, si credit doctrinæ Christianæ; sed potius impendat omnem Operam, qvò subigat naturam sub ditionem Spiritûs, ut tandem à turpi isto Carnis affectu, utut innoxio, indecoro tamen ac impediente etiam liberetur.

Q. Cùm sic ostenderis, qvod sola cogitatio non sit Peccatum mortale, pergendum est nunc ad ipsa Peccata mortalia: Verùm cùm hæc sint adeò nota vel ipsis Catechisantibus, & tàm

 enor-

enormia, ut etiam S. Paulus ne qvidem nominanda ea in Christianitate voluerit, hinc non est hujus loci iisdem immorari in Sensu simplici, ast benè in Sensu spirituali, qvem Catechismus non tradit. Nam quæ in Carne qvis potest efficere, hæc alius potest in Spiritu tantò impensius habere: dic ergò qvid sit hoc loco sentiendum de superbiâ? R. Superbiam rectè ajunt esse Vitium summum, qvâ scilicet ea sedes animæ occupatur, qvæ soli Deo naturatenus dicata est, id qvod totum hominem pervertit, omnesq; potentias, facultates, vires ac sensûs ejusdem deturpat. Ecqvis enim nesciat, à pravo regimine animæ pendere omnem ancillantium facultatum petulantiam? Superbia hæc est valdè conspicua in hypocrisi (pharisaismo) ubi vel maximè variis modis externa Species vulgò persuadetur, cùm falsum animi fundum explorari neqveat. Id autem in comperto est, sospite Voluntate naturali perverti omnes potentias tàm interni qvàm externi hominis, atq; sic totum sterilescere agrum, cui Christus suas decreverat implantare plantas. Hujus rei Exemplum præbent multi magni Viri, qvi vel ideò fuerunt perditi, qvod eam Veritatem qvam iis Deus ab initio revelaverat, non verterunt in Succum & Sanguinem adeoq; nec per totam Vitam candidè observârunt.

Q. Cùm Dignitas, Officium, Præsulatus &c. incitet hominem ad procurandam sui nominis exaltationem (gloriam), qværitur, annon Cupiditas gloriæ legitima sit & pro Virtute politicâ habenda? R. Constat, nullum Peccatum displicere Deo magis qvàm fastuosam, magnanimitatem, superbamq; divini nominis privationem, & ideò non est legitima nec pro Virtute habenda cupiditas gloriæ (famæ suæ magnificentia). Nam homo sic privat Deum suo nomine, cùm gloriam quæ soli Deo debetur, sibiipsi vendicat, nec pati vult sui nominis maculam, qvod Deus ei unà cum honore concessit, eum in finem, ut multi homines indè emendentur viso, qvàm Præsul regimen & Præsulatum suum dirigit ad gloriam Dei, per id non suum neq; seipsum quærendo, quale quid Exempla Sanctorum Antistitum docent, de

de quibus canitur: In nomine meo Cornu ejus exaltabitur &c. Psal. 88.
qvasi de eo diceret Deus: Non in nomine suo (qvod non desideret quærere) sed in nomine meo Cornu gloriæ ejus exaltabitur, qvod & in Psalmo 148. contestatur Psalmista, cùm dicit: Nomen ejus solum exaltatum est. Nil Deo magis contrarium est, qvàm desiderium magni nominis, & tamen Vitium hoc tàm est secretum in multis hominibus, ut vix & ne vix pernoscant, in qvanto versentur periculo. Huic & sæpenumerò accedit, qvod ea animadversio prorsus contemnitur, cùm Præsules putant, de jure iisdem competere, ut magni æstimentur, proindè non patiuntur, ut aliquis contrà eorum gloriam vel dicat vel faciat qvid, qvod eam diminuat. De tàm secretis defectibus loqvitur: cùm dicit: Domine, ab occultis Peccatis meis munda me, hoc Psal. 18.
est, à desiderio acqvirendi magni nominis. Psalmus 35 ait etiam: Pes (hoc est inclinatio) superbiæ, non adveniat mihi, & manus Peccatoris non me moveat, qvoniam sic lapsi sunt omnes qvi operantur iniqvitatem. In Veritate dictum esto! nî deserat homo grande nomen, certum est, Deum non fore respecturum omnia ejus opera qvàm bona etiam sint. Chrysostomus ait: Desere tuum grande nomen, superabis facilè omnem cruciatum & passionem.

Quodsi Deus ab homine id obtineret, ut in seipso habeat suppressionem tàm amaram ac pudibundam, prout antecedenter habuit elationem occultam, temerariã, hoc ipso obtinuisset, qvod vult, & ideò fiunt hæc omnia, per quæ Deus punit hominem, nimirum, ut humilietur in seipso: si verò Deus ejusmodi pænâ (humiliatione) nil potest efficere, permittit qvandoq; eos suos Amicos cadere in ignominiam manifestam & in perturbationem compassione dignam, eo solùm fine, ut humilientur in se.

Q. Si verò homo bonus adeò extollitur ab hominibus, ut ei plus adscribatur Virtutis aut Sanctitatis, quàm est reverà in eo (ob secretam fragilitatem soli Deo cognitam) qvid indè censes seqvuturum? R. Nil aliud indè seqvitur, quàm qvod eximiè bona hæc fama cedat ei in damnum, vituperium, aut cruciatum

ſivè hîc ſivè ibi. Neceſſum enim eſt, ut hoc ſpirituale bonum prohibitæ gloriæ deponatur (reddatur) cum improperio, illuſione & famæ læſione, ſi qvà homo in æternum conſervari debeat. Econtrà ſi propter glorioſum ſuum nomen ſe non extollit neq; in eo complacentiam habet, obtinet indè parem utilitatem, emendationem & beatitudinem, ſiqvidem in eo eſt purum ac meritorium, etiamſi maximum nomen haberet; dummodò in adverſum cuſtoditur per gratiam Dei, dum & præ humilitate timet confitendo ſuam ipſius vanitatem, infirmitatem & peccatum, nec plus ſe propter Virtutes æſtimat, qvàm ſervus indignus aut diſpenſator donorum Dei. Nam qvicqvid Officii ſui gratiâ agendum eſt, hoc facit ſimpliciter ad Dei gloriam & ad promotionem Salutis proximi ſui. Hactenùs fert coram Deo fructus eximios comparando ſcilicet aliis hominibus magnam Utilitatem, & tametſi à mundanis hominibus magni æſtimatur, nihilominus tàm coràm Deo quàm in corde ſuo effectus eſt ſimilis ei, qvi infimum locum ſemper & cupit & occupat, qvin etiamſi à ſuo deponeretur officio, nil curat, cùm impermotus ac æqvalis perſiſtat in cunctis rebus.

Q. Siccinè ſpirituali homini nomen grande ſummè periculoſum eſt, eoq; fugiendum aut ad minimum nihili curandum? R. Imò & contemnendum vel ideò, qvod, ſi quà homo non vivit conformiter ſtatui in qvo eſt conſtitutus, ſed potius nominis (gloriæ ſuæ) indignum ſe reddit extollendo ſe & exhilarando propterea, opus eſt, ut cum pudore aut moërore ſivè nunc ſivè olim luat pro Satisfactione tantum, qvantum nomen ejus prævaluit Vitæ ſuæ coràm Deo. Aſt ſi qvà fit, qvod aliqui homines in ſuâ gloriâ redduntur qvandoq; puſillamines ſic, ut eorum intentio videatur eis non eſſe pura, quaſi majorem ſæpè reſpectum haberent ad dignitatem nominis qvàm ad mandatum obedientiæ, hoc non obſtante, oportet eos benè facere, quatenùs bonum eſt ſemper faciendum. Nam etiamſi ab initio non eſſet ſatis integra intentio, poteſt tamen emendari, & tunc virtutes redduntur meritoriæ. Contrà verò cujus fama longè fertur,

tur, si sua bona Opera facit è complacentiâ humanâ vel malâ intentione, is taliter superbit elato animo atq; seducitur à desiderio laudis, qvo fit, qvod & plus facere nolit qvàm de qvo magni fiat. Talis itaq; cupit pro bonis Operibus reddi sibi laudem ab hominibus & respectum præ aliis. Nam & eò impendit omnem Operam, ut spiritualem acqvirat aptitudinem & moderationem, maximè in conversatione exercendam, qvò videatur ab hominibus; ut etiam palmam præripiat aliis, cavet sibi, ne faciat aliqvid nisi cùm potest agere alio melius ac dignius.

Q. Undè noscendum est, qvod tales homines non innituntur fundamento Fidei, Spei & Charitatis, sed qvod insistunt pravo fundo complacentiæ humanæ? R. Id indè noscendum est, qvod nullam fiduciam habent in Charitatem Dei, nec etiam credunt, Deum esse firmum Servorum suorum sustinaculum, ob eam diffidentiam versantur etiam in summo periculo. Hoc ipsum autem sic esse, haud difficulter potest adverti dehinc, qvod qvoties imponitur iis agendum id, ad qvod ineptos se sentiunt, nolunt obedire, eò quod timent, ne alii eorum observent incapacitatem, cujus respectu vilipendantur. In hoc parvo accidenti non sufficeret tota Scriptura, tot conciones, non Dei immensa benignitas (quam exhibet in se sperantibus) ad verificandum iis rationem, quâ persuasi se Deo dederent fidendo & sustinendo propalationem hujus eorum ineptitudinis, propterea perseverant in veteri contumaciâ animoq; superbo, cum nullo bono homine veram Charitatem participando. Et quamvis facilè fieri posset, ut sine morâ illuminarentur novo Dei lumine, qvamprimùm se tunc desererent, ità ut pristina eorum tristitia evanesceret excuciente eam amicabili benevolentiâ tractandi homines & cohabitandi cum iis; nihilominus tamen, cùm id non faciant, manent in amaritudine inq; animi duritiè adversus proximum, sic ut omnis fraterna Charitas mutetur in cruciatum, & ut ab omni bono gratovè opere fatigentur & crucientur. Rebus sic se habentibus coguntur quærere solitudinem, ut ab hominibus se abstrahant, ne videant & audiant, undè eorum augea-

augeatur mœſtitia, conſeqventer cavent, ne ſe ſollicitos reddant alicujus causâ, putantes ſe ſic ad veram Pacem perventuros eſſe. Neqvaqvàm autem hæc via Pacis eſt, qvin potius plus habent diſſidii, invidioſæ inimicitiæ, ſuperbi Judicii &c. qvantò ſe magis ab hominum abſtrahunt comercio gratiâ ſolitudinis. Nam hoſtis malignus in hoc ſuperbo fundo qvieſcens Pacem admittit nullatenus.

Q. Siccinè nunqvàm poſſunt ad veram pacem ac lætitiam pervenire? R. Imò poſſunt, qvandocunq; volunt; aſt opus eſt, ut diſcant cognoſcere atq; purgare fundum ſuum ab omni ſuperbiâ & exemtione: eò inſerviet Confeſſio (qvantum decet) defectuum, vanitatis & inutilitatis coràm aliis hominibus, ità ut haberi deſiderent pro vanis & defectuoſis, in qvâ (Confeſſione) ſi ſe quàm ſæpè exercuerint atq; tamdiu, quamdiu in fundo ſuo pravam inclinationem ad complacentiam humanam reperiunt, cenſendum eſt fore, ut ad pacem & charitatem eam perveniant, qvoniam ſic animum adipiſcuntur & aptitudinem ad ea, qvæ illis ſunt agenda aut pertractanda, & ſi non taliter, aliàs nunqvàm.

Q. Ignorasnè, qvod tales objiciunt dicendo, ſe oportere aliis præbere bonum exemplum, ac nemini eſſe offendiculo? R. Imò hoc novi benè & ad objectionem reſpondeo, qvod qvi non vult offendere qvenqvam, ſed vult exemplum bonum dare iis, cum qvibus verſatur, eum oportet ſe venditare pro eo qvod eſt in Veritate, ſeq; noſcendum præbere, qvantum decet, gerat ſe modeſtè, humaniter, patienter, aptè & ingenuè, præ charitate deſideret omnem contemtum & reprobationem, ſic poſſunt emendari omnia. Hoc autem ſciendum eſt, qvod tales homines negligantur, cùm initiantur, eò quod non exercentur aptè mediante multâ adverſitate & illuſione, quin potius corrumpuntur blanditiis, dum ſæpenumero datur iis noſcendum, quantum eorum facta hominibus placeant: taliter indurantur, ne qvà velint ac poſſint facere aliudquid, quàm de qvo conſtat, qvod laudem ea propter acqvirant, vel etiam id,

id, ad qvod agendum multis precibus permoventur. Tam ingens neglectus est deplorandus, cùm tales qvoq; sint, de qvibus dicit Dominus: qvod acceperunt mercedem suam. De Math. 6. iis autem, qvi tales laudando corrumpunt, liceat dicere, qvod coram Deo sunt similes latronibus, qvatenus decipiendo seducunt simplices homines, qvi sunt proclives ad probitatem ergà gloriam Dei, usq; adeò, ut sensim deflectant ad desiderium humanæ laudis, æstimationis & suiipsius complacentiæ cum pertinaciâ, id quod æterna mors est animæ, insuperq; reprobatio & exclusio à Vitâ æternâ, omniumq; sanctorum Consortio. Hoc autem Seductores faciunt eo fine, ut Corda simplicia mediantibus hiscè encomiis ad suum pertrahant arbitrium, quovè se magis applicent ad rerum temporalium tractationem sui quæstûs solùm, qvem indè sperant gratiâ. O qvàm sunt rerum temporalium desideria aversionis à rebus æternis Causa! Dehinc venit, qvod amittantur cum temporali simul æterna. Quodsi primùm quæreremus ea, qvæ promovent Salutem æternam, non dubium est qvin sit futurum ut Deus temporalia non solùm non adimat nobis, sed etiam adjiciat & adaugeat ea. Nunc autem ob lucellum exiguum abducimus Corda simplicia in pravum desiderium laudis & complacentiæ, id qvod est malignum superbiæ fundum, cui Deus ademtâ gratiâ semper resistit permittendo, ut Spiritus malignus persequatur tales impellendo ad omnis generis pravitatem, nec potest esse Peccatum tàm inhumanum atq; scelestum, quo minus tententur. Id ipsum provenit à diabolicâ radice internæ superbæ complacentiæ, cui defuit prima resistentia, à teneris ergò profundas adeò egit radices, ut sit difficile maturâ ætate defectûs ejusmodi tolli.

Q. Quid ergò agendum est cum initiantibus simplicibus hominibus? R. Hi sunt qvàm benè informandi, ne propter ullam Laudem faciant quod agunt, sed tantùm propter gloriam Dei, qvi nostris non indiget laudibus, & qvi se propter nostram Salutem humiliavit usq; in mortem, nobisq; largitus est fortitudinem,

ſcientiam, artes, intelligentiam pluraq; dona alia, qvibus fœnerando lucremur noſtram Salutem. Hinc longè ſatius eſſet tales homines corripere bono animo præſenter eos parvipendendo, ut in abjectâ humilitate verè exerceantur, cùm ſit ſic arbitrandum fore, ut fiant egregii ſancti qui alioquin tot tantisq; encomiis deſtruuntur adeò, ut cùm ſenuerint, reſpuant diſciplinam ac informationem, indurati ſcilicet in pravo fundo. Qui ſic corrupti ſunt, judicant invidum eum eſſe, qvi eos non laudat, quod reſtat, ſunt ſæpè impacati, confuſi & immorigeri, ſuis adverſando ſuperioribus, ſemper mœſti & ſuſpicioſi, qvaſi nulla Cura habeatur eorum, qvamobrem cùm exprobrare id cupiunt, commemorant eximia eorum Opera, labores Zelum & multa alia, qvæ qvaliter fecerint, exponunt aliis non ſine murmuratione. Nota hîc, qvod tale damnum & calamitas omnis infertur ſimplicibus hominibus mediante laude & blanditiis, undè Salutis patiuntur naufragium. Hi namq; in ſummo verſantur periculo, qui in præſenti Vitâ non habent unanimem, amicam, fraternam charitatem ergà ſuum proximum, qvi nec veram reſignationem & obedientiam præſtant ſuis ſuperioribus, nil proſunt iis vigiliæ, jejunia, orationes diſciplinæ, labores (exercitia) qvam magna videantur ea. Idcircò præhabitis hiscè externis ſpecioſis operibus (exercitiis) deberent hi antè omnia diſcere, qualiter veram Virtutem humilis reſignationis & charitatis acqvirant, rectamvè intentionem eą omnia faciendi ſolùm propter charitatem Dei & proximi.

Q. Quid ſi in ſe advertit homo, qvod non curando Statum ſuum præclarum, magnumq; nomen, deſiderat humiliationem, ſimplicitatem, obſcuritatem Vitæ & contemtum? R. Tunc cupit Deus magna operari per ejus nomen, cùm gloriam, ſtatum ac nomen non quærit, ſed potius gratum habendo contemtum deſiderat inter alios eſſe minimus, ſi par eſſet, & non eſt ei tunc noxium nomen qvod inter homines habet, qvin opus etiam eſt, ut ſeipſum vincendo grande nomen toleret eo fine, ut ſuum lucretur proximum. Nam & hoc ipſum eſt certus

internæ

internæ mortificationis gradus, cùm hâc in parte se patitur, suamq; Voluntatem offerendo tradit. Procul dubio se longè magis exaltatum inveniet in Deo, cùm & seorsim Deus sit eum illustraturus divino Lumine. Ibidem reperitur hoc, qvod omnis humanus intellectus caligat valdè in his, qvi non fecerunt anteà iter per hanc Viam. Sed uti magnum qvid est in hâc constitui Viâ, ità periculosum est labi in eâ Viâ, qvod fit, si sibi rursus incipit complacere in eâ. Ut itaq; bene sibi consulat, opus est fugere quamdiu potest, ne extollatur temporaliter. Quem autem Deus huc trahere vult, eum oportet freqventer pervadere viam obscuram & ignotam vivendo intereà in Spe & firmâ Fide dicendo: Domine tibi serviendo spero fore, ut in hoc statu inq; tot miris modis nulla fraus subsit, ego verò sustinebo semper. Fit qvidem qvandoq; ut excidat è Fide, Spe & Charitate, intentio tamen in rebus tenet eum erectum: nonnunquàm Charitatem sentit nullam tùm in naturâ tùm in ratione, ceu in qvibus ea prorsus sepulta jacet; ast qvamdiu in resignatione fidelis est ergà Deum adversus naturam & rationabilem Sermonem, sic ut resignando contentus esse velit fugatâ pusillanimitate vitiosâ ac sensuali, quæ finem passionis qværit, tunc benè cedit adhuc. Contrà quamprimùm quærit sufficientiam & commoditatem in rebus sensualibus, aut confert se ad curam externam qvalitercunq; bonam ac spiritualem eo fine, ut suam solvat passionem, non potest fieri, qvin castret charitatem recedendo indies ab eâ inadvertenter. Ex adverso, si Deo fidelis est ac persistens in caliginosâ resignatione, pervenit ad summum gradum charitatis etiam inadvertenter. Perpessis his omnibus purgatum est fundum ab omni proprietate, undè fit, ut aliis hominibus afferat multos Fructûs, præter id, qvod Deum in se suaviter quiescere sentit, ipsumq; se in Deo cunctis in rebus, id qvod melius potest percipi quàm Verbis exprimi. Nam procul dubio, qui hujus nil degustavit, non potest rectè intelligere, qvid sit, Deum in Veritate habere.

Q. Post explicatam superbiam spiritualem, dignare, quæso, etiam

etiam tradere aliquid de Avaritiâ ſpirituali, ſivè de ſollicitudine. Quare prohibuit Chriſtus ſollicitudinem? R. Quia ſub eâ latet defectus quotidianus, hoc eſt occulta prava cupiditas (avaritia) quæ unum eſt è ſeptem mortalibus peccatis, faciens imperceptibiliter damnum omnium maximum.

Q. Annon quis in ſeipſo, nedum in aliis hominibus deprehendit, (dumodò velit obſervare) quonam conatu, quibus inventionibus utantur contrà proximum ſolùm ob temporale bonũ, undè vulgaris titulus, meum tuum? R. Imò hoc non ſolùm; ſed ſi quis in cunctis ſtatibus humanis hoc falſum fundum ceu ignem ferro foderet, annon reperiat ingentem avaritiam, quæ ſub ſollicitudine quæritur atq; occultè tractatur? conſideratione ergò dignum eſt, quod confidentia ergà Deum, qui omnia poteſt, tàm rara eſt, ut etiam hi qui Deo aliàs cordicitus fidere debent, verâ Fiduciâ excidant ob ſollicitudinem. Operantur variè ac ſollicitè, imò & ſubtrahunt ſibi neceſſitatem debitam, quaſi terrena Vita eſſet æterna, qvæ omnia ſic è pravo avaritiæ fundo proveniunt non obſervato, qvod tàm occultè ſe qværunt ubiq; in Verbis, factis, ſervitiis, in honeſto, in utili &c. Cum tamen in animæ interioribus terreri debebant coràm Deo, ſi ad id attenderent.

Q. Annon hæc omnia cernimus quærere homines eoq; reſpicere tàm in Deo qvàm in cunctis Creaturis? R. Imò & nunquàm intermitti obſervamus, qvatenùs hic magnus defectus tàm profundè radicatus eſt, ut nullus reperiatur in homine Angulus, ubi non deliteſcat quærendarum rerum caducarum cupiditas.

Q. Cùm Deus tot bona corporalia & ſpiritualia largitus ſit homini, poſteaquàm fecit eum, inſuper autem & Vitam æternam ſuperaddere velit, homo qvoq; chriſtianus id credat & ſperet, mirum eſt, quod Deo diffidat in minimis, curam autem tantam adhibeat potiundæ temporalis neceſſitatis, qvid de hoc ſentis? R. Imò non ſolùm hoc, ſed mirum inſuper eſt ac deplorandum, qvod homo chriſtianus diu noctuq; omni curâ

&

& industriâ laborat pro congerendis Bonis secundariis, sic quidem, ut hactenùs non sine magno cruciatu se indè expedire, suasq; cogitationes ad Deum verè queat dirigere. Et qvod maximo ejus damno fit, vix cogitat Deum aliqvandò, cùm tot Ideis externarum operationum mens scateat, ut nonnisi rarissimè ad Deum se invertere, tantominus propositum firmum habere queat se occupandi rebus, quæ spectant Vitam æternam eamq; undè promanavit originem: tam impossibile est duobus Dominis servire.

Q. Cum scriptum sit: Quærite primum Regnum Dei & Justitiam ejus, & cætera adjicientur vobis, dic quæso, cur dictum sit, adjicientur, & non potius dabuntur? R. Quoniam bona secundaria sunt tàm exigua in Oculis Domini, ut Deus ea nomine doni nolit dignari.

Q. Qvotuplex est damnum, qvod parit rerum externarum sollicitudo? R. Triplex, primum est, quod excæcat rationem seu humanam discretionem. Secundum est, qvod delet divinum charitatis ignem sivè calorem Zeli in homine. Tertium est, qvod intus claudit menti Viam, qvâ Deus ingreditur.

Nam sicut fumus crassus aut nebula præcludit anhelitum, ità facit sollicitudo, quæ vera Filia avaritiæ est. Cùm ergò homo vivat in tempore gratiæ, opus est, ut sibi cautè prospiciat de eo qvod tractat, ut antè omnia qværat Regnum Dei & Justitiam ejus, ast hoc absconditum latet in fundo animæ, proindè videat opus est, ne velut infructuosum perdatur, sed ut inventum manifestetur.

Q. Cùm autem sit certum, qvod qvicqvid per curam temporalium negligitur hîc, non possit recuperari in æternum, dic quid sit contrà faciendum? R. Requiritur hîc virilis, audax & continuata pugna, si qvis cordatè cupit resistere sibiipsi, maligno Spiritui & mundo, qvatenùs priusqvàm defectûs ejecti fuerint, non reperitur Regnum Cœlorum veraciter. Sed hoc non potest fieri uno simplici conatu, quoniam quicquid hoc loco per Vim sibi cupit homo conquirere, id debet prius

acriter & constanter oppugnare, aliàs non abstrahitur carnalis homo à rerum temporalium sollicitudine: nam vitium est valdè occultum ac profundum in brutali hominis fundo & semper cupit objectum, in quo seipsum quærat sivè in verbis sivè in factis.

Q. Annon occultè se quærit etiam in Deo ipso, ejusq; emanantibus donis? R. Imò si aliud nil potest indè habere, qværit tamen Solatium in Deo, in charitate ejus, & in cœlestibus rebus.

Q. Ast cùm hoc fit, qvaliter debet se gerere homo internus? R. Oportet id in fide perferre sub resignatione profundâ, hoc fine in charitate Dei, & in humilitate sunt facienda Opera bona & exercitia Virtutum, non opus est Deum rogare, cùm sua sponte rependat, si suprà proximum se non extollat cum Judicio, interno Veritatis fundo posthabito, siqvidem id tollit omne meritum Operum, nimirum quia est contrà Dei Justitiam, quam quærere debemus. Deus qvi de naturâ suâ est finis omnium rerum, jubetur loco cedere substitutis rebus caducis, qvas callida natura permutat cum exercitationibus spiritualibus, idq; genus vitii habet commercium cum Simoniæ peccato.

Q. Cùm itaq; hoc falsum fundum sit probè observandum, & Regnum Dei quærendum, dic qvid hoc loco per id intelligatur? R. Quærendus est solus Deus in Veritate, is namq; solus est Regnum, qvod paratum est dari unicuiq; Servo DEI. Huc spectat ea petitio orationis dominicæ, qvæ adeò excellens ac utilis est, ut homo ipse nesciat qvid petat. DEUS autem cùm ipse sit Regnum suum, ubi regnat in cunctis Creaturis intellectualibus, ideò qvod petimus, est Deus ipse cum omnibus Divitiis ejus.

Q. Quid istâ petitione exoratur? R. Id, qvod Deus essendo Pater noster ostendit suam paternam potentiam & clementiam per hoc, qvod in nobis capit locum regendi suumq; Opus operandi sine impedimento, qvod cùm fit, sanctificatur & glori-

ficatur

ficatur nomen ejus veraciter, imò & Voluntas ejus perficitur sic in Terrâ, hoc est, in nobis, sicut in Cœlo, qvod ipse est.

Q. Quamvis homo in hoc passu se sæpè offerat Voluntati divinæ, mox tamen Voluntatem DEI reassumat, contrà qvàm esse debet, dic quid hîc remedii? R. Quotiescunq; accidit hæc extraversio, oportet eum de novo incipiendo, se libere & hilariter divinæ Voluntati offerre in verâ resignatione fidendo paternæ Dei potentiæ, quæ omnia potest, qvaliter id sæpè observavit & adhuc noctu diuq; corporaliter ac spiritualiter observat.

Q. Quânam in re præ aliis prosperantur, qvi Deum intus qværunt, respiciunt, amant, eiq; verè adhærent? R. Præter id, qvod Deus in iisdem regnat veraciter, hoc sibi habituale noscunt, qvod omnis malè ordinata sollicitudo illis penitus exciderit.

Q. Annon tentaret Deum, qvi planè nil curando otiosus expectaret miraculosam sui sustentationem? R. Hic non est sensus hujus doctrinæ, qvasi per eam daretur ansa tentandi Deum: absit! Prudenti circumspectione opus est in cunctis rebus ordinatis pro sustentatione tàm suâ qvàm proximi, sicut ea fiant sub charitate communi bono eo modo, quem rei necessitas atq; discretio exigit. Ideò etiam id, qvod sub Unitate orationis qværitur ac desideratur, necessum est, quæratur & intendatur etiam in omni actione, sivè loqvitur, sivè comedit, bibit, dormit, sivè vigilat, in his & omnibus aliis debet solus Deus respici, non ipse homo. Iste enim est necessarius transitus ad Patriam æternam (originem suam) nimirum per tempus fugitivum & per cunctas Creaturas sine ullâ suiipsius adhæsione.

Q. Qvare solemus dicere, qvod Deus nullum deserit hominem, qvi firma Spe confidit ei, cùm nihilosecius hîc electos suos Amicos sæpenumerò submittat extremæ inopiæ? R. Ideò dicimus sic, qvia illud ut plurimùm fit, verùm qvod DEUS & alterum faciat, id ajunt Doctores fieri triplici de Causa, quarum

Prima

Prima eſt, qvod Deus tentat hominem, num fidere poſſit ei: eò reqviritur vera reſignatio, ſed ad hanc deducit hominem verſatio in adverſitate, mæſtitiâ, paupertate, & miſeriâ tanqvàm quæ ſunt erudientia media.

Secunda eſt, qvod fieri ſolet, cùm Deus in ſuâ miſeriâ adjuvat hominem, ut agnito divino adjutorio atq; paternâ amicitiâ augeatur divinus amor & gratitudo, per qvam in DEUM proximius compellatur.

Tertia eſt, qvod Deus per id judicat eos, qui Dei Amicis non ſubveniunt in miſeriâ eorum, tametſi qveant ſubvenire.

Q. Satis nunc de ſpirituali Avaritiâ: dic autem & qvid cognitum dare potes de luxuriâ ſi non carnali, ſaltem ſpirituali & de Acedia? R. Non vacat hîc de utroq; vitio proferre, qvod par eſt, hinc te remitto ad Caput de puritate animæ, & ad ea loca qvæ de virtutum exercitio tractant, invenies ibi Copiam earum rerum, qvæ huc pertinere videntur.

Q. Video qvod brevitatem amas, idcircò de irâ tantùm erudiri breviter cupio ſuper hâc quæſtione: cùm Rex David & S. Paulus injungant iram; Peccatum verò iræ interdicant, dic qvaliter hæc coincidant? R. Injunctio & interdictio ea ſic poteſt conciliari, qvatenus oportet nos in facultate iraſcibili habere talem repugnantiam contrà omne qvod DEO adverſum eſt, ut ipſo facto appareat, quam promtè velimus, ubi locus & tempus poſtulat aut res ipſa, in meliorem ſtatum reducere, ubi & in quo erratum eſt, maximè ſi ad nos ſpectat correctio; hæc eſt juſta indignatio, qvæ Peccatum non habet.

Q. Annon ſunt multi homines, qui vitia alterius præſumunt corrigere, ipſi tamen labuntur in complures majoresq; defectûs? R. Sunt certè, ſed tales qui ſic operantur ex amaritudine Cordis & cum excandeſcentiâ, loqvuntur dirè, vultum torvum exhibent, hinc pace privant ſe ſuumq; proximum. Cùm infirmantur indè, patiuntur propriâ culpâ, cùm iram aliàs prorſus fugere deberent, ſi nequeunt modo debito, iraſci. Eſt enim magnum artificium iraſci poſſe ſine Peccato, ut vult Apoſtolus: quis-

quisquis hoc non poteſt, accendit propriam Domum, dum vult extinguere alterius incendium. Cùm parvum proximi Vulnus curare volunt, infligunt ei ſimul duo vel tria alia Vulnera. Propterea dicit S. Paulus: Non occidat Sol ſuper iram veſtram: hoc ipſo indicatur matura reconciliatio cum proximo offenſo & offendente, qvantum eſt in homine. Per Solem poteſt in ſenſu ſpirituali etiam intelligi Lumen diſcretionis: nam qui hanc averſatur doctrinam, ſuumq; proximum reddit impacatum, is perdit Deum cum gratiâ ſuâ ſimulq; id omne Bonum, qvod homo ſibi dudum aggregaverat.

Q. Annon & furtum poteſt accipi in ſenſu ſpirituali? R. Cùm ad furtum referatur id omne, qvod homo ſivè corporaliter ſivè ſpiritualiter ad ſe trahit, qvod ad eum non pertinet, hinc procul dubio ſunt eò referendi omnes, qvi ambiunt honores, varioſq; modos qværunt utendi rebus, in qvibus Deum non reſpiciunt, neq; ſeipſos eò qvò DEUS vult applicant, cùm tamen deceat qvemlibet Uſum fructum accipere à Deo cum timore ac tremore. Ad ſpirituale furtum poteſt etiam ſuo modo referri acceptio Eleemoſynarum ſine evidenti neceſſitate (quæ Scrupulo non carent), idcircò perſpiciendum eſt, qvâ de Cauſâ & ad qvid eas accipiat, qualiterq; mereat, qvi eas accipit.

Q. Mendacium qvid eſt? R. Cùm qvis vel apparenter vel verè, Verbo vel facto ſe gerit aliter qvàm Corde intendit, mendacium hoc eſt.

Q. Cùm hoc mundanis ſit valdè familiare, annon à Spiritualibus longè aberit? R. Imò ſunt, qvi ſpirituales apparent, ſpiritualibus tamen valdè diſſimiles ſunt, eò qvod habent Corda mundana, obſeſſa à Creaturis ſivè viventibus, ſivè non viventibus, qvatenus perfectam ſumunt ſufficientiam à rebus temporalibus, qvæ Deum non ſpectant, quales ſunt veſtimenta, ornatûs varii & ſimilia. Qvid qvod hæc omnia excuſant ſub prætextu Juventutis, & recreationis dicendo, ſe hactenùs poſſe DEO facilius ſervire, qvo ipſo vel maximè mentiuntur. An Deo magis ea propter ſerviunt, qvod in ſe trahunt media, quæ verè Deum

impediunt? An Deus ſuaviſſimus Dominus non magis recrearet eos, quàm Creaturæ corruptæ? Eccè mendacium horrendum!

Q. Quid eſt mendacium in Senſu ſpirituali? R. Si quis bona facit exercitia, in quibus ſe magis quàm Deum intendit, idq; perſeveranter (30. ſcilicet vel 40. annis) non agnoſcendo ſe ſuamq; intentionem, mendacium facit ſpirituale. Non eum excuſat ignorantia, cùm debeat obſervare & cognoſcere ſuam intentionem, qvam decet eſſe Deum, non autem ſeipſum, vel mercedem aliquam, Cœlum, vel Voluptatem vel lucrum.

Q. Ut autem homo ſe verè cognoſcat taliter, dic quid eò requiritur? R. Propoſito firmo, magnaq; induſtriâ opus eſt, imò & diu noctuq; penſitandum, qværendum & pervidendum eſt, qvid eum impellat ac moveat ad perficiendas cunctas actiones ſuas: dehinc allaborandum, ut cunctis Viribus dirigat ſua negotia immediatè in Deum; hoc enim modo non loqvitur mendacium. Aſt cuncta bona Opera, qvæ homo aliorſum præterqvàm in Deum dirigit, ſunt mendacia, & qvarum rerum verus finis non eſt Deus, Idola ſunt.

Q. Dic, quare permittit Deus ſæpè, ut homines quantumvis boni gratiæq; divinæ compotes labantur in peccata? R. Unicam ob Cauſam hoc fieri aſſolet, nimirum ut indè diſcant eorum exiguitatem agnoſcere, ſeq; ipſos impoſterum humiliare & vilipendere. Cùm autem Deus Peccatum permittit boni Cauſà, hinc opus non eſt, ut homo qvi fundum humilitatis noſcens Deum ſuper omnia amat & reſpicit, multum terreatur, aut ſtrepitum ſuis permittat ſenſibus, ſi qvà cadit in Peccatum, ſed opus eſt, ut factâ pœnitentiâ Vires ſuas ſecum convertat ad Deum cum Spe vivâ; ſiqvidem Dominus noſter permittebat ſuos chariſſimos Apoſtolos peccare propter idipſum fundum.

Q. Añon rectius faciunt, qvi cùm ab exiguis defectibus prehenduntur, hinc indè diſcurrunt qverulantes & conſulentes, qvaliter ab inqvie conſcientiæ liberentur? R. Fugiant cæci in ſeipſos, hoc eſt, in ſuum fundum, ubi qværantur Deo, redigendo ſe in illud nil

poſſe,

posse, nilq; valere eorum, nimirum tacendo suis se linqvant casibus. Non possunt cuncta facilius superare, qvàm si tentationibus internis & externis secretò se submittunt, ac Deo confisi nil operantur extrorsum, nam istiusmodi tentationes recedunt hactenùs sine damno eorum, etiamsi à cunctis Diabolis essent præparatæ. Si quà verò bonum ac sedulum hominem peccata anteacta aut instantanea angunt, is nedum formidet, sed noscat, pavorem hunc esse Donum Dei. Ideoq; necessum est occurrat Deo in Spiritu simplici, & judicet seipsum juxtà Justitiam Dei contrito Corde ac in Spe expectando misericordiam Domini. Qvod autem seqvitur probè notandum est, qvod alioquin nimis protervè & communiter hoc tempore spernitur: nimirum, incumbendum simul est exercitio spirituali, donec is homo sentiat Peccata sua esse à Dei misericordia penitus absumta. Nec tùm demum desistendum est à modo isto tàm nobili, qvò fructuosè utitur in passionibus ac tentationibus suis, sivè sint durities Cordis, Frigiditas, torpor ac ignavia ad pia exercitia, sivè aliud quidpiam, cùm nil damnabile sit in his, qui sunt in Christo Jesu juxtà Apostolum.

Q. Cùm omnes homines sint Peccatores, non omnes autem peccent uno modo & tamen sit necessarium noscere qvoq; inter Peccatores (saltem inter eos qui se catholicos Christianos profitentur) quendam ordinem, ad quem distinctè referri possit curriculum Vitæ humanæ, undè pro ratione ponderis exponenda venit solutio Peccatorum, quæritur, qvotuplex sit ordo Peccatorum? R. Omnes in universum Peccatores dividuntur in 4. ordines (Classes).

Q. Dic qvales constituuntur in primâ Classe? R. Ad eam Classem referuntur omnes rudes, mundani homines, qvorum Vita deprehenditur superba, temeraria, sine respectu, sineq; timore DEI, qui rerum divinarum curam nullam habentes Deum nec amant, nec quærunt, qui de Deo nil scire vel audire cupiunt, hâc ratione totam Vitam in Peccatis mortalibus transigunt: Cùm aliqvandò Concionem audiunt, id non fit sine tædio &c.

Q. Nunqvamnè tales accedunt ad Dominum? R. Imò etiam nonnunqvàm, qvod fit, cùm tempore Paſchali ad Sacramentum Evchariſtiæ accedunt, qvanqvàm abſolutam Voluntatem non habeant ad Vitæ emendationem, quin potius in antiquis Veſtigiis ambulare cupiant. De talibus hominibus dicit S.
1. Cor. 11. Paulus: qvod qvi in Peccatis mortalibus perſiſtunt, fiunt rei mortis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Q. Ecqvid his ſolet accidere tunc, cùm ex hâc Vitâ diſcedunt? R. Eorum multi cùm ſentiunt, qvaliter ſit comparatum cum illis, cõjiciuntur in maximas anxietates, ſic ut deſperent, ac pereant in æternum. Quidam ex iis exprimunt extremas quas patiuntur anguſtias, qvod ipſum alii aliter explicando detorqvent ad læſam phantaſiam. Verùm tametſi inanis angor extorqueat eam Confeſſionem eorum, id tamen cenſendũ eſt non ſine divinâ verſus alios homines miſericordiâ fieri, cùm Deus id potius ità permittat, ut ab exemplo morti mali homines meditentur converſionem.

Q. Annon his defuit aliqvid ad converſionem? R. Correptio diſſolutæ Vitæ defuit talibus, cùm de converſione eorum ſperandum fuerit, ſi probos Doctores habuiſſent, qvi ſtrictiori diſciplinâ inſtitutâ eos à ſacrâ Communione excluſiſſent, ſtatumq; iisdem longè miſerrimum indicâſſent.

Q. Dic qvales ſunt ſecundæ Claſſis Peccatores? R. Sunt quidem & hujus Claſſis Peccatores magni, apparent tamen in longè aliâ formâ, quatenùs Speciem Sanctimoniæ præ ſe ferunt, bonoq; dato exemplo ſe valdè exercent bonis Operibus.

Q. Quî poſſunt tàm bonæ frugis homines absq; injuriâ vocari magni Peccatores? R. Jure optimo: ſunt enim tales, etſi non omnibus appareant tales. Hi Specie Virtutis decipiunt alios, cùm veram Virtutem non habeant: eorum Vita eſt hypocritica, (phariſaica) ſunt philavtiâ penitus imbuti, ſuperbi, obſtinati, ſeipſos ubiq; quærentes, & ſic interna eorum Vita non reſpondet externæ ſpecioſæ. Sæpeſæpius obdormiunt in Peccatis mortalibus, à qvibus non evigilant, cùm alia ſua Peccata non agno-

agnoſcant, qvidqvod ſeipſos amant, DEUM non amant hactenùs.

Q. Quid ergò ſentis de Viâ, in qvâ ambulant, ſivè de modo & exercitio pietatis, quocum ſe occupant? R. Ea, qvâ ambulant, Via non tuta eſt, quia Deo adverſa. Nam mediantibus modis ac Operibus, qvibus ad Deum ſe putant perventuros, à Deo recedunt longius.

Q. Siccinè falſa eſt ea Virtutis forma? R. Imò falſiſſima, quæ enim Speciem Virtutis habent Opera, quorum eſt humilitas in Verbis ac geſtibus, ea faciunt; aſt in hoc ipſo Opere convertunt ſe ad ſeipſos ſuperbè & cum complacentiâ non ſine æternali damno: nam qvicunq; ſibi placet, contemnit alios.

Q. Annon ſe gerunt æq; ergà alios homines, uti requirit vera humilitas? R. Haud quaquàm! Nam judicant & condemnant alios omnes, qui modos eorum non imitantur. Qvemadmodum Phariſæi quærebant ſemper, qvod Chriſto objicerent; ità & his nemo poteſt unquàm ſatisfacere, ſiquidem præ philavtiâ & ſpirituali ſuperbiâ intumeſcunt. Annon hoc ipſum Peccatum detruſit Luciferum ad orcum? Annon hi ipſi ſub titulo 99. Ovium à Paſtore in deſerto relictarum deſignantur in parabolâ? de quibus dicitur, quod ſint perverſa, Deoq; minimè nota gens teſte Evangelio.

Q. Quid deniq; eſt faciendum ei, qui tale damnum cupit evadere? R. Homo ad ſe converſus non ſuperbire, ſed judicare ſe debet, miſſo alterius Judicio: qvod ſi quid mali patratum fuerit, parcendum eſt tùm ſibi tùm proximo, ne quà proximi lapſus promulgetur; tali modo evadet Judicium.

Q. Ad tertium progrediendo ordinem, dic qvales ſint ejuscè Claſſis Peccatores? R. Sunt ſomnolenti, ignavi & frigidi homines, qvos Deus prævenit, ne in horrenda Peccata ſint lapſi: id cùm cognoſcant Opus divinæ gratiæ eſſe, adeò ſufficit iis ut acquieſcant, nec ullam Curam aut Zelum adhibeant ergà Deum resq; divinas, hinc etſi ſe lectionibus ac evolutione librorum occupent, nil indè deguſtant ſapidi.

Q. An ſola hæc occupatio eorum non ſine Peccato eſt? R. Et mala eſt etiamſi ſola eſſet, ſed non eſt ſola, qvin etiam animus eorum eſt verſus ad Creaturas, qvæ Voluptatem eorum ſatiant, eas hactenùs qværunt, uſurpant, dum variis modis, verbis & factis ſe eò applicant, qvid qvod id conteſtantur ubiq; in veſtitu, in Converſatione, exercitio, ſtando & ambulando, nec deſunt iis nuntii, nec obſunt literæ, qvin extravertant ſe ſub magnâ ſenſuum ac morum incuriâ, ut taceam ſtultiloqvium. His ità ſe habentibus putant inſuper, non facilè lapſuros ſe aut Conſenſuros in Peccata mortalia, comprimis graviora, divinæ prorſus obliti cuſtodiæ. Aſt qvàm malè cum iisdem ſit comparatum, neſciunt ipſi, neq; intelligunt qvàm magno egeant timore.

Q. Poteſtnè infirmitas hæc ſpiritualis illuſtrari per Exemplum? R. Poteſt, nimirum per Exemplum crudi vel nidoroſi Stomachi, nam in hoc impedit contentum olidum excrementum, qvominus homo qveat Cibum edere ſapidum, perditus eſt appetitus ad Eſcam optimi condimenti, ſi manducat, non ſapit Cibus ſed amaricat. Exemplum qvoq; depravati appetitûs exhibent Mulieres picâ laborantes, cùm Terram aut alias res impuras appetunt avidè. Ità comparatum eſt cum præmentionatis hominibus, qvi ſtomachum ſui amoris habent ſcatentem omnis generis impuritatibus è penu Creaturarum congeſtis; hinc appetitus ad bona cœleſtia in illis abolitus eſt, nec ſapit aliudqvid præter amarum ac olidum. Quin etiam fundum eorum internum ceu uterus eſt redditus prægnans à Creaturis ſivè vivis ſivè mortuis, undè depravatè appetunt Terram, cinerem & alia prava edulia. Hæc ſunt talium cupediæ, notæ ſcilicet externæ Vanitatis eorum.

Q. Adhuc qvartus ſupereſt ordo Peccatorum, qvi fortè in parabolâ vocantur Ovis perdita, à ſuo fideli Paſtore tantâ Curâ qvæſita, dic ergò, qvi nam ſint hi? R. Hi ſunt beati Deoq; chari Peccatores.

Q. An fortè tales ſunt hi, qvi vel non peccaverunt, vel ſaltem morta-

mortaliter nunqvàm? R. Non: sed sunt qvi peccaverunt,qvidam etiam diu, graviter, miris multisq; modis, longè magis qvàm alii homines.

Q. Horrendum qvid dicis: qvî possunt beati nuncupari præ aliis, qvi aliis plus longè peccaverunt? R. Nil obest beatitudini multum & graviter peccâsse, ac ea propter nequicquam curandum est; sed hoc cedit magnis Peccatoribus beatitudini, qvod Dominus misericors, cùm se perdiderint, qværit ac reducit eos. Nam tales agnoscunt tùm suam perditionem, tùm exuberantem Dei Clementiam, qvâ sicut fulmine tacti fructuosè resipiscunt convertendo se ad Dominum toto Corde animoq; aversò ab omni eo qvod Deus non est, qvanqvàm hoc ipsum in illis non appareat. Tales, dico, ad Dominum se sic convertunt, ut antè omnia intendant & ament eum tàm purâ scilicet oblatione, ut intus ac extus planè velint, qvod ipse vult.

Q. Ergonè Deus in talibus hominibus nullam sibi à Peccatis illatam injuriam vindicat? R. Deus nil unqvàm ab iis reqviret, sed Peccatorum eorum velut immemor non recordabitur amplius. A qvo enim se à Peccatis averterunt, avertit etiam se Deus ab iisdem: si homo Peccata scire noluerit, nec Deus ea scire cupit.

Q. Cùm autem hîc plurimùm intersit dic qvalis modus huc reqviratur? R. Quamprimùm homo seipso explorato verè ac sine fuco deprehendit, quod è toto Corde cupit amare solum Deum ac præter Deum nil aliud, qvod etiam Voluntas ejus parata sit, omnia qvæ Deus vult, facere, qvæ non vult linqvere, Deum seqvi qvocunq; qvaliter vè traxerit eum sivè mediatè, sivè immediatè iste est reqvisitus modus, cujus interest plurimùm.

Q. Cùm in Evangelio DEUS dicatur qværere Ovem perditam, quid quæso, intelligitur per istiusmodi inqvisitionem? R. Cùm Deus quærit, quærit perditum, vilem, id est, vult habere hominem deditum humilitati, mansuetudini & paupertati Spiritûs, qvi scilicet per resignationem stat impermotus, qvod qvidem non sic est intelligendum, ut qvis fanatico Spiritu se otiosè componat

ponat auſcultatum, qvando Deus velut in ſibilo veniat in ſuſurratum ei; ſed ſic committat ſe divinæ Viſitationi, ut ſe tamdiu patiatur contemni ac ſupprimi, donec didicerit humilitatem in cunctis modis ſine exceptione.

Q. Si forte qvid amiſſum eſt, ut inveniatur, non uno in loco, ſed hîc & ibi tamq; diu qværitur, donec inventum fuerit. Annon ſic Deus qværit hominem, variis modis, variis in locis? R. Sic Deus procedit, cum qværit hominem: idcirco opus eſt, ut homo ſe offerat inveniendum qvalicunq; modo & accidenti mediante, ſivè ſit in contemtu, in humiliatione, ſivè alio qvopiam caſu. Accipiat id omne ac ſi ab ipſo Deo ſic advenerit, qvia Deus qværit eum taliter, qvatenus vult eum redditum manſuetum. Manſuetudinis autem exercitatio conſiſtit in variâ adverſitate, preſſurâ & paſſione.

Q. Nunquid paupertas etiam refertur ad modos præfatos? R. Quinetiam pauperem vult Deus hominem. Idcirco ſi cui acciderit, ut amittat amicos, bona, divitias &c. qvibus Cor ejus adhæret, contentus eſſe debet, eoq; incumbere, ut fundum ſuum Deo offerat nudum & vacuum. Nam Deus te qværit mediante adverſitate, ut juxtà ſuum placitum purificet te, fac ut inveniaris. Qualecunq; adverſum qvod poteſt accidere homini ſivè per Inimicum ſivè per Amicum, per Matrem, Fratrem, Sororem &c. eſt id, per qvod Deus quærit hominem, hâc quoq; ratione eſt ſic recipiendum, qvaſi à ſolo Deo ſibi factum eſſet.

Q. Nonnè per exemplum res poteſt reddi clarior? R. Exemplo ſit Ulcus calloſum, vel ſordidâ Carne repletum, qvod intermiſsâ ſectione deterius redditur, an homo tàm ſtupidus ſit, ut ſpretâ ſectione Sanationem impediat, qvin potius qvemcunq; patiatur dolorem, ut amotâ per ſectionem excreſcentiâ recuperet ſanitatem? Ità in ſenſu præfato oportet etiam hominem pati omne adverſum, pér qvod Deus qværit eum, ut fundum ejus non caducam ſed æternam Sanitatem & Beatitudinem conqvirat.

Q. Siccinè pergrata debet eſſe homini qvælibetcunq; adverſitas?

sitas? R. Imò gratissimâ exceptione debet honorari, sicut homo secum cogitet casum improvisum sic alloqvendi: Inexpectatus qvidem, sed mihi gratissimus hospes es atq; fidelis amicus: tunc flectat se homo humiliter suam tollendo Crucem, ac noscat, qvod Deus qvæsitum veniat eum & cupiat resignationem. Nec enim qværit Deus Tauros & Eqvos, hoc est, homines, qvi dediti sunt externo cuipiam aut singulari exercitio; sed tantùm qværit mansuetas Oves, hoc est, humiliatos parvos homines, qvi visitationem admittunt, qvi, ubicunq; qværuntur, inveniuntur Oves ad omnem passionem ad æqvum paratæ. Incuria aliqva & tranqvillitas hic locum inveniunt, ut homo in omni casu se Deo committat, qvoniam inter omnes homines sunt Deo acceptissimi, qvi resignârunt. Oportet autem resignationem fieri non tantùm circà humanos defectûs qvantum ad sensum, hoc est, mediante aversione & displicentiâ, verùm etiam circà Dei dona sivè Deus largiatur ea, sivè auferat, æquali sensu debet perferri, atq; de tali homine veraciter dici potest, qvod sit Ovis perdita & inventa. In deserto autem relinqvuntur à Christo omnes Oves elatæ, hoc est, homines, qvi super alios se extollendo solent dicere: nos sumus experti varia, è Scholis reportavimus studia, quales verò sunt isti ac illi? Eccè qui linguâ feriunt, comparantur eqvis calcitrantibus. & tamen talium, si Oves esse volunt, sunt longè plures in comparatione 99. desertarum ad unam inventam Ovem. Indè colligendum est, Deum esse deserturum in deserto myriades hominum tepidorum, exuccorum, ambitiosorum & obstinatorum, in qvibus parum frugis invenias, sicut qvidem in talibus vix & ne vix aliqvid fructuosi reperitur.

Q. Quid hoc sibi vult, qvod Christus ovem perditam & inventam Vicinis & Amicis suis ostendit, ut super ea congaudeant? R. Amici & Vicini Dei sunt omnes Angeli & Sancti, totusq; Exercitus cœlestis, omnes Amici ejus in Cœlo & super Terram adhuc viventes congaudent cum eo, & gaudium super Ovem inventam habitum est ineffabiliter magnum, qvod nullus intellectus potest comprehendere.

Q. Quid autem per humeros Christi intelligitur, cùm Evangelium dicit, qvod Christus portet Ovem super humeros levatam? R. Cùm humeri sint partes inter Caput & Corpus sitæ utrumq; attingentes, per hoc intelligendum datur, Christum collocare hanc Ovem inter sanctam suam humanitatem, & inter æternam suam Deitatem. Humanitas fit talium ovium sustinaculum, qvo eas transportat in Deitatem. Sustinet Oves Humanitas & portat eas in cunctis factis earum: Ipse per eas operatur cuncta eorum Opera, sivè tacent, sivè loqvuntur, stant sivè ambulant, comedunt, bibunt, omnia operatur Deus in illis & ipsi sunt, vivunt ac moventur in eo. Ab humanitate egressi perveniunt in Deitatem, & ex Deitate redeunt in humanitatem, & sic pro lubitu intrant & exeunt invento superabundanti pascuo. Hi sunt, de qvibus dicit Evangelium, qvod majus in Cœlo gaudium sit super uno Peccatore resipiscente, qvàm super 99. aliis &c. qvoniam hi sunt Peccatores, qvi dato Deo honore, cujus hîc spectatur gloria, accesserunt ad Christum veraciter.

Q. Annon exemplar imaginis hujus dedit nobis per hoc, qvod fuit factus humilis ad mortem usq; sicut Agnus iñocens & mansuetus? R. Imò antè mortem fuit Agnus, id nobis exemplo esse debet, ut eum seqvuti reddamur similes, post mortem factus est Pastor, ut Oves ejus simus. Ipse verò Os suum non aperuit, cùm fuit delusus, cùm Verbis ac Verberibus inhonestè tractatus fuit.

Q. Cùm hoc Exemplum vel nullam apparentiam habeat hodiè, qvà non tantùm inter seculares, verum & inter eos vel maximè, qvi Deum imitari volunt in Spiritu & Veritate, honoris punctum sit adeò tumefactum in bullam, ut vix inveniatur, qui non sentiat oportere abstergi injuriam Justificatione sui; qvid, qvæso, hîc faciendum censes? R. Capitosi ac obstinati sunt, qvi dicunt stultum agere eum, qvi Deo se & cunctis Creaturis subjicit: authenticum valdè & in Veritate constitutum est antiqvum Exemplum, qvod, qvi Oves Christi esse cupiunt, sivè Cavillis & Convitiis incessuntur aut judicantur duris Verbis, utcunq; tondean-

deantur sivè à Domino qværantur, oportet eos tacere & sustinere tonsuram: sic namq; verè imitantur Christum similes ei facti. Nam Christus ipse clarius tonsuram hanc expressit per parabolam denarij proximè subnexam in Evangelio.

Q. Regerunt autem homines promiscuè & ajunt: oportet qvemcunq; hominem justificare seipsum, neq; tàm leviter suum honorem deserere, cùm suæ famæ desertor de jure sit pro infami habendus, dic qvid ad hoc? R. Cùm sine exceptione omnes debeamus esse Imitatores Christi, committitur unicuiq; ut ad hanc qvæstionem sibi respondeat, si se antecedenter examinaverit, juxtà hunc imitationis Lydium atq; sic deprehenderit, num imitatio fuerit instituta juxtà Imaginem & Vitam Christi (hæc namq; est vera Christi imitatio), num etiam sit factus sic una ex Ovibus Christi, qvæ auditâ Voce ejus seqvuntur eum: id namq; est factu valdè necessarium, qvia sic tantùm & non aliter evadit homo in probum & sanctum hominem. Neq; enim sine causâ patienter pertulit Christus cuncta vituperia, qvin potius per hoc exemplum docere voluit, ut idem facimus & nos. Nam qvi accensus cholerâ perstrepit, non factus est Ovis, sed canis oblatrans vel eqvus calcitrans. Qvapropter est perpendendum, qvid Christus voluerit docere per parabolam de denario.

Q. Qvid, qvæso, designatur per mulierem quærentem denarium amissum, qvid per Candelam accensam, qvidvè per denarium amissum (in Sensu spirituali)? R. In hoc Sensu denotatur per mulierem Deitas, per accensam Candelam Humanitas Deificata, & per denarium anima hominis.

Q. Qvænam sunt reqvisita denarii legitimi? R. Tria reqvisita debet in se habere denarius, qvorum si unum defecerit, pro illegitimo habetur. Oportet eum habere pondus, metallicæ materiæ nobilitatem, & justam effigiem, & sic est factus in monetam (denarium). Qvàm admirandus denarius est Anima, & qvàm incomprehensibilis, qvatenùs ad Dei Imaginem effigiata est.

Q. Dic qvid per pondus, qvod Anima debet habere, intelligitur? R. Pondus Animæ est, qvod Anima est sine pondere, (imponderabilis), siqvidem præponderat Cœlo, Terræ, cunctisq; contentis eorum, saltem respectu ejus, qvod Deus in hoc denario est: taliter ponderat tantum qvantum Deus, & præter hoc nihil ponderat.

Q. Qvæ, qvalis est materia hujus denarii in eodem Sensu spirituali? R. Divinitas immensa est ejus materia, qvæ per supersubstantialitatem ineffabilis Amoris sui se in hunc Spiritum immersit, atq; vicissim hunc Spiritum totum in seipsam absorpsit ac demersit. Quodipsum si homo sibi futurum cupiat, necessum est, ut longè breviori Viâ ambulet qvàm aliàs ambulare solet. Est autem hæc brevis Via longè distans ab eâ, qvàm homo externus sibi eligit, qvatenùs exuperat cuncta exercitia externi hominis, sivè passivo sivè activo modo, idealiter vel formaliter, vel utcunq; fiant.

Q. Quænam est hæc Via compendiosa, qvam homo talis pervadere debet? R. Hæc Via cognoscitur è parabolâ, qvia Dominus dicit, mulier accendit Candelam & qværendo totam verrit Domum: id qvod sic intelligendum est. Sapientia æterna accendit Candelam, hæc est divina Charitas, qvæ debet accendi & ardere in Animâ hominis: hanc Charitatem ignorant Filii hominum.

Q. Quî ignoraret homo Charitatem? Annon est Charitas Dei, si qvis notabilem suavitatem & divinum solatium sentit in seipso? R. Erras! Non est id Charitas (charitatis Essentia).

Q. Dic ergò qvid est? R. Charitas divina est interna paupertas, perpetuum desiderium angor & languor sub divini Solatii subtractione, torrefactio sub ardore internæ paupertatis, atq; id omne cum resignatione perpetuâ & æqvali. Hæc ipsa est Charitas & accensio Candelæ.

Q. Dira hæc accensio, igniq; proxima, quis non exuratur? sed qvid denotatur per id, qvod mulier verrendo totam perlustrat Domum, dum qværit denarium? R. Per hoc designatur perscrutatio hominis, cùm Deus qværit eum.

Q.

Q. Quomodo fit ea perlustratio hominis? R. Ea fit modo duplici activo scilicet & passivo. Activus modus est, cùm homo ipse quærit, Passivus, cum qværitur ipse.

Q. De modo activo qvid habes? R. Cùm ipse homo qværit, facit hoc bifariàm, extus scilicet & intus, qvanqvàm tanta hîc inveniatur disparitas, qvanta esse potest inter Cœlum & Terram.

Q. Dic qvaliter fiat externa pervestigatio, qvà homo qværit Deum? R. Consistit ea in exercitio externo bonorum Operũ, qvod etiam varios modos habet, prout à Deo instigatur & ab Amicis Dei instituitur homo, maximè autem consistit in Exercitio virtutum, putà humilitatis, mansuetudinis, tranqvillitatis, resignationis &c.

Q. Dic etiam nunc, qvaliter fiat interna pervestigatio, qvâ homo activè qværit Deum? R. Ea priorem toto Cœlo transcendit, qvatenus homo intrat in interiora proprii sui fundi qvæsitum ibi Dominum, ubi ipse inveniendus est, cùm Christus dicat: Regnum Dei intrà vos est. Matth. 17.

Q. De modo passivo, qvo homo à Deo quæritur, quid habes refer? R. Cùm ad hanc quæstionem sit in *primâ Sectione Cap: I. Quæst: 5.* responsum, & jam à materiá de Peccato longiùs digressum, hinc te remitto ad locum citatum, dum simul hîc claudo materiam de Peccato & Peccatoribus. Verùm coronidis loco id mihi videtur dignum adjectu, qvod Deo sit olim danda ratio de Vitæ traductione, qvo planè exauthoratur opinio eorum, qui dicunt mandata Dei servari non posse, eoq; præstare tantùm vicem Speculi, in qvo conspicere liceat occultam in Carne naturam depravatam. Nam cùm Peccatum qvodlibet sit ignominiosum Deo, gloriosa autem Virtutis exhibitio, ast neutrum cognoscatur naturatenus, hinc dedit Deus libero homini mandata, quibus prohibetur malum & injungitur bonum Opus, hisq; annexuit pœnam & præmium: extremæ autem malitiæ succurrit misericordia, undè Redemtio, hanc excutit Voluntas prava ingrata: ast huic etiam obviat gratia dans (dona) media Reconciliationis: hæc omnia spernit improbi-

tas, quam hactenùs citat læsa Majestas ad judicium, ubi reddenda est ratio pro factis in hâc vitâ. Judicium hinc spectat transgressionem mandatorum & neglectum mediorum.

Q. Cùm S. Scriptura noscendum tradat, qualiter in extremo judicio reddenda Deo est ratio accurata de Cogitationibus, verbis & factis, imò etiam de acceptis à Deo beneficiis (talentis) vel benè vel malè usurpatis, dic, quæso, annon in tempore sit consummanda hæc ratio, nè serò nimis reqviratur tandem ex improviso? R. Laudanda est tua sollicitudo, si fiat in timore & terrore, ideoq; affirmativè ad quæstionem respondeo, hominem posse prævenire extremam eam horribilissimam rationem, si diligenti expensione quantum conatus mortalis potest, calculus Vitæ formatur, ratioq; Deo desuper redditur dum adhuc sanus & mente constans homo est, id quod potest fieri, si facto quotidiano scrutinio peccata & injustitias abjiciamus, si factâ pœnitentiâ nosipsos coràm Deo judicemus, sic enim possibile est, ut Dei judicium effugiamus. Nam juxtà Augustinum notandum est hoc, quod Deus non amplius recordetur eorum peccatorum, quæ homo pervolvit, confitetur, & pœnitentiâ, quantum in se, expiat; ast vice versâ, quæ homo non curat, sed potius spernit, peccati pondera, ea Deus in Lucem proferet atq; requiret tùm, cùm nulla pœnitentia institui, nulla conversio potest contingere.

1. Cor. 11.

Q. Indica insuper modum, quo ratio proposita queat deduci in effectum? R. Psalmus te docet modum his verbis: Commenda Deo Viam tuam, spera in eum, & ipse faciet. Epaucis verbis potest homo discere viam directam, in quâ errare non potest, quæ & quàm brevis est, siquidem in eâ reperitur, quicquid ad Vitam beatam est necessarium; quin etiam finis (scopus) est cunctarum bonarum exercitationum in hoc libro sufficienter expressarum, qvibus se homo exerceat opus est, si cupit unquàm pervenire ad veram, vivam, fructuosam Christianam fidem, non minùs quàm ad internam perceptibilem Veritatem.

Psl. 36.

Q. Collige, quæso, hîc denuò quasi in unum fasciculum potiorem exercitationum partem, cùm locus, tempus atq; res sic postu-

postulet! R. Faciam quodvis & nominabo hîc solùm id quod in aliis locis latius pervolvetur. Notato ergò, quod in compendio quasi huc pertinent tùm exercitationes externæ, videlicet jejunia, vigiliæ, oratio, devotio, silentium &c. tùm interna expulsio cunctorum Vitiorum ac desiderii versus caducas Creaturas, tùm quoq; interna adhæsio (unio) omnium animæ Virium cum Deo in humili resignatione juxtà exemplum Christi. Neq; enim potest valdè purus liquor conservari in Vase impuro; sic benè ordinata natura (sobria, temperans) efficit pias beneq; ordinatas exercitationes simul & firmum fundamentum.

Q. Qualiter debet homo seipsum judicare? R. Judicium hoc debet fieri non cum subitaneo terrore, nè cadat in desperationem, qualiacunq; etiam commiserit unquàm peccata; sed cum modesta blandaq; severitate, ità ut à suis defectibus humilietur in respectu Nihili, hoc est, considerare debet, quàm id quod à se est & habet homo, sit nihil, atq; dehinc dicere: Domine mi, misera ego tua Creatura à me ipso non possum nec habeo aliud præterquàm defectûs, non sum dignus tuâ gratiâ, concede, quæso, Domine, ut tibi serviam. Quodsi in hoc judicio humiliter se tenet, quamdiu sic facit, tamdiu suis elabitur defectibus imperceptibiliter. Proindè eò saltem est incumbendum sedulò, ut exercitatio talis fiat sine intermissione (quotidiè), sic ut in vero Dei respectu cum amore, humilitate, veraq; patientiâ faciat cuncta sua opera pensitando simul judicium, quod suprà seipsum tulit. Ità quidem se gerat oportet, quatenus cuncta Opera, quæ non ex isto fundo proveniunt, nullum fructum afferunt.

Q. Annon dehinc & aliud quid fructuosi resultat? R. Imò nullâ re magis citiusvè fugatur Diabolus, quàm humili hoc judicio atq; in Deum fiduciâ: & quoniam timet fore, ut homines sic è manu ejus eripiantur, excitat in iis pravas cogitationes, quasi diceret qvis: quid hic moraris cùm pati hæc neqveas? probabiliter ad ista non es vocatus, fac aliis similiter, qui etiam ad Cœlum pertingunt. Hîc est necesse, ut homo internoscat insusurrationes diabolicas, resistatq; inspirationibus inimici, invocet miseri-

cordiam

cordiam Dei, rogando Dominum, quo eum dignetur habere acceptum pro servo suo. Interim quoq; necessum est, ut servet suam naturam in bono ordine, ne quod semel inceptum est boni, per Vitam inordinatam rursus destruatur, id quod Author sincerè monitum vult. Verùm in castigandæ naturæ modo non est excedendum, quoniam Diabolus hîc etiam solet venenum suum inspirare; qvodsi infirmus reddaris aut Spiritus turbetur, noli mutare locum cum naturæ difficultate, sed mane ubi convenit, cùm Deus etiam veniat rogatus quaquaversum sine loci discrimine: homo ergò ubicunq; est, vertat se ad seipsum observando Verba Prophetæ: commenda (confitere) Domino Viam tuam, & spera in eum, ipse facieť.

Q. Quid est, qvod homo noscendum det Deo Viam suam, cùm Deo absq; hoc universa sint manifesta? R. Id sic est intelligendum: oportet, ut ipse homo confitendo revelet immundam, cæcam, defectuosam atq; perversam Viam. Nam in verâ, humili confessione defectuum consistit primus aditus ad Deum, qvi cunctis electis Dei amicis concessus est. Qvalescunq; defectus sint, de iis accuset se, qvalem gratiam à Deo desiderat, qvid eum impedit, hæc omnia soli Deo revelet confidenter tanqvàm Amico fidissimo: sicut enim nemo potest Deum diligere nimiũ, ità nemo potest ei confidere nimium, cùm Deus sit infinities plus paratus ad dandum, qvàm homo ad accipiendum. Si qvis ergò à Peccatis plurimis absolvi, tùm etiam gratiâ abundare cupit, confidat se cum verâ fiduciâ, non autem in Vitâ perversa, nam sic amissis vitiis acqviruntur Virtutes. Plura de his inveniuntur in aliis locis.

Q. Expensio sententiæ, qvam Judex vivorum ac mortuorum contrà malos pronunciabit diffinitivè & exeqvutivè, adeò me terret, ut mallem adhuc semel tanqvàm in compendio abs te audire, qvinam possint effugere diram eam sententiam, à qvâ non datur appellatio? R. Annon tibi antecedenter dixi, qvod eam effugere possunt omnes, qvi Verbum hoc acutum benè considerant in Vitâ suâ, adeoq; cum Deo transigunt prævià pœnitentiâ

tentiâ & bonâ Vitâ? Nam ſic prudenter ſubducunt ſe laqveis Diaboli, ne vinctos eos tradat judici damnandos. Id ſuo tempore omnes ſervi Dei seriò conſiderârunt, qvi Deo per bonæ Vitæ regulam reconciliati, ſententiam eam à ſe declinârunt, unusqvisq; juxtà ſuum modiolum, qvia non omnes juxtà perfectionem.

Q. Cùm autem unus plus minus alio doleat de Peccatis, plus minus qvoq; regulam Vitæ obſervet, annon verendum eſt, ne qvà debiliores non reconcilientur? R. Non eſt verendum, qvoniam qvi ſunt inventi boni ſic ſalvabuntur, nè adverſus eos dicatur Verbum dirum, tametſi in ordine ad perfectionem non fuerint ſimiles robuſtis in Fide. Cùm autem unusqvisq; accipiet ſua meritis condigna vel præmia vel ſupplicia, majora reddentur perfectioribus, minora debilioribus: diverſitas hæc meritorum & præmiorum eſt indicata in S. Scripturâ. Quilibet abſolvit ſuum penſum juxtà collatam ei gratiam diverſo valdè modo, qvidam totâ die, multi unâ horâ laborant in vineâ juxtà Vocationem Dei, diverſus ergò labor eorum non poſtponit eos, neq; excludit à ratione Salvationis. Unumqvemq; hominem (qvem Deus juxtà propoſitum vocat ad pœnitentiam) vocat Deus foris modo ſingulari ad ſerviendum ei, hinc juxtà modorum Singularitatem variant cujuslibet Opera, omnes autem eâdem Charitate meritoriâ laborant, hoc eſt, omnes ac ſinguli ſivè electi ſivè juxtà propoſitum vocati dilexerunt juſtitiam per charitatem & malitiam oderunt.

Q. Quæritur ergò, qvomodò qvis poſſit ſibi proſpicere, ut juxtà Vocationem ſuam perſeveret in bono, nec eò recedat, ubi impingit in laqveum maligni Spiritûs? R. Id poteſt 4. modis fieri, qvi breviter ſic declarantur, ſi totum negotium reducitur ad compendium.

1. Modus eſt, ut homo ſincerus ac circumſpectus ſummo ſtudio devitet peccata propter Deum, conducet autem non ſolùm ad ejus converſionem, verùm etiam ad gloriam Dei, ſi paſſionem & inprimis 5. Vulnera Domini noſtri Jeſu Chriſti ſæpeſæpius

expendat & contemplando ea veneretur quotidianâ devotione & oratione.

2. Modus est, ut nimiam naturæ suæ Concupiscentiam coërceat de die in diem, de horâ in horam, non quidem ultrà sed juxtà Vires naturæ. Ut autem & hoc facilius præstet, studeat solus & à conversatione abstractus esse non qvidem captandi otii, sed boni Operis (Exercitii virtutum) gratiâ.

3. Modus est, ut desiderium humanum, imò & totius mundi excludat è Corde suo, maximè earum Creaturarum, qvarum Deus vera causa non est, tanqvàm qvas cum DEO ad æqvum dilexit, insuper & à DEO flagitet castigationem temporalem, si suis Peccatis pœna adjudicata sit. Hoc ipsum succedet melius, si seipsum affligat tùm deploratione Peccatorum, tùm veræ ac sufficientis pœnitentiæ optatu. Huc etiam inservit examen & condecens Vitæ suæ ordinatio, qvæ fieri potest reducendo paulatim virtutum exercitium instrictiorem observantiam forinsecus, nimirum ad exemplar Vitæ Christi juxtà obedientiam, sed tamen hæc omnia propossibili cum tolerantiâ, id est sinè naturæ suppressione.

4. Modus respicit seqventia tempora in supposito profectûs, ne qvà, cùm Deo placuerit homini exercitato mittere Calamitates multas qvæ intus & extus affligunt tantoperè, ut exercitii continuationem abhorreat, se fugâ eripiat indè, vel spirituale solatium quærat, sed potius dura quævis patienter perferat, Spiritu pauper sic evadendo. Is namq; modus est, qvo vera Charitas potest addisci, qvæ non suum, sed amati boni qværit commodum: taliter qvoq; producitur paupertatis nobilitas, qvæ in eo consistit, qvod propter Opera & merita non exigit mercedem, nec indigentiæ molestiam perhorrescit.

Si qvis hos 4. modos observando ad Usum deduxerit, Spem habet perseverantiæ, imò & potestatem perseverantiæ, dumodò modorum acerbitatem non aversetur imposterum. Hujusmodi homines non desiderant temporale solatium, nullam mercedem à Deo cupiunt in æternum, non proprium comodum, sed

ſed tantùm Voluntatem Dei reſpiciunt, qvos ideò mirantur alii homines, qvi cùm ſpirituales eſſe debeant, ſaltem ſerviunt pro mercede vel temporali vel æternâ.

Cap. VI.

De Gratiâ Dei & Conſcientiâ.

Q. Homo chriſtianus, qvi originalem labem (naturæ pravitatem) tùm & Redemtionis cognoſcit gratiam, ſi peccat contrà mandata DEI, fit reus Criminis læſæ gloriæ S. Majeſtatis divinæ. Cùm autem ſupplicium promeritum qveat tolli per Reconciliationis gratiam, hæc etiam impetrari debeat per media convenientia, qvæ ſunt Opera bona, hinc opus eſt homini noſcere ſpeciatim ea Opera; qvibus mediantibus acqvirat eam gratiam. Hæc igitur in ordine hîc pertractanda forent; aſt operæ prætium eſſe videtur præponere aliqvam notitiam de Dei Gratiâ & Conſcientiâ peccatoris, non qvidem qvid ea ſit in ſenſu communi, qvandò obtineatur, qvid ejus neglectus & alia, qvatenus hæc omnia in libris polemicis abundantiſſimè pertractantur, ſed qvid in Senſu ſpirituali de eâ noſcendum ſit peccatori bono qvi à Peccatis averſus & ad Deum converſus eſt. Semotâ ergò prolixitate dic qvid Author noſter doceat de auxiliis, qvibus impetratur gratia Dei, in qvâ Salutis ſumma conſiſtit? R. Sic dicit Author noſter, qvod diverſa paſſim in Sacris decantantur media, qvorum reſpectu Gratia Dei impetratur, aſt præſuppoſitis neceſſariis mediis qvæ cunctis Chriſtianis nota ſunt ex Catechiſmo, reſtat modus vel unicus, qvo cum felici ſucceſſu utitur, qvisqvis eo utitur. Nam ſi homo ſemper in timore Dei verſatur ſollicitus ne mundo magis, minus autem Deo ſerviat, futurum eſt, ut ſemper aliqvid novi Luminis gratiæ adipiſcatur.

Q. Cùm ſine Dei gratiâ nullum ſit meritum, dic, qvæſo, qvinam ſine gratiâ Dei vivunt? R. Quoscunq; tepidos aut frigidos

vocamus, hi omnes carent DEI gratiâ, nec diliguntur à DEO. Scriptura S. vocat eos naturales, tepidi verò vocantur, qvatenus indulgent naturalibus inclinationibus & affectionibus. Enimverò cùm nemo possit duobus Dominis servire, non Deo & naturæ, seqvitur eos non Domino servire, qvi naturæ obediunt, sic cùm Deus non diligat nisi suos vel Servos vel Amicos, seqvitur naturæ (carnis) Servos non diligi à Deo, eoq; non perfundi ejus gratiâ.

Q. Annon sic est, qvod qvi in Mundo & Carne vivunt sub scandalis & irritamentis malorum, bonis suis Operibus abstergunt quotidianos errores (vitia naturalia), qvibus indies contaminantur? R. Id non est sic, nec fieri potest sic. Nam certocertius est, invalida, vana & infructuosa esse cuncta hominis bona Opera, (tametsi omnium hominum bona Opera essent) si sine gratiâ Dei sit. Ast in qvotidianis erroribus (Vitiis naturalibus) persistere est prorsus sine gratiâ Dei vivere. Fiat ergò Conclusio: vana esse cunctabona Opera eorum, qvi perseverant in Vitiis naturalibus. Cùm Charitas Dei diffunditur in Cordibus hominum, tunc dicimus ortam esse gratiam seu Lumen illuminans animam: lucente hoc Sole dispelluntur tenebræ. Utinam omnes qvibus lucet Sol gratiæ, removerent media soli obstantia, nam sic futurum esset, ut Sol illuminando calefaceret, imò accenderet mentem, hactenùs qvoq; abstergeret frigiditatis infamiam simul & teporis opprobrium.

Q. Cùm Lumini gratiæ id accidat, qvod à mediorum obstaculo velut ab interpositâ densâ nube intercipiatur sic ut mentem nec illuminare possit nec calefacere, non nunqvam etiam fiat, ut velut obliqvo radio se subitò fundat in mentem, mox tamen præclusâ rimâ discutiatur, hinc autem dici qveat, non omnes qvos gratia Dei allucet, habere eam, idcircò dic velim, qvaliter se gerunt credentes illi, qvi lumini gratiæ qvandoq; illapsum admittunt secundùm magis & minus, non tamen semper nec totaliter, hactenus qvoq; malunt tepescere qvàm incalescere? R. Tales manent semper Tyrones, qvi rudimentis tantùm insistendo nun-

nunqvam progredi cupiunt: nam à qvo disciplinam hilariter aggressi sunt non minus conatû externo qvàm bono proposito, versantur in eodem omni tempore sic ac nil aliud sit præter hoc agendum, qvo qvidem crasso Opificio ut juxtà assuetudinem delectantur, ità suos sibi fingunt modos & regulas, qvas ut & aliis imponant perseveranter sic retinent cavendo ne Opera, Jejunii scilicet Vigiliarum, precum &c. excedant, interim autem nesciunt, hæc omnia reddi irrita propter illa media qvæ Lumen divinũ obscurant. Hæc autem cuncta media intercurrunt ideò, qvia suum internum fundum non sedulò observant, prætereà qvoq; sic naturali im̃orantur sensualitati, ut semper faventes ac pariter non faventes suo sensu percipiant. Ecqvis autem non videt, indè provenire injustitiam, iniqvas censuras, prorumpere qvoq; varios defectûs, putà spiritualem & naturalem superbiam, obstinationem, iracundiã in Verbis vel factis conspicuam &c. qvi omnes reddunt hominem incapacem divinæ gratiæ, cùm ut plurimum è fundo mentis falso, impuro & appropriato emergant. Iis è contrà ad obtinendam gratiam Dei summè necessarium erat sibi prospicere, qvo fundum eorum eradicatione qvamprimùm purgetur, eoq; cavere, ne qvà dehinc vel ipsi vel ei præsentes offendantur.

Q. Quales autem sunt, qvorum fundum perradiat æternum Lumen tametsi non plenâ illustratione, sic tamen ut gratiam suam pro modio suo infundat? R. Hi tales sunt, qui mundo contemto defectûs majores exstirpârunt, & hactenùs ad altiorem gradum evecti sunt. Hi tametsi sub exercitio Virtutum continuato rationabiliter ac prudenter procedunt, nihilominus captum è donis Dei solatium & oblectamentum sibi retinent appropriatione quâdam illicitâ, quo fit, ut summo quod unicè consectandum erat Bono neglecto non pertingant ad ipsam proximam summamvè Veritatem.

Q. Quales sunt deniq;, quos pleno Lumine divinum jubar illuminavit sic, ut gratia dicatur in iis abundare, prout in B. Virgine, quam Angelus gratiâ plenam prædicabat? R. Tales sunt nobilissimi

bilissimi omnium atq; perfecti homines, qui aliud nil curant nec diligunt præterquàm solum Deum in ipso Deo, hactenus non solatium, non delectationem, nec ullam rem respiciunt nec etiam ad dona quædam quæ fluunt è Deo. Hujusmodi homines crebris motibus intus demergunt se in Deum quàm simplicissimè, adq; nominis sui gloriam tantùm id quærunt, ac desiderant, ut impleatur Voluntas Divina per Deum tàm in illis ipsis quàm in Creaturis cunctis. Hoc solo fine ea qvæ deserunt omnia rursus à Deo recipiunt grato animo, sed redaccepta hæc dona denuò offerunt ei absq; sui arbitrii reactione, & taliter cum donis à Deo profluxis remeant in Deum ipsum sine interceptione, hinc nequit fieri, qvin Deus eorum sit sustentatio tàm externè quàm internè.

Q. Cùm in ejusmodi hominibus reperiatur naturale beatitudinis desiderium atq; possessio Dei, annon hæc ipsa cura Boni quà sui est imperfectio aliqva? R. Est; & hâc ratione, quod qvis quamdiu natura est, habet naturalem ad beatitudinem appetentiam seu reflexum ad seipsum, nunquàm potest esse absolutè perfectus. Verùm hæc imperfectio parva est, dummodo id desiderium seu reflexus sit parvus & sine evidenti respectu tanquàm Boni sui. Præstat autem his omnibus qvamprimùm qvis reperit appetitum qvendam habendi Deum ejusq; gratiam vel simile quid, ut per eum nil aliud qværat vel curet qvàm nudam sui sustentationem, sic namq; id omne, quod anima desideranter ingessit, sub Charitatis actibus iterum absumitur: & futurum insuper sic est, ut, postquàm tàm Spiritualia quàm Corporalia Dei dona obtulerit ei sub sui abrenunciatione, reddatur capacior adeptionis dignusq; universâ hæreditate Dei in hoc & futuro mundo.

Q. Dic quales videntur esse prænobiles ejuscemodi homines, qvi se in Deum semper demergunt? R. Hi speciem externè præ se ferunt hominum inutilium, abjectorum & perditorum, cùm sint & humiles & minimi, qvi se non extollunt Verbis vel factis, modis vel mandatis; internè verò latent in iisdem Vivæ verita-

tis venæ ac Dei, quâ ſuſtentantur, portio: tales ſunt, qvi placent DEO.

Q. Dic etiam, quid in ſe exhibere debeant hi, qvi Deo placere cupiunt? R. Debent eſſe puri ſeu purificati ab omnibus maculis internis & externis, alioqvin Deus non habet curam eorum, qvin potius permittit eos abduci in varios errores intrinſecùs forinſecùs.

Q. Quodſi qvis deſiderat eſſe depuratus ab inqvinamento peccatorum & habere cor purum, vacuum & abſtractum ſic, ut Deum hactenùs in Spiritu videre, inſtinctum & alloqvium ejus animadvertere poſſit, dic qvid eò reqviratur? R. Hìc opus eſt homini, ut à Deo nactus gratiam antè omnia trahatur, quò propriam ſuam Conſcientiam diligenter perſpiciat, atq; diſcat eam purificare mediante mortificatione peccatorum intus forisq; antecedenter commiſſorum.

Q. Qvid eſt Conſcientia? R. Eſt tùm actus tùm affectus homini proprius, qvi indicat homini ineſſe animam & ſpiritum ſeu juxtà qvosdam duas animæ partes longe diverſas, qvia ſe mutuò oppugnantes.

Q. Quid eſt bona Conſcientia? R. Eſt tranqvilla, pacata, ſincera mens, parva in ſe & humilis, qvæ nil niſi gloriam & voluntatem Dei deſiderat, perſiſtens aliàs immotè in accipiendo & dando ubiq; ſine delectu eum in finem, ut ſalva fiat, & ut in eâ divina voluntas perficiatur.

Q. Qvomodò conſervatur conſcientia in tranquillitate? R. Sic 1. ſi homo providus cavet ſibi ab omnibus, qvæ Deo & conſcientiæ ſuæ adverſantur tàm in minimo qvàm in maximo. 2. ſi homo indefeſſo ſtudio utitur iis rebus, qvæ ad gloriam Dei, commodum Eccleſiæ & Utilitatem proximi faciunt, idq; juxtà ordinem, in qvem vocatus eſt homo. Is namq; tranqvillus eſt nuspiam, qvi modos & ordines juxtà ſuum captum convellit, cùm tamen vix aliqvid ſit, qvod juxtà ordinem & modum ſuum non ſit laudandum. Ideò qvidqvid juxtà ordinem, decorem, modum & menſuram ſuam peragitur, affert reqviem externè & internè, idq; veraciter, ſivè homo ſciverit aut neſciverit. Q.

Q. Antequàm conſcientia perveniat ad eam tranqvillitatem ac puritatem, dic, qvid præcedere ſoleat? R. Puritatem conſcientiæ longe antè præcedunt dira, freqvens paſſio, intern⁹ morſus & correptio, hanc ſeqvitur agnitio pergrandium peccatorũ, qvorum pœnitet auctâ contritione; deindè incipit vitare malum reſiſtendo non ſolùm peccato, ſed etiam cauſæ peccati cui diſcit emori, ut pura evadat, nec amplius conſentiat ei. Hoc facto incipit exercitium boni & oppugnantur voluptates (deſideria Senſuum): qvid qvod ad Regis David exemplum homo ſibi ſubtrahit aliqvid de rebus licitis, in Cibo, Potu, motu & quiete &c. eum in finem, qvo corrigat ſe & obſeqvatur conſiliis Evangelii: ſic fit, ut ubi concupiſcentia fuit antè ſaturata Voluptatib⁹, nunc ibi torturâ crucietur. Sub horum exercitio diſcit conſcientia purgare ſe à deſideriis, quemadmodum antecedenter conata eſt ſe cuſtodire à grandioribus peccatis.

Q. Qvid autem intereà patitur Corpus? R. Externo homini interim accidunt multa incommoda, quæ Corpus ægerrimè tolerat. Nam cùm eò pervenerit per Dei gratiam, ut ſuperatis peccatis gravibus Victoriam Spiritûs obtineat, incipit Corpus animale recalcitrare deq; in asſvetudine conqueri ægrè ferendo ſvetarum Voluptatum jacturam; hinc fit, ut homo ſe vix ac nevix patientem, rectum & ſimplicem qveat gerere. Nam invenit ſe pace privatum, plenum defectuum, videt etiam perverſum ſuum animum averſari diſciplinam, ſeq; non poſſe modum tenere in ſenſibus externis, perferendo ſilere non vult, quærit, cui queratur, & qui bonorum ſuorum Operum jactantiam magnipendat. Quod non amat, vituperat, cui invidet, hunc rejicit, in lucro complacet, in damno contriſtatur, quod dulce, gratum eſt, ingratum quod acerbum, quod laudat laudatum cupit, quod Vituperio ſiſtit, nemo laudare auſit. Eccè quàm homo tunc incipit ſeipſum erudire, quàm diſcit adſe divertere, quo cognoſcat ſe qualis ſit, quantumvè poſſit à ſeipſo perficere. Hæc & ſimilia tunc vellet è Conſcientiâ pellere purgando eam, verùm hîc magnam ſubit difficultatem, eò quod paſſio, Calamitas, opprobrium

& ſuppreſſio videntur ejus naturæ eſſe qvid intolerabile. Quin etiamſi dehinc anxius in Conſcientiâ confiteatur coram Deo & coram hominibus, ſe malè acturum, ſi ea committat, nihilominus cùm adhuc ignorat, qvid ſit emori Concupiſcentiæ, futurum eſt, ut facilè qvâ datâ Causâ labatur in eam, ſiqvidem adhuc in fundo ejus deliteſcunt prava deſideria, ad qvæ forinſecùs tantoperè inclinat. Hinc valdè neceſſarium eſt ſe exercere juxtà exemplar Virtutum externarum Domini noſtri Jeſu Chriſti, cauſas unà devitando ad quas propendet: notandum hîc, qvod homo progrediendo velut per gradus proficiat indies in melius. Nam poſteaqvàm ſe ſic exercuit, incipit paulatim ſpirituaſcere in Vitâ actualiter virtuosâ: & hanc ipſam oportet incipere ardenti cum oratione qvæ ſcaturit è pugnâ cum Peccatis inſtitutâ, ut antecedenter dictum eſt. Qvidqvod è tali oratione promanat vera pœnitudo de cunctis Peccatis, tùm & contemtus ſuiipſius ſuæq; nefariæ Vitæ, indè ſeqvitur bona intentio ſe conferendi ad paſſionem cunctorum malorum, moleſtiæ ſcilicet, adverſitatis, oppreſſionis, vituperii & omnis generis Calamitatum, in qvibus verſatur, aut qvæ accidere poſſunt, ſeipſum in iisdem Deo offerendo. E Charitate qvoq; diſcit veram reſignationem & patientiam, qvæ eſt fundata ſuper Fidem & Spem in Chriſto, nil ſibi in proprium retinendo, ne qvà maculetur puritas Conſcientiæ. Paulopoſt acqvirit inſuper humilem deſpectionem ſeu tædium ergà ſeipſum (undè derivat ſui Cordis cuſtodia ne judicet) occludendo ſenſus externos qvamprimùm ſentit tentationes, qvod ſic poteſt explicari: præcavet ſedulò cunctas cauſas, ne locum hoſti concedat, nuſpiam adhæret niſi DEO & qvidem cordicitùs, patienter perfert ad finem usq; qvæcunq; ſunt ſuſtinenda ei, neq; ſe liberari cupit ullo mediante ſolatio ſivè corporali ſivè ſpirituali, donec Deus ipſe liberet eum.

Q. Quid ex his omnibus progignitur? R. Id, qvod patitur ſe corrigi obſeqvendo ſuperiorum conſiliis Deoq; ſe ſubjiciendo. Obſervat antè omnia, qvid ſibi ſit præſens, cumq; pernoverit, qvid ſit, exercet ſe in eo, ſi bonum eſt, agit gratias, ſi eſt tentatio,

eam oppugnat: intereà discit vitare querelas; ast si qvà ducit querendum, queritur soli Deo rogatum perseverantiam, qvod restat, à nihilo extollitur, non sibi complacendo explet in solo Deo desiderium. Gratus est ac benignus qvalitercunq; secum agatur, proximum amat compatiendo ejus infirmitati, foris fugit cuncta incompatibilia ut & qvamlibet Cordis extra versionem comprimis in lætitiâ, devitat etiam teporem exercitii, nec minus excessum internæ delectationis. Enim verò bonum est, qvicqvid ad Deum pertinet, hinc est manendum homini in suâ custodiâ (angustiâ) non altum de se sed parvum sentiendo: sic qvicqvid suadet alteri vitandum, fugit ipse, puta obstinationem, qvam prorsus exuit contrario modo studendo ædificare se super suam parvitatem & imperfectionem, curat insuper, qvo se in omni passione Deo offerat, Vitam & passionem Christi in Corde suo circumferat, nulliq; Creaturæ sine Deo adhæreat eo sanè fine, qvo solus Deus sit ejus Charitas, qvi Cor ejus expurget adeò, ut discat in vivis videre Deum in Veritate, atq; per eam contemplationem impetret clariorem aspectum in æterna beatitudine.

Ad bona Opera nunc est pergendum speciatim, qvorum medio impetratur gratia Reconciliationis, inter qvæ primum locum sibi vendicat pœnitentia, qvæ ideò habetur pro Sacramento qvod est tàm necessaria, ut sine eâ Peccator actualis Deo reconciliari neqveat.

CAP. VII.

De Pœnitentiâ.

Q. Qvid hîc adscribis pœnitentiæ negotium reconciliationis, annon sunt qvi aliter credere nolunt, qvàm qvod sola Fides justificet, sivè impetret gratiam reconciliationis? R. Sunt qvi sibi tàm falsam Fidem fingunt & hactenùs mentiuntur Spiritui S. qvi per Scripturam docet aliter.

Tu

Tu ergò à tali Fide averte animum, ne offendatur. Fides vera & sola non justificat hactenus, sed damnat actualem peccatorem, qvà objicit menti id, qvod credit è Scripturâ, nimirum uti S. Paulus dicit: qvod qvi talia (peccata mortalia) faciunt, Regnum Dei non possidebunt: & uti Psalmus habet: si justus vix salvatur, injustus ubi manebit? Et juxtà Prophetam: qvâ horâ justus peccabit, omnis Justitiæ ejus non recordabor amplius, & alia innumera, qvibus Peccatori qvà tali præcluditur Via ad gratiam, Justitiam, Regnum Cœlorum. Fides qvoq; vera indicat verum Reconciliationis medium, qvatenus ducit hominem ad dicta Scripturæ, qvæ citant Peccatorem immediatè ad pœnitentiam, ut: desiste à malo & fac bonum: Tollite malum ab Oculis meis, tunc venite: & ex Evangelio: pœnitentiam agite, & Fructus dignos pœnitentiæ. Hiscè præmissis promissæ gratiæ certiorem Fides reddit peccatorem.

Q. Quid est Pœnitentia? R. Pœnitentia est Virtus, per qvam homo à Peccatis liberatur, si vera sit atq; discreta. Vera dicitur ad differentiam falsæ aut extortæ. Multoties namq; accidit, qvod homines aut propter gravitatem peccatorum suprà modum, discretionem & Fidem doleant, ut Cain & Judas; aut parum vel propemodum nihil doleant fictâ fiduciâ & Corde impuro, hi omnes ignorant, qvæ qvalis sit vera Pœnitentia. Accidit autem sæpenumerò, ut & alii (id est eorum aliqvi) qui non obscuram veræ Pœnitentiæ cognitionem habent, labantur ad tempus in indiscretam pœnitudinem, sicut in confusione suâ eos pœniteat Creationis sui & mortem antè tempus invitent &c. Consimili Specie impatientiæ ac diffidentiæ offendunt DEUM gravius qvàm unqvàm eum offenderunt suis Peccatis: hactenùs non perpendunt ad veram Pœnitentiam requiri humilitatem internam, tædium & aversionem à Peccatis, firmamq; in Deum fiduciam.

Est autem Clementia & Misericordia Domini DEI nostri tàm magna tamq; profunda, ut nec velit nec possit dedignari veram Peccatoris pœnitentiam, tametsi, (si esset possibile) omniũ

 homi-

hominum peccata quotidiè millies patrâsset. Id qvod perspicuum reddit sensibilis animi refectio, solatium, gaudium, & tranqvillitas, qvales affectiones nullatenùs è Vitâ inculpatâ proveniunt, sed exindè qvod peccata, defectus & indignitatem suam, vicissim qvoq; Domini nostri Clementiam, suavemq; sui præsentationem agnoscunt, cujus causam Deus non habet aliam, qvàm suam Charitatem, cùm nullius indigeat probitate. Hoc solum est, propter qvid Deus usq; adeò dulcis ac suavis est animæ amanti, ut nunqvàm satiari possit laude ejus. Et qvantum è Scripturâ cognoscitur, dantur tepidi homines, qvi minorum peccatorum sibi conscii nec proficiunt, nec præ amore inardescunt, sicut qvidem hi, qvi propter graviorum peccatorum remissionem Deo exhibent gratitudinem & amorem, hactenus qvoq; Deo longè acceptiores deprehenduntur, uti per exempla probatur, qvoniam scriptum est: multa ei remittuntur peccata, qvia multum dilexit. Non respicit Deus, qvalis anteà fuit, sed qvalis posteà est aut esse vult homo, sic & in multâ remissione Peccatorũm consistit magna Dei gloria, ideoq; si quis est, qvi magnam Dei miserationem, multamq; remissionem in dubium revocat, is Dominum suo honore privat. Aliàs qvo homo plus habet pœnitudinis, hoc ocyus peccata remittuntur ei. Vera autem sivè essentialis contritio est totalis ad Deum conversio, hoc est, externa & interna, insuper & totalis aversio, id est, qvà totus homo avertit se ab omni, cujus causa non est solus Deus. Hanc enim ajunt optimam seu meritoriam contritionis veræ partem esse, si homo fiducialiter se mergit in Bonum optimum, qvod Deus est, cum desiderio sempiternæ immanentiæ seu amorosæ adhæsionis, nec non cum Voluntate sincerâ implendi qvantum in se, dominicam Voluntatem. Quicunq; essentialem hanc habet contritionem, ei sine dubio remittuntur peccata ad plenũ omnia. Noscendum est, qvod eo tempore, quo homo se à Peccatis avertit ex toto animo & cunctis Viribus, sibiq; solum Deum colendum proponit in servitute perpetuâ, fit, ut DEUS respiciat eum, ac si nec unqvàm peccâsset, non solùm remittendo

do sed nec unquàm vindicando peccata tametsi gravissima forent, & si possibile omnium hominum peccata; siqvidem Deus cuncta peccata remittit cunctis fidelibus pœnitentibus, tàm facilè atq; uni homini Peccatum unicum, præprimis eam ob caussam, si qvà eatenùs displicent hominibus, quatenus DEO sunt abominabilia. Nam amor intensus sub seriâ atq; severâ Pœnitentiâ in ipsum Deum dimanans absumit peccata potenter paratâ Conscientiæ requie. Imprimis qvàm parva videatur Pœnitentia, si purè propter Deum talis sit, acceptior Deo est, quàm Pœnitentia quæq; durissima propter seipsum facta. Quidquod exempla Scripturæ cognoscendum tradunt, Deum conversari cum pœnitentibus peccatoribus largiendo iisdem participationem secretarum actionum, quâ ulla unquàm Creatura fuit beatificata, & si paratum Deus invenerit hominem, non animadvertit in facta ejus præterita, quoniam, quod in Deo non est principium nec finis, judicat de præsenti tanqvàm Ens semper præsens, prout invenerit hominem non respiciendo qvalem se antecedenter gesserit, sed qualem se nunc exhibeat, sicut scriptũ est de Peccatore, qvod nec Justitiæ nec Injustitiæ ejus anteactæ memoria est apud Deum, à qvo vel peccaverit vel resipuerit, id quod etiam parabola de Virginibus Sponsum expectantibus clarum reddit. Idcircò probè notandum est id, qvod jam sequitur, nimirùm, qvod Deus longissimo annorum recessu tolerat qvalemcunq; peccati ignominiam ab his, quos prædestinavit ad arduas expeditiones, & hujus tolerantiæ finis atq; effectus hic est, ut homo

1. Ad agnitionem Peccati perveniat &

2. Ad veram cognitionem remissionis Peccatorum pariter atq; divinæ Charitatis.

3. Crescat in amore, gratitudine, dignitate & exercitio; quæ ab agnitione peccatorum plerumq; proveniunt.

Indè cognoscimus, cur ævi præsentis ac præteriti peccatores grandiores sæpenumerò fuerint facti intimiores Dei Amici, nimirùm qvod Deus patienter toleravit Peccata eorum, donec per

gravitatem eorum perducti fuerint ad sinceriorem pœnitentiam & dilectionem, cujus exempla manifesta sunt in Apostolis conspicua. Ubi non est Peccatum, ibi non est agnitio misericordiæ, dehinc autem qvod Peccatum à Deo permittitur, agnoscitur suo tempore multa Dei miseratio, quapropter hortatur Deus ad pœnitentiam seriam & ad profundam humilitatem, qvò ei adhæreamus. Notetur hîc utilitas salutifera quæ capitur ab hoste Peccato: nam fieri nequit, qvin toties amor ergà Deum succensus augeatur, quoties Pœnitentia per peccatorum recogitationem renovatur.

Q. Dic nunc, in quo consistat vera Pœnitentia & in quo non consistat? R. Non consistit in nudâ peccatorum confessione, (qvæ & impudentibus aliàs familiaris est) nec in satisdatione impositi externi cujusdam Operis, tantominus in falsâ fiduciâ seu fide fictâ; sed per Scripturam & Testimonia Sanctorum evincitur eam consistere 1. in Contritione, contemtu, summoq; tædio suiipsius. 2. in proposito firmo nunqvàm peccandi. 3. in Conversione, firmavè fiduciâ ad amorem & passionem Christi. Hæc Pœnitentia solùm vera est. Proindè convenit pœnitenti, qvamprimum observat levissimam transgressionem, utut venialem vocant, ut

1. Non per accidens, sed ex omnibus Viribus se suaviter convertat ad Deum

2. A Quolibet Peccato se extemplò avertat

3. Majoris æstimet minimum qvemq; cogitatum, per qvem adversus gloriam & Voluntatem Dei fuit commotus, qvàm omne tormentum infernale taliter promeritum; expensioni qvoq; respondeat contritio.

4. Ad Deum se convertat puro amoris actu tùm & proposito de non offendendo Deo. Istæc autem animi ad Deum conversio debet esse immota, qvoniam & Deus tàm fidelis & constanter amans est, ut neminem possit, velitq; deserere, qvi constanter Deo confidit. Cæterùm familiarissima nobis inconstantia indè oritur, qvod Pœnitentia nostra fundata est super arenam

ser-

ſervilis timoris, hoc eſt, ſuper metum pœnæ infernalis, non autem, uti par erat, ſuper petram amoris filialis, & ſic ſublatâ fiduciâ tollitur unà propoſitum bonum, & pura (conſtans) converſio. Secùs comparatum eſt cum iis, qvibus profanatio divinæ gloriæ plùs cauſatur doloris ac tædii qvàm proprii damni expenſio: in his enim pronaſcitur amor & firma fiducia ergà Deum, undè de remiſſione peccatorum certi redduntur, indè autem varii motus animi oriuntur, & alterna Virtutum in Deum tranſitio, anima quippè ſub eo tædio concipit gaudium ſpirituale, cujus ope elevatur in Deum, qvi mentis obligationem abundanti compenſat ſolatio. Aſt hoc divinum ſolatium præcipitat eum in tantò majorem pœnitentiam converſo gaudio in triſtitiam: hinc fit, ut homo tàm pœnitens præ amore provocet Juſtitiam Dei deſideratâ caſtigatione ſeu Juſtitiæ divinæ adminiſtratione, hæc quidem omnia ſic alternativè ſuſtinet ad majorem Dei gloriam tamdiu, donec peccata remiſſa ſint ei: nam fieri nequit, qvin Deus libenter remittat peccata, dummodò ad Deum elevatus homo reſipiſcat puro animo.

Q. Cùm inconſtantiam dixeris provenire à ſervili timore, undè ſequitur Conſtantiam fundari in filiali timore, dic, quæſo, qvid de timore hoc loco notandum ſit? R. Id, qvod ubi timor Dei eſt, ibi emendatio eſt ac pœnitentiæ fructus & è contrario. Mens Deo ſerviens ligat ſensûs, eosq; diſciplinæ ſubjicit, diſſoluta verò (libera) eosdem deligat. Si qvis ignarus eſt devotionis, recipiat ſe ad pœnitentiam, hæc bona multa revelat, qvæ levitas animi gaudiumq; mundanum diſſipaverat. Meditatio damni humani abigit omnem lætitiam, cum conſtet, dolorem animi demulceri hypnotico humanæ incuriæ & Levitatis medio, qvâ ſine ſi eſſet, non poſſet fieri, quin fuſis lachrymis ingemiſceret ſæpius, qvi modo ridet impudentius. Qvantum prævaleat qui timet Dominum, præ non timente eum, non obſervat luxurioſus, cùm certum ſit timore Domini permixtum gaudium eſſe longè perfectius, ac ſenſibilius mundano, præter id, qvod conſtans illud, hoc tranſitorium eſt, alternans ſæpè cum cru-

eruciatu. Annon ergò beatus est ille nuncupandus, qui abjectis mundi deliciis, quæ animum vitiant, excussâvè negotiorum secularium sarcinâ potest liberè frui sanctâ pace & requie? R. Nulla,& iterum dico nulla est lætitia,(libertas) verè talis,nisi qvæ est cum tutâ Conscientiâ; sed hæc solùm in timore Dei. Non perfunctoriè scriptum est: Initium Sapientiæ timor Domini est. Sivè ergò sapientem dicas sivè beatum eum, qui Domino servit, idem est, cùm & Rex David pronunciaverit Virum beatum, qui timet Dominum: idem enim est beatus sapiens & sapiens beatus. Servus qui timet Dominum, prudenter attendit mandatis ejusdem; pertinax autem nec reveretur Dominum, nec qvæ sunt Domini curat. Adhuc majori incuriâ conjicimus hodiè & pertinaciam, neglectum ac perfidiam in solam naturæ pravitatem,cùm nobis tantoperè repugnet tàm Scriptura qvàm experientia. Scriptura quidem quæ dicit, vidisse Deum cuncta quæ creaverat esse bona: & alibi: hominem esse conditum ad Opera bona; hæc etiam infantiam prædicat insontem. Experientia verò totâ die testatur Infantiam, primamq; pueritiam esse ætatem innocentem, dehinc nil aliud injuriæ tunc temporis esse naturæ imputandum, nisi solam pravam inclinationem, qvæ uti se habet plerumq; juxtà statum genitorum moralem, ità à multis natis abesse potest, in reliquis cunctis corrigi aut aboleri. Ad qvid ergò tot Vitia naturæ contracta, errores, defectus &c. non adscribimus consuetudini, qvam partim à pravâ educatione (vitiosâ vel nullâ disciplinâ (partim è pravis occasionibus, & temporum mutationibus, injuriis aut seductionibus cernimus acquiri, qvorum omnium si haberetur ratio, natura esset in plurimis excusanda? sed iterum ad rem.

Q. Quò respicit ea Vocatio, qvâ Deus mortales iræ filios revocat à mundo perverso ad pœnitentiam? R. Suavis ea DEI vocatio, cui tenemur obseqvi, spectat eò, ut amando Deum adhæreamus soli Ei.

Q. Quomodo potest homo mortem præ occupare æternam? R. Verâ Pœnitentiâ, quæ latius quid est fide solâ: enimverò in eâ

eâ continentur inclusivè Fides, Spes, Charitas, imò & Timor, Dolor, Conversio & Expiatio, idcircò è summo ergà peccatores affectu nullis præcedentibus meritis vocat Deus unumqvemq; ad pœnitentiam, jacto velut per id primo lapide ad Christianismum.

Q. Pœnitentiæ veræ ac realis latitudo qvò restringitur? R. Complexum genus Pœnitentiæ reducitur ad eam, qvæ vocatur totalis hominis conversio ad summum bonum unum, qvod Deus est, idq; in supposito aversionis totalis ab omni eo quod Deus non est. Hæc Pœnitentia est omnium exactissima, quâ dictâ dicuntur simul omnes inclusæ actionum Species, Fidei pedissequæ: hinc quò quis plus habet aversionis & conversionis, hoc plus habet veræ Pœnitentiæ.

Q. Annon haud parva fiducia nascitur exindè, qvod Deus sine nostris meritis vocavit nos ad amplectendum ejus Amicitiam? R. Indè & magna fiducia & gratiarum actio solet provenire, dummodò tanta Dei Charitas consideretur seriò, quæ certè maxima est ideò, qvod Deus in æternum nos juxtà propositum vocatos decrevit sibi sociatos.

Q. Restatnè signum divinæ in homine mortali præsentiæ? R. Certum & manifestum signum præsentiæ Dei hoc est, cùm cernimus Adolescentes feros & juvenes naturaliter mundanos domari in obsequium Fidei, sicut cunctas deserant Creaturas non obstante præfatæ perceptionis carentiâ. Impossibile est, ut Deus secretam suam præsentiam deneget his, qvi perseverant in obsequio, utut proroget eis Revelationem sivè prægustum Regni sui.

Q. Ne, quæso, citò nimis absolvas discursum de Pœnitentiâ vel ideò qvod ea est qvasi Schola cunctarum bonarum operationum & in qvâ consistit reparatio Boni qvod erat destructum per transgressionem mandatorum; uti enim existimo hîc nihil superflui posse tradi; itâ tuam obstringo humanitatem, digneris quædam adhuc adjicere, de Remedio, qvod infallibiliter succurrit infirmitati ejus, qui peccando amisit gratiam Redemtio-

nis ſivè Theſaurum meriti Chriſti? R. Non opus eſt plura adferre de eo qvod jam ſatis eſt explicatum remedio, qvod ipſum & jam nominâſti (pœnitentiam ſcilicet). Nam pauloantè oſtenſum eſt, qvod hoc remedium conſiſtit in eo, ut Peccator perpensâ gravitate peccatorum abhorreat ab iisdem, contrariisq; actionibus currat ad Deum ſic, ut uniatur cum eo: id qvidem non absq; ſingulari conatu fieri poteſt. Convenit enim, ut ſpretâ Voluptate eligamus ſolum Deum, tùm etiam ut ſubactâ noſtrâ Voluntate ſolùm ac ſeriò nobis præponamus Voluntatem DEI ſicut oramus, qvo fiat Voluntas Domini in Terrâ prout fit in Cœlo, hoc eſt, cum omni ſanctitate & perfectione; convenit deniq;, ut nomini divino ejusq; amori exhibeamus honorem debitum, qvoniam ea eſt gratitudo noſtra Creatori pro tot tantisq; amoris beneficiis exhibenda. In tali ſtatu curat homo ſua, non aliena, rerumq; ſuarum memor taliter transfert amorem Creaturarum in Dei amorem, qvo facto rurſus Deo conjunctus eſt & vocatur Vir robuſtus, cujus animus firmitatem & tranquillitatem ſuam retinet, cujus anima pura, nitida & in Virtute vivida eſt. Eodem modo nanciſcitur homo radicem conſuetudinis, qvo in bono perſiſtit perſeveranter tanqvàm totâ ſuâ naturâ immutatus, ut Virtus ac Opus bonum jam non ſit amplius è propoſito & ſtudio, ſed ex ipsâ inclinatione. Tunc dici poteſt, qvod Obſervantia mandatorum dominicorum eſt poſſibilis & facilis; ſed ad hanc metam non itur niſi per Viam averſionis & converſionis. Per Peccatum enim cauſatur pœna, per hanc datur eruditio & experientia, qvoniam qvem Deus amat, eum caſtigat, ſicut ſcriptum eſt: Bonum eſt, qvod caſtigâſti me Domine. Eruditio autem dat agnitionem, ex agnitione oritur Dolor & contritio, è contritione promicat Fides in remiſſionem, contritionem ſequitur divina commiſeratio, ſub commiſeratione infunditur nova gratia, undè Peccatorum remiſſio & reconciliatio.

Eſt autem Conſcientiæ à Peccato læſæ Dolor vel in naturâ radicatus vel per Fidem cauſatus: qvi ex naturâ eſt, non valet hoc

hoc loco, qvia operatur ad mortem; qui verò ex Fide eſt, is ad ſalutem operatur per modum purgationis & expiationis. Pœniteat ergò hominem Causâ Fidei, qvanqvàm & in hâc Pœnitentiâ diſcrimen obſervetur: nam eò qvod qvis damnationem credit, hoc ipſo timet & horret eam, qvidqvod hoc proprium ac inevitabile ſuum damnum perſentit magno cruciatu, eſt tamen iſtæc ſenſatio ſaltem pœnitudo ſervilis, conjuncta cum ſuppreſſione fiduciæ, hactenùs Peccator timidus horret Deum fruſtratus remiſſione. Vera autem & ſalutaris Pœnitentia ſupponit Charitatem Dei, & ideò longè alio Actu & ratione perficitur: eâ deſtituitur Pœnitentiâ, qvisqvis à Charitate Dei deprehenditur alienus, hactenus & Fidem perdit.

Dixi Pœnitentiam peragi causâ Fidei & causâ Charitatis, aſt causâ Fidei, non intellectum volo ſolius Fidei, cùm jam diſtinctione factâ oſtenderim poſſe credi ad damnationem; ſed in hoc ſenſu dictum eſto, qvod in Fide peragitur Pœnitentia, in qvo dicere poſſumus, qvod in Fide obſervantur mandata DEI, in Fide ſequimur regulam Vitæ Chriſti, & hactenùs poſſumus dicere, ſoli credentes iſta facientes obtinent, ſervant, aut recuperant Juſtitiam; contrà verò, credentes nihil horum facientes non obtinent, non ſervant, non recuperant Juſtitiam, vel ideò ſolùm, qvia Voluntatem Dei non perficiunt. Ad Cauſam autem Charitatis vel maximè reſpiciendum hîc eſt, quoad omnium ſumma Virtus eſt Charitas incluſas in ſe habens reliquas. Nam ſicut Fides eſt cauſa Charitatis, ità hæc gratitudinis: Charitas non quærit nec amat ſua, curat autem ea, qvæ ſunt ejus qvem amat. Duplici autem fomite hoc loco Charitas ergà Deum ſuccenditur, primò qvidem dehinc, qvod Deus id ſummum Bonum eſt, qvod animus appetit, ſecundò exindè, qvod cuncta beneficia homini unqvàm collata ab unico DEO primordialiter proceſſerunt, id dum perpendit gratus animus, fertur in amorem ſui Benefactoris & quamvis naturalis Vanitatis flatus non rarò hunc ignem amoris ità ſupprimat, ut jam extinctus videatur, id tamen rarius contingit in eo qvem Sapientia ducit, utpotè

qvod sibi hic prospicit de mediis tùm ignem hunc alentibus, tùm flatum cohibentibus, mirum hinc, qvàm longius hic ignis sustentetur in illis. Lucidus hic animus amat Deum ipsum, & per consequens cunctas ejus virtutes & actiones, amat non tantùm Providentiam, Bonitatem, Clementiam & Misericordiam Dei, verùm etiam Sanctitatem, Justitiam, Puritatem, Claritatem, imò omnes ejus ordinationes, Statuta, Præcepta, Consilia & Judicia diligit, damnatis omnibus, quæ contrà Dei Sanctitatem & Justitiam perpetrantur. Quid ergò si pœnitens Peccata sua putida considerat, qvibus nomen Dei polluit, imò quibus meritum Christi conculcavit? Annon de iis dolebit maximo Cordis gemitu & nonnunqvàm profusione lachrymarum? Imò qvod ipse judicat hanc sum̃am ingratitudinem turpemvè injuriam esse omni genere pœnarum plectendam, non tàm deplorat suum damnum, qvàm Deum offensum. Pudet ergò ac pœnitet eum, qvod tantâ stoliditate se à summo bono averterit, atqvè turpe peccati servitium se dederit: in hâc animi Contritione occurrit Fides, & offert meritum Christi ac peccatorum remissionem, qvod dum penitius considerat animus, non potest fieri, qvin suscitetur in eo fiducia in remissionem peccatorum cum gaudio & solatio amoris ignem sufflante. Hæc est vera Pœnitentia, qvæ usq; adeò fugam peccati proponit, ut totus homo invertatur & convertatur ad Deum. Quò gravior ergò ista Contritio animi, hoc propior Peccati remissio, qvoniam inter Dei Clementiam & Peccatoris Pœnitentiam nec medium nec tempus interpositum est, imò si animus dolens sincerus est, sincera qvoq; est remissio, plenaria reconciliatio.

Habet autem vera Pœnitentia suos gradus magnitudinis tàm pro ratione amoris quàm pro ratione Commissorum, quorum emensio competit soli Deo, qvi multum peccantibus multa remittit & miseretur eorum, qvi justâ mensurâ pœnitere nesciunt, quamvis velint. Huc pertinent variæ externæ actiones, quæ in Ecclesia passim exercentur, qvarum non nullæ sunt necessariæ, quædam liberæ & ab imaginatione limitatæ. Quicunq; derident

rident eas, ſunt plerumq; ſinceritatis incapaces, ambitioſi, qvi ſe perfectos judicant, alios verò imperfectos, hactenùs manent in lapſu dæmoniaco (ſuperbiâ & philavtiâ) quamdiu ad veram Pœnitentiam ac debitam ſubmiſſionem non perveniunt. Habet ergò vera Pœnitentia ſuos qvoq; fructûs, qui in quibusdam matureſcunt, in nonnullis areſcunt, aut in flore ſuis à cauſis ſuffocantur. Fructus autem nonniſi è flore prodeunt: ſi flos emanſerit, qvis fructum ſperet? Flos autem hoc loco eſt Actus qvidam reſultans è verâ Pœnitentiâ. Nam pœnitens homo poſtqvàm conſiderat Deum non tantùm peccata clementer remiſiſſe ei, ſed etiam ſuperabundanti ſolatii gratiâ perfudiſſe eum, non poteſt fieri, qvin ſubitaneus pœnitudinis tanqvàm flammæ magnâ vi erumpentis motus adoriatur eum, qvaſi non ſatis doluerit de Peccatis: perpensâ ſub hoc Actu Juſtitiâ Dei exoptat Satisdationem, hanc mox perſentit haberi è merito Chriſti, nil ergò reſtare ſibi conſtat Satisdationis præ meri defectûs culpâ, de hoc ergò dolet, hujus eum tædet ac pœnitet, qvò fit, ut non tantùm peccati remiſſionem flagitet, ſed etiam Dei Juſtitiam imploret ad pœnam ei infligendam tàm propter amorem Juſtitiæ qvàm propter laudem & glorificationem Dei. Nam in hoc voto conſiſtit expenſio magnitudinis Peccati conferendo eam magnitudini Clementiæ divinæ, hæc facit, ut homo feratur in ſummum Satisdationis deſiderium: hic eſt ſuavis ille Odor incenſi ſeu floris fragrantis, qvo Deum placari dicitur qùoad humanam Potentiam, hinc dicitur: hîc ure, hîc ſeca. Et cùm per Fidem conſtet, imperſcrutabilem eſſe Dei tàm Juſtitiam qvàm Miſericordiam, ſicut idipſum teſtatur neceſſitas incarnationis, Paſſionis & meriti Chriſti, hinc opus eſt utramq; ſimul profundius conſiderari, amari & cohoneſtari: hoc dum exercitatus homo obſervat, fit ut amore Juſtitiæ petat etiam qvandam pro Peccato pœnam meritoriæ Chriſti Satisfactioni nil derogando. Sic qvisqvis eſt, qvi tàm amanter & prudenter dolet, ei teſtatur Conſcientia cum pœnâ ilicò remiſſa eſſe peccata. Idcircò ut S. Eccleſia populum Chriſtianum velut manu duceret

ad tàm profundam ac ſinceram agnitionem, inſtituit humanas qvasdam ſatisfactiones, qvæ tametſi non ab omnibus æqualiter & æqviter capiantur, ſunt tamen eo Fidei Zelo inſtitutæ, ut paret Domino plebem perfectam, aptam ad omnia pietatis exercitia, qvaſi in eo radicetur obſervantia mandatorum Domini. In eo namq;, qvod homo ſuâ ſponte ſe pœnæ ſubjectum tradit divinæ Juſtitiæ, conſiſtit plus mortificationis Carnis & per conſeqvens plus divini Solatii, imò qvò plus peccati, hoc plus obligationis & boni propoſiti, per id autem nil additur nil demitur merito Chriſti. Hic eſt Flos benedictus, cujus folia poſtqvàm deciderint, relinqvunt pedicillum, ſuſtentaculum fructûs, id eſt firmam & immanentem fiduciam in gratiam DEI & meritum Chriſti cum firmo propoſito bono Converſionis ad DEUM & Averſionis ab omni eo qvod contrà Deum eſt. In hoc pedicillo firmatur, creſcit & matureſcit fructus, id eſt, obedientia, qvà totus homo jam Deo dedicatus nititur exeqvi Voluntatem & mandata Domini ſub gratitudine propoſita. In nucleo fructûs recondita eſt Virtus ſeminalis & Conſervativa, Opera ſcilicet externa, confeſſio, jejunium, vigiliæ, Eleemoſynæ, orationes &c. qvæ ſi procedunt è ſincerâ ad Deum converſione, deprehenduntur tantò gratiora Deo. Aſt Opera qvæ absq; prædictâ converſione perficiuntur, ſunt hypocritica, mercedis nil habentia, quatenùs proveniunt è Cordis impuritate & ambitione, qvam ſeqvitur jactantia & æſtimatio eorum, ipſa eſt fundamentum Operum, ſimul & damnationis eorum. Procedunt ſic Opera meritoria è Corde puro ad Deum converſo, qvatenùs obediens homo nititur mandatis Dei obſequi, ſuæq; Conſervationis occaſionem quærere, dum interim perpendit quàm parum id ſit qvod fecit, tametſi omnia feciſſet, qvàm multum adhuc ei deſit, cui obligatur; hactenus obſervat ſedulò, qualia Opera magis ſerviant in occaſionem Pœnitentiæ ac pietatis, adeóq; præ aliis ſtudet ea exequi, qvorum ſub actione ſentit majorem tranquillitatem. Sunt namq; hæc velut ſeminia, è qvibus ſemper germinat nova Pœnitentia, & Seminatio hæc eſt ſuper Spiritum:

quò plus ſementi, hoc plus proventuum. hinc ſucceſſiva cultura & ædificatio interioris hominis. Datur ergò prædicta pœnitentia unà cùm his qvæ adhærent ei, qvaliscunq; autem eſt, quæ talis non eſt, non valida Pœnitentia eſt; & cùm in cunctis fidelibus vera Pœnitentia ſupponatur ſemel poſſibilis, neceſſum eſt concedi eam ſemper poſſibilem eſſe, ſiqvidem qvod ad longius temporis intervallum abſq; ſolutione integri fuit poſſibile, dat rationem ut longius perduret adhuc, atq; ſic protendatur ad tempora usq; longiſſima.

Quantum ad eos, qui ſatis pro Peccatis dolere cupiunt, hi ſcandunt per gradus Contritionis, eoq; mox in infernum deturbantur, mox in Cœlorum Regnum ſaliunt alterno ſaltu & lapſu inſenſiles redditi, à Creaturis liberi rapiuntur ac ducuntur per manum alienam ſine ullo propriarum virium adminiculo, idq; ſeqventi ferè modo. Homo qui ſuam expendit malitiam reperit ſe qvalicunq; ſolatio indignum, imò ſi Conditoris ſui gloriam & amorem conſiderat, deprehendit ſe de jure damnatum. Nec hoc ſolùm; quin etiamſi cunctæ Creaturæ affligerent eum omni tormentorum genere, hanc tamen afflictionem inſufficientem valdè, gehennam & ſi qvid pejus eſſet ſuo merito ſibi adjudicandum cenſeret. Impatienter ergò ferens malitiam ſuam non optat ſibi adventuram redemtionem aut ſolatium à Deo vel Creaturis, nec hactenus dolet de ſuâ damnatione velut ſuper juſtâ atq; promeritâ pœnâ. Ejus tantùm pœnitet eum, quod tam iniquè, ſubdolè, ac impiè prævaricatus eſt, & ab hoc dolore cruciatur valdè, qvoniam hæc eſt adverſa Deo injuſtitia. Eum contritionis modum vocat quidam veram Pœnitentiam, & gehennam temporalem, ubi non datur ſolatium, & dicit, qvod taliter contritus Peccator eripiatur è gehennâ & transponatur temporaliter in Regnum Cœlorum, ubi guſtus Vitæ æternæ. Hoc ità ſe habere fatentur veri pœnitentes, aſt mirum eſt, quàm ſine omni medio labatur homo in hanc gehennam, ſubitoq; rurſum trahatur ad ſupima Cœlorum, ubi confertur gaudium & ſolatium incomparabile: id undè veniat & qvò

qvò vadat non potest homo unquàm comprehendere, nec qvandò vult obtinere. Sivè autem in inferno sit sivè in Cœlo temporaliter, quatenus tunc solus & Creaturarum expers est, nuspiam tamen se tutiorem deprehendit nisi in alterutro eorum, qvoniam si neutro afficitur, circumvagatur cum Creaturis (cogitationibus). Hoc autem à Deo provenire qvis dubitet? nam David dicit: detrudis in infernum & iterum educis: qvem autem Deus eripit, hunc ad se trahit, & qvisqvis trahitur, appetit Bonum ipsum quod trahit, quoniam agnoscit & sentit id esse pacem, gaudium, quietem & felicitatem; dum autem idipsum facit, acquirit ipsum Bonum, pacem, gaudium, & qvicqvid eidem inest deliciarum. Sic est homo in Regno Cœlorum, qvod potest temporaliter perdere & recuperare, attamen nullibi certius, nisi cum est in temporali inferno. Pax deniq; præfata non est Pax falsa (mundi) sicut Christus loquitur: Sed est Pax Dei
Joh. 14. in animo percepta, quæ superat omnem intellectum, hæc potest persistere cum tentatione, calamite, miseriâ & ignominiâ, utpotè quas (afflictiones) perrumpit, perfert & superat, quasi non adessent, Pax quoq; ea infert unà patientiam & hilaritatem, qvod ipsum exempla testantur Sanctorum. Hanc Pacem, quæ Deus ipse est, non habet, nisi qui Deo adunatus est, non adunatur Deo, nisi qvi illuminatus est, nemo autem illuminatur, nisi qui per Pœnitentiam purgatus est. Tres istas Vias pervadat homo beatus necessum est.

Q. Antequàm hoc Caput claudatur, ne averseris, amabo, adhuc unicam quæstionem, quæ mihi hîc restat solvere. Notum est, post absolutionem & usum Sacramentorum sæpenumerò remanere pœnam & torturam, haud infreqventer etiam est observatum, quàm graviter Deus peccata anteacta post absolutionem vindicaverit. Cùm autem dictum sit & doceatur, Deum condonare quoq; peccata plenariè sublatâ simul pœnâ, quæritur meritò, cur pœna præfato modo subsequatur? R. Causa propter quam pœna subsequitur est manifesta, dehinc & quæstio facilis solutionis. Ideò autem reservatur pœna, qvod pœnitentis

tentis averſio à Peccatis, tùm & converſio ac dilectio Dei non eſt facta ex toto Corde, ex totâ Animâ, ex totâ Mente, cunctisq; Viribus juxta præceptum Dei, cùm alioquin ſi modo præſcripto peragitur Pœnitentia, nequeat fieri, qvin totum qvod debemus, perſolvimus velut oblato pretio gemmæ, ne dicam qvod plus qvàm volumus, impendiò impetramus. Nam ſi nos Deus dilexit, miſſoq; Filio ſuo donavit nobis ſummum bonum, cùm adhuc eſſemus inimici ejus, quantò magis amabit nos donisq; juvabit & auxilio, ſi ei obedimus? Proindè non eſt deprehenſa efficacior ulla Actio pœnam Peccati tollendi qvàm iſtiusmodi vera Pœnitentia.

Q. Nullumnè datur medium ſeu Via propinquior ad hanccè Pœnitentiam perveniendi, præter ſpinoſam hanc Viam, qvam omnes hactenus penè averſantur? R. Datur omninò medium, qvo Viam hanc aſperam tibi viſam pertranſeat aliqvis, qvod ipſum conſiſtit in hoc, ut paſſionem Domini noſtri, amaram ejus torturam ac mortem, imò & ſanctiſſimam amoris ac ſinceritatis plenam Vitam probè conſideret, in ſe rapiat, in ſe transformet, præprimis autem tantum amorem ac Perſonæ magnitudinem, qvæ noſtri Causâ hæc omnia fecit & ſuſtinuit, perpendat: hoc ipſum, ſi taliter continuò exerceat perveniet ad veram Pœnitentiam, ſuiq; ipſius contemtum, ſi vel tantillum gratitudinis in pectore ejus gliſcat. Ad hanc actionem reqviritur Voluntas & ſtudium, ut homo tùm firmiter ſibi proponat hoc exercitium in actione & paſſione ſuâ, tùm etiam inceſſanter pergat in exercitio, ſic enim facilè ad habitum perveniet & tam activo quàm paſſivo modo in eodem permanebit. Nam per hoc medium pertingit tandem ad pœnitentiam qvàm optimam, quæ in ſublimi animo cunctas Creaturas tranſcendente, nudam vè unitatem & adhæſionem Dei appetente invenitur, hæc rara admodum eſt & paucis data.

CAP. VIII.

De jejunio & vigiliis.

Q. Num bona Opera sint necessaria ad justificationem è præcedenti Capite perspicere licuit, siqvidem ostensum, qvod lapsus per Peccatum homo nonnisi per Opus pœnitentiæ acquirat gratiam justificationis, qvæ consistit in remissione peccatorum, hanc autem promoveat qvoddam Satisdationis desiderium, nunc itaq; est ostendendum, qvid alia Opera bona præstent, qvæ vel Pœnitentiæ junguntur, vel intrà ejusdem terminos exercitium hominis in Dei gratiam recepti describunt, cujus respectu fit, ut homo non solùm in Dei gratiâ conservetur, verùm etiam ad altiores Virtutes pertendat implendo dictum illud Scripturæ: qui justus est justificetur adhuc. Taliter enim futurum est, ut homo exercitatus acquirat dona S. Spiritus, octo beatitudines, iisq; mediantibus trahatur ad adunationem Dei. Hoc loco incidit mihi externum qvoddam exercitium, qvod nominâsti jejunium, id qvaliter sit instituendum, ne modum debitum excedat, nunc à te explicandum requiro? R. Cum recto ac vero jejunio seqventi modo comparatum est: tenentur Christiani orthodoxi qvi possunt jejunare sine destructione Corporis, jejunare eum in finem, ut suas indomitas Cupiditates ceu fræno contineant, estq; necessum ut hoc jejunium fiat incoactè (animo libero). Ut autem Vitam suam qvis bene ordinet, opus est, ut modum aliqvem se nutriendi teneat, talem scilicet qualem cuncti benevoli homines observant, qvi gulæ illecebras in victu non qværunt, concessum autem, imò par est prandere sufficienter sumto bono Cibo juxtà naturæ requisitũ; in Cœnâ verò modicum edere ac bibere inservit satis commodè tàm Corpori qvàm Spiritui. Comedere nimium est Vitium, edere qvàm minimum estæq; defectus, servare inter utrumq; medium, bonum est, nimirum edere, ut edit homo tenuis, pauper & miser.

Ve-

Verùm in hâc materiâ eſt multis Curæ Cordiq; ſtudium Contradictionis, id indè apparet, qvod aliqui præcipiunt jejunium & Corporis Caſtigationem cum ſeveritate exceſſivâ, alii verò propugnant plenam nutritionem rejectâ Ciborum ſelectione & abſtinentiâ, qvin etiam utraq; pars defendit ſuam ſententiam adminiculo ſacri Teſtimonii: aſt omnes hi ignorant, qvàm gladio literæ ſeipſos jugulent. Ecqvid ergò eſt eorum pugna niſi inanis contentio, cùm & jejunium ſit commendatum in ſacris literis, & ſimul etiam neceſſaria ſuſtentatio Corporis? Quantum illis ad immoderatam Corporis torturam defendendam prodeſt ſcriptura, quæ Carnificinam exauthorat, tantum quoq; prodeſt his qui Corporis tuentur Saginationem, ſubjungit namq; provida Scriptura cautelam paſcendi Corpus ſic ne luxus & laſcivia ſe habeant alternatim. Moroſis ergò hîc dictum ſit, jejunium eſſe rem utilem & boni exempli, eoq; præponi refectioni; ad qvid enim refectio, ſi nihil Subſtantiæ deceſſerit Corpori per jejunium, qvod reficiendo ſit reſtaurandum? Noſcant etiam jejunii cauſam eſſe magni ponderis, cùm in confeſſo ſit, Corpus cùm plenum eſt nullo modo poſſe ſubjugari (in ditionem Spiritûs reduci) indeq; ſequatur, id poſſe fieri per exinanitionem & ſubtractionem virium mediante jejunio & abſtinentiâ Ciborum copioſi ſucci & laudabilis alimenti. Si qvis ergò Scripturam vult ſequi & intelligere, tenetur etiam ejusdem conſonantiæ attendere, nec tàm præſumtuosè dicta apparenter contraria aliis objectare. Hoc loco commendatur jejunium à Deo qvod & hactenùs ab Eccleſiâ obſervatur, imò nec inconveniens eſt rationi, cùm ſit notorium, non poſſe quempiam ad chriſtianam, ne dicam ad ſpiritualem Vitam pervenire antequàm inceperit naturæ ſuæ ſubtrahere qvalemcunq; ſuperfluitatem: hinc opus eſt, ut Corpori nil Voluptatis admittatur, præterqvàm qvod ad ſolam ſummamq; ejusdem neceſſitatem reqviritur. Quod autem ipſa neceſſaria ſuſtentatio ad Deum debet promovere hominem, id ſanè absq; exactâ temperantiâ, aut ſine intermixto jejunio fieri neqvit. Notent autem ſibi tùm Bachi tùm Epicuri diſci-

discipuli, summam hanccè temperantiam simul & interpolatum jejunium fuisse in summâ observatione ipsis primis Doctoribus, S. Paulo & Timotheo &c. qui necessariam Corporis sustentationem suaserunt; inqvirant, etiam in Causam hujus permissionis, & deprehendent, eos per necessariam sustentationem intellexisse refectionem Corporis per jejunium & abstinentiam emaciati, cujus exemplar in Timotheo conspicuum, testimoniū verò in Pauli suasu expressum est: ast isthæc doctrina longissimè distat à patrocinio delicatorum Comessatorum. Enimverò cùm nemo possit divinam degustare suavitatem, priusqvàm appetitum naturalis satietatis linguæq; Voluptatem penitùs exstirpârit, qvonam ausu ob auditores Verbi divini tàm præsumtuosè allegant Verbum Dei ad defendendam tàm detrimentosam gulositatem, cùm S. Paulus ipse scripserit, in Peccatis morituros eos esse, qui juxtà Carnem vivunt? Prudentes intelligunt dicta paulina de pastu indifferenti (necessariâ sustentatione) spectare vel temperantiam sobrietatis, vel refectionem debilitati Corporis. Uti enim saluti nocet, si qvis emaciatum suum Corpus fame necaret; ità valdoperè conducit, si qvis infirmum & marcidum corpusculum reficiat cunctis iis mediis, quæ aliquatenùs possunt deperditas vel labefactatas restaurare Vires. Et sicut Sobrietas (temperantia) nullâ lege vel potest vel debet vinciri, ità excessus curandus est alternâ medicinâ, hoc est, jejunio & refectione, putà repletio exinanitione & vicissim: sic namq; fiunt omnia decenter & juxtà ordinem, qvem alioqvin contentiosi omni conatu subvertere audent. His autem satius esset, cùm alios errantes vident abstinere qvidem à Carnis luxu, non item à mero, si horum damno cautiores redditi tùm Carnis tùm Vini luxum abjicerent; ast tantò pejus gerunt se, cùm absq; Ciborum discrimine tùm Carnibus tùm mero ventrem replent in manifestam Spiritûs perniciem; sed & hanc nôsse nolunt, qvatenus & Sacrâ literâ mediante eam potius occultare satagunt.

Quod restat, dico, medium tenendum esse semper, cùm etiam è Virtute soleat nasci Vitium Diabolo excessum persuadente. v.g. Jeju-

Jejunando & vigilando &c. exhibetur virtutis Opus, verùm si qvid eorum sine ordine peregerit aliqvis, excedendo modum debitum, jam vitiosus factus & à Diabolo seductus est; nam non Virtuti ipsi est obseqvutus, sed Speciei virtuali Vitium occultum convehenti, qvâ remotâ Virtutis in Vitium mutatio per imposturam Diaboli effecta cernitur. Plura si qvis desiderat, inveniet ea abundanter in aliis libris de hâc materiâ tractantibus.

Q. Cùm vigilantiam jejunio hîc adjungis, asserendo hoc ipsum Virtutis opus posse per excessum mutari in Vitium, requirit Operis ordo, ut hîc me doceas qvid fructuosi obtineatur ab exercitio vigiliarum in respectu ad gratiæ divinæ vel acquisitionem vel conservationem. Sunt enim vigiliæ tantoperè à Christo suasæ, ut hactenus sint à S. orthodoxâ Ecclesiâ institutæ, quemadmodum & jejunia: Cùm autem omne consilium Christi, (qvà singulare qvid & necessarium includit) sit magnifaciendum, dic, quæso, qvid indè Utilitatis vel necessitatis tibi videtur promanare? R. Non sinè causâ tàm seriò nos Dominus hortatur ad Vigilantiam, sed ideò, quia malignus Spiritus omnem suam calliditatem (dexteritatem) eò impendit, qvò nos disperdat in æternũ, dehinc continuò observans fore ut vel horam vel unicum momentum inveniat, qvo nullam diligentiam impendamus devotioni, sed oblivione capti neglectavè custodiâ unam tantùm fenestram sensuum relinquamus apertam; hoc viso subitò irruit ablatum nobis omne bonum. Oportet ergò nos custodire fenestras vigilando, ne quà suffodiat Domum instar furis, & ea Vigilantia est semper continuanda, cunctisq; Viribus ac recollecto animo instituenda. Quamprimùm enim homini incidit quædam animi elatio, temeritas, præsumtio aut pertinacia, actutum adest hostis, resectum ei totum Canistrum omnium bonorum Operum ejus. O quàm miranda post hanc Vitam conspicientur in his, qvi propter virtutis Speciem insigne sibi nomen comparârunt, cùm omnis eorum complacentia è toto videbitur præcisa sic, ut pro gratiâ sibi acceptum ferrent, dummodò inter indoctos, inexercitatos & rusticanos statueren-

tuerentur; Contrà verò miseri (simplices) quidam homines, quorum hîc nulla æstimatio est, ob hnmilitatem ac oppressionem eorum erunt evecti suprà illos tàm sublimiter, ut hi vix possint eò suspicere, qvò sunt transpositi isti. Vigilandum est animo exuscitato, apertisq; Oculis aspicienda est nuda Veritas tàm cum quàm sine discrimine, in cogitationibus, in Verbis & Operibus, in virtuosis factis, in passione cum exactâ suiipsius observantiâ. Nam nemo pernoscit in quantas angustias redactus sit ob naturalem infirmitatem suosq; detestandos defectûs, quin etiam ob inæstimabile bonum, cujus incessanter à Deo particeps fieri posset, quoniam clarissimi Dei Oculi tàm penetrativo aspectu nos aspiciunt ac perspiciunt in fundo nostro, ut homo eis ex adverso obstet existens totus turbidus ac luridus in fundo suo atq; sic obscurans divinam faciem, quæ aliàs verè obscura non est. Annon nos ejus pudeat maximoperè? Annon & judicabi-
1 Pet. 4. tur severè, sicut scriptum est: Si justus vix conservatur injustus ubi manebit? Augustinus ait: Væ omni Justitiæ, si Deus eam non juxtà suam misericordiam judicaverit: Hinc si quis nôsset, in qvanto versantur periculo, qvibus aliud qvid præter Deum sapit, non esset Sensus in eo qvi posset perferre.

Q Cùm autem non tantùm Vigilantiâ opus sit ad custodiam, ne hostis spoliet hominem suo Bono, sed etiam alia quædam requirantur ad æqvum necessaria, quæ S. conjungit Evangelium,
Luc. 12. qvia scriptum est: Sint Lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quandò revertatur à nuptiis: hac ratione non tibi displiceat hîc simul explicare tria hæc, quæ Vigilantiæ annexa sunt? R. Libenter id faciam quamvis citrà materiæ hujus exigentiam. Notato ergò qvod Lumbi debeant esse cincti tanqvàm fune vincti, quò citrà suam Voluntatem quis possit trahi ac duci velut eqvus fræno rectus aut sursum tractus cùm cadere vult. Sunt enim Lumbi hoc loco Voluptas & sensuum deliciæ, quæ sunt frænandæ (colligandæ) ne qvà Libertas prevaleat unquàm. Per alterum, qvod scilicet in manibus

bus tenenda sunt Luminaria, intelligitur hîc jucunda activitas ardentis Charitatis intrinsecus & extrinsecùs, quæ quantum pote, nunqvàm è manibus est dimittenda, maximè inter invicem pro virili in omni devotione. Tertium deniq; est, quod expectandum est donec veniat Dominus. Beati servi, qvi à Domino inveniuntur vigilantes, cùm venit à nuptiis, constituet eos super omnia sua Bona & accinctus serviet iis.

Q. Dic, ubi sunt Nuptiæ, undè venit Dominus? R. Sunt in profundissimo animæ, in fundo scilicet ejus, ubi hospitatur Imago Dei, qvod est perindè ac si qvis diceret, sunt in mente. Qualem propinquitatem (cognationem) tunc mens cum Deo habeat, Deusq; vicissim cum mente, quale etiam gaudium & complacentiam, deniq; qvàm admirabile sit Opus hoc, (etiamsi intereà homo necquicquàm ejus noscit aut percipit) non potest ullus comprehendere intellectus.

Q. Quales, amabo, sunt homines, cum quibus Deus tantoperè exhilaratus facit præmentionatas nuptias? R. Sunt tales, qvi Cor suum ac favorem conversum ad Deum & vicissim à mundo & Creaturis aversum habent cum perpetuo proposito Deo soli vivendi: ast qvalescunq; sunt, qvi suam commoditatem (sufficientiam) capiunt in qvibusdam rebus sivè vivis sivè non vivis, idq; scienter volenter, cum illis non habet Deus commercium. Expectantes autem illos homines visitat hostis statim atq; advertit, qvod Dominus diutius tardando moram trahit inserendo iisdem aliquam delectationem, seu intus seu foris, eo fine, ut acquiescendo in eâ postponantur. De hoc nil est tenendum, sed subsistendum in speculâ. Beati sunt Servi qui expectant, quoniam nesciunt qvando venturus est Dominus, num in primâ, secundâ, an tertiâ Vigiliâ: tunc serviet illis, hoc est, propinabit vel sentiendum dabit iis prægustum secretarum nuptiarũ, qvò confortentur, ne qvà iisdem tædium pariat diuturna expectatio. Gustandum præbet sui amoris dulcedinem ideò, ut Charitas eorum dehinc fortificetur. Gregorius ait: postqvàm internus homo expectando expectavit, procul ire debet cuncta fugiendo & manendo in solitudine.

Q.

Q. Quid ſibi vult ea ſolitudo? R. Eſt, qvod homo non ſolùm extrinſecùs deſeruit varietatem externorum ſenſuum, ſed etiam intrinſecùs Varietatem internarum potentiarum, qvæ ſunt imaginificæ (in ſuis Ideis & fictionibus) & Cogitationes, à qvibus ſi ſe abſtraxerit, (qvod fit, cùm in hanc ſolitudinem ſe confert ſuſtinendum hanc paſſionem) futurum eſt, ut Dominus qvem expectavit, veniat in momento conductum eum ſuper omnia in qvandam momentaneam abſtractionem (qvæ coruſcationi ſimilis videtur) atq; exhilaratum ſuper longâ expectatione ejus. Poſtquàm autem hoc factum eſt, proſternit Deus iterum ac ſupprimit eum, ne qvà ſe in ſuâ iſtâc perceptione extollat: hinc dicit Jeremias: A facie manus tuæ ſolus ſedebam, qvoniam commi- Jerem. c. 15.
natione repleſti me. Nam cùm eò pervenerit homo, quò Deus ſe manifeſtet ei, impletur percutiente terrore manuum ejus, qvemadmodum percutitur aliqvis utrâq; manu.

Q. Quid ſentis de percuſſione duplicatâ, nimirum utriusq; manûs? R. Una manus, qvâ Deus percutit hominem, eſt obſcuritas intus obviam veniens, & profunda anxia Via, ſic ut nil noſcat, nil habeat præter id qvod ei occurrit, omne adverſum, peccatum & tentatio, ſuperbia, impuritas, apiſtia & plura alia, qvæ omnia putat homo longo dehinc temporis intervallo devicta & excuſſa eſſe cum immunitate, id qvod ei magnum terrorem incutit, adeoq; hæc eſt percuſſio vehemens, per qvam proſternitur. Altera manus, qvâ Deus percutit hominem, eſt, cùm Deus præponit ei horrendum ſuum Judicium, cujus ſub ſenſu aut cognitione non poteſt ſe homo transferre (collocare) aliò quàm in profundiſſimam abyſſum inferni. Mirum in modum premunt ambæ iſtæ manus hominem, attamen per qvalemcunq; percuſſionem intendit Deus exſtirpare malignum deleteriumq; ſuperbiæ fundum. Qvicunq; his manibus applicantur, in iis exſtinguitur omnis Voluptas magis quàm cunctis aliis exercitiis mediantibus.

Q. Quid tali homini futurum cenſes, qvi cum Prophetâ in eâ ſolitudine exiſtendo ſedatam ſentit qvalemcunq; procellam,

cogita-

cogitationes, Ideas, Species? R. Futurum tunc est, ut Deus cum suis Angelis adveniat illatum ei subitò charitatem operativam, undè res statim incidit ei in memoriam, quam comprecari debebat. Tunc facit Dominus, ac si diceret: Non opus est monitione, scio quid desideras: hoc ipso perficit id, qvod homo desiderat. Advenit autem & hostis advertendum, num qvid de suo reperiat ibi, hinc impellit ac objicit ei plausibiles cogitationes ad obtutum. Id autem non est curandum sed prætereundum, qvod si nec amat nec intendit eas, cogitur Hostis abire illusus à nihilo, homo verò mirè per hunc impulsum præparatur.

Q. Cùm inveniantur homines falsæ vacuitati (Libertati) dediti, qvi omne externum exercitium rejiciunt, simul ac à bonis cogitationibus sibi intus cavent dicendo, ad veram Pacem se pervenisse superatis viribus, dic qvid de hisdem tibi videtur? R. Tales homines semper associato qvopiam Diabolo stipati sunt, qvi expellit id omne, qvod eos foris & intus potest reddere inquietos (operantes) sivè in cogitationibus sivè aliis modis: taliter custodit in illis falsam Pacem, ut subsequenter eos abducat secum in inquiem æternam (infernum).

Q. Dic qualiter è contrario se occupant justi homines, qui falsum eum modum non habent? R. Hi multifariàm exercent se foris & intus sustinendo in cunctis Viis, per qvas Dominus ducit eos, in tentatione, in obscuritate, nullatenus autem affectando, qvasi ad Pacem pervenissent, tametsi non habeant inquiem. Enimverò hi vadunt per semitam angustam inter requiem & inquiem, inter spem & metum, inter securitatem & formidinem. Quin etiamsi illuceat iis vera Pax, sicut & libertas Spiritûs, qvod est securitatis, nihilominus id subitò conjiciunt in fundum sinè ullâ adhæsione. Idcircò qui volunt angustam hanc permeare Viam, iis antè omnia allaborandum est, ut firmiter insistant Vestigiis Vitæ Domini nostri Jesu Christi, qvoniam qvò firmius insistunt, hoc puriores redduntur: qvin & percutientes manus Dei remittunt mutatæ in benignas, qvibus Dominus amanter eos amplexatur ac ducit in sublime super

omnia, tunc excidunt homini res naturales cunctæ ſub tædio omnium, qvæ Deus ipſe non ſunt. Cùm eousq; perventum eſt, concedit Dominus pernoſcendum tenebroſas anguſtas Vias, per qvas contenderunt, qvod autem & noſcendum datur, quatenus nemo iisdem nocere poſſit, exhilarantur, & ſimul ſuper omni paſſione perpeſsâ.

Hæc tibi in Veritate dicta ſunto contrà Spiritûs, qvi gloriantur in falsâ libertate, & qui cum falsâ vacuitate falſam affectant Pacem, imò & contrà eos, qvi ſuis propriis modis ac inſtitutis inſiſtunt cum complacentiâ vel 40. plus minus annis habentes ingentem Virtutis ſpeciem, qvoniam hi omnes nolunt perambulare Viam anguſtam. In numeroſâ Congregatione vix unus vel alter eſt, qvi cupit eam decurrere Viam, & ſi fortè unus vel duo ſunt, hi præparantur à reliquis, dum ab iisdem laceſſuntur, exercentur, imò levi de Causâ aſperrimis Verbis excipiuntur, nam omnia hæc perferunt patienter. Sed ſi qvâ dura his extorqveatur reſponſio, oportet eos confeſtim ad ſe redire, agnitivè defectûs pœnitere. Sileant, ſuſtineant, à Deo ſuſcipiant, qvod ſe hinc noſcere diſcant. Nam ſi quà magnam Patientiam habuiſſent, potuiſſet eorum animus extolli hactenùs: propterea humiliando ſe progrediantur, cùm omnia qveant præparare eos ſivè Curva ſint ſivè recta, qvoad omnia ad bonum vergunt, dummodò benè obſervando ſtudium & operam impendant. Qui Dominum ſic vigilando apertis oculis expectat, ei ſerviet Dominus participando plenum gaudium.

Q. Vigilias ſolvit quies, hanc autumo conſiderandam hoc loco eſſe, poſtqvàm de exercitio Vigilantiæ, de fructu & neceſſitate ejusdem erudiveris me. Dic ergò qvid de quiete notandum ſit in Senſu communi? R. Neglecta quies æq; malè ordinat Vitam atq; victus immoderatus, immodicus Somnus ſenſus torpidos, Vigiliæ nimiæ inquietum reddunt Corpus & ad exceſſum diſtemperant Spiritum, hinc phantaſia depravatur & ſic porrò rationis lumen obſcuratur. Convenit ergò quieti dare Corpus opportuno tempore, ut poſt mediam noctem alacrior ſit

Spi-

Spiritus ad Deum ſe convertendi. Eſto autem, qvod Somnus cuipiam tardius accidat, nil refert, dummodò ſerotino tempore cùm neqvit dormire, animum ſuum ad id negotium applicet, qvod ſibi poſt mediam noctem curandum propoſuerat: manè autem citò ſurgendo ſeipſũ excitet ad fervorem cogitationibus & Verbis amoroſis ergà Salvatorem v. g. de Paſſione, Vulneribus, Charitate ejus, ſeu qvalicunq; alio incidente, qvo homo ſeipſum poteſt excitare eo fine, ut captivatâ omni ſenſualitate, animus cum naturâ diſcat ſupponere ſe omni adverſitati vel à Deo adventanti vel ab hominibus cauſatæ. Oportet namq; totam hominis Vitam ſemper derivare in mortem, per qvod futurum eſt, ut etiam ipſa natura renaſcatur in Deo: quapropter neceſſum eſt, ut homo ſe invertat antè omnia diligenter obſervando internum ſuum fundum, defectûs ſcilicet pervolvendo ſeq; ipſum judicando.

Q. Cùm mentionem hîc feceris mediorum, qvibus homo ſeipſum poteſt excitare, digneris, quæſo, adjicere aliqvid, qvod circà ſui excitationem notandum obvenit? R. Quoad Gratia Dei libenter in nobis operatur, dummodò locus ei concedatur, hinc opus eſt ſcire, qvid ſit faciendum, ne fores Cordium noſtrorum obturemus, nevè introvolentem divinam gratiam moremur. Ad excitationem ergò noſtram qvod ſpectat, convenit,

1. Extollere ſenſus & Vires noſtras omnes ſub cunctis Operibus, Caſibus & Paſſionibus, idq; ſic faciendum in expectatione & indeſinenti amore. Sic namq; impellimur à Deo ad abnegandum nos ipſos pariter & cuncta mundana.

2. Cavere, ne deſiderium noſtrum impediatur per Socordiam, duritiem, aut per qvalemcunq; tentationem, quominus perducamur ad Bonum optimum. Promtus enim eſt Dominus clementiſſimus ſua dona conferendi largiter ac varimodè teſtimonio Scripturæ Pſal. 68, qvi qvotidiè nobis confert dona, qvaſi dicat, qvi dõnis ſuis nos onerat.

3. Innovare ſemper evectionem animi in Dei deſiderio: nam ſic futurum eſt, ut Deus viciſſim nos impleat novis ſui amoris donis.

 4. Fer-

4. Ferventi oratione potentiq; virtute flagitare à Deo effectum beatitudinis sivè productionem vivorum fructuum; siqvidem præsentia Dei manifestat se sub desiderii flagrantis protensione, qvod Deus ab unoqvoq; homine reqvirit. Hîc quidem notandum venit, qvod in hâc ipsâ amoris exercitatione nullus error committi queat, nedum irrita reddi exauditio, utpotè qvod nulla senectus, Pueritia aut Prudentia tanta est qvæ Deum possit impedire, qvominus juxtà immensum suum amorem seipsum donet amantibus se.

5. Cavere, ne ulla externa aut interna Exercitatio fiat pro arbitratu sivè è Consuetudine, sed potius curare, ut omnia peragantur in Dei respectu, fiduciâ, in mansuetudine, oblatione, discretione, obedientiâ & observantiâ, non obstante pavore, obscuritate & gravitate naturæ, quæ non est attendenda. Nam si nuda Dei Voluntas & Gloria quæritur, censeat se homo securum ac certiorem, cui Deus stellam suam (Lucem veram) qvæ Deus ipse est, monstret, qvò perducatur ad Cognitionem ejus, qvod Deus ab ipso reqvirit, & si adhuc ignorat homo, qvandò vel ubi futurum sit hoc, examinet tantùm suos casus, occasiones, tentationes, passiones, sic in seipso persentiet varia media, qvibus Deus ducit eum per seipsum simul ac per Creaturas.

6. Vocationem cautè observare: nam qvem Deus vocavit, eum etiam volebat electum: proindè oportet hominem nôsse, gravissima tormenta subiturum eum, qvi admonitioni divinæ, eoq; suæ electioni resistit ipse.

Q. Nunc etiam consideranda est quies in Sensu spirituali. Propalàm est, qvod homines quærunt usurpare cuncta, qvæ tractant & cum qvibus versantur, hinc potiundæ quietis, Consolationis, Commoditatis, & Oblectationis gratiâ, dic ergò, an cum licentiâ hoc fiat, an verò cujusdam damni respectu careat eâ? R. Deus omnia fecit causâ necessitatis, non verò delectationis, comoditatis aut nause abundæ Satietatis ratione quantum ad nos, qvod restat, fecit ea ad sui solius complacentiam, hinc de quo quæris non est commissum nostræ licentiæ. Ast causas peccatorum

non-

nonnulli homines ſibi ſervant volenter ſcienter, nolentes defe-ctûs ſuos agnoſcere, qvin, dummodò furta non committunt, & impudica facinora, putant omnia geri egregiè, cùm tamen quantoperè decepti ſunt, ſint olim comperturi. Nam ſuam quietem & commoditatem quærunt ſine Deo, nunc in Converſatione, mox in amictu, in victu aut in ſolamine Creaturarum. Homines quoq; quærunt reqviem in rebus ſpiritualibus, ſpecioſis ac veriſimilibus, aliqvi in ſuis internis modis ac Operibus, in propriis inſtitutis & abſtractis ſuis Officiis manendo tàm firmiter in bono eo exercitio, ut eousq; impediant Dominum in Opere ſuo tendenti ad proximam Veritatem. Summatim qvicqvid eſt, in quo homo quærit requiem, qvod non eſt merè Deus, eſt verminoſum ſine exceptione: neq; enim ſufficit, ſi qvis viliſſimè veſtitus incedat, reqviruntur & alia.

Q. Sunt autem qui ſolent ſcitè pronunciare, qvaliter in rebus puſillis plauſibilibus juxtà placitum progreſſi ſunt, cùm eas facilé ac delectabiliter perfecerunt, è qvarum numero ſunt orationes, vigiliæ, jejunia &c. annon videtur ſubeſſe hîc aliqvem defectum? R. In Veritate dico & repeto qvæ antè dicta ſunt, nimirùm, id omne qvod homo poſſidet, ſi acqvieſcit in eo cum oblectatione, totum reddi verminoſum, utcunq; ſit vel appareat bonum, decorum, ſivè expers id earum, formarum, modorum, ſivè rationabile aut uſurpabile ſit: excipitur tantùm ſimplex immerſio in merum, ignotum, innominatum, occultum Bonum, qvod eſt Deus, quæ fit modo abrenunciativo ſuiipſius pariter & reliqvorum omnium, quæ ſe poſſunt manifeſtare in eo. Tale qvid docuit Dionyſius Timotheum his Verbis: Contine te in tuo nihili, nil ſcire, nil cognoſcere, nil velle, præterqvàm in modo abnegativo tuiipſius, nil quærere, nil velle habere, tenendum ſe eſt in modo demerſivo: qvoniam Deus nil ejus eſt, qvod qvis de eo poteſt comprehendere. Eſt ſuprà modum, ſuprà Entitatem, ſuprà bonum, ſuprà omne quod de eo poteſt cognoſci, plus ultrà ſuper ſummum qvàm ullus Intellectus capere poteſt, adhuc altior, longior, infinities ſuprà omnem modum, nec ſic nec taliter.

Q. Er-

Q. Ergonè dicis, ſimpliciter nullam quietem quæri debere ullibi, præterqvàm ibi, ubi dixiſti? R. Tantùm in hoc ignoto Deo habenda eſt qvies ſine vel deguſtationis vel illuminationis deſiderio. Inſerviat huc exemplum canis, qui multis plagis ſic aſſuefactus accedendo ad Macellum non audet carnem attingere, qvin fugâ potius ſe recipit indè. Quod reſtat, inveniet homo tandem certocertius, proindè opus eſt, ut ſe humiliter recipiat in ſuum Nihil, qvod ipſe eſt in Veritate, nam ſi qvid aliud adeſt, non ſuum hoc, ſed Dei eſt. Reſpiciendum quoq; non eſt ad aliqvid qvod poteſt illucere, ſivè ſit expers formarum, modorum, idearum, ſivè ſuperſubſtantiale.

Q. Non tamen deſunt, qui dicunt: Eſt mihi totaliter præſens, qvod indicat eſſe Deum: qvid ſentis de hoc? R. Non eſt, qvod homo curet hoc adeò, ut acquieſcat deſuper, eſt relinqvendum potius ſic uti eſt, nec ultrò inquirendum, adhæc eſt ſubmittendũ ſuæ ignorantiæ, & quidem voluntariæ, quod ſupereſt adhærendum occulto ignoto Deo, & ſimul cenſendum, qvod homo tàm capax non eſt, quo vel in minimo poſſit cognoſcere immenſum occultum ignotùm Deum, in qvo ſolo eſt acquieſcendum & habitandum, non autem in quâdam illuxione vel deguſtatione.

Q. Quæritur hîc, utrum qvis verâ poſſit Pace & quiete perfrui, præter eam quæ in Deo eſt & invenitur? R. Neutiquàm: enimverò tametſi variis curis, conatibus, negotiis, & exercitiis ad unum omnes (unus qvidem plus minus alio) optatam qvietem & pacem conquirere ſtudent, nemo tamen eam adipiſcitur verè neglecto pacis & quietis Authore Deo.

Q. Cùm vigilando & quieſcendo tantum temporis impendendum eſt juxtà præfatam informationem, dic ultimatim, qvaliter ſe tempus habet ad nos? R. Homo eſt ſeptus duplici fine, tempore ſcilicet & æternitate, ideò tempus ad eum & viciſſim homo ad tempus ſe habet ſic, ut id ab eo nil magis obtineat qvàm tranſitum ad finem, qvoniam æternitas eſt noſtra habitatio & finis alter.

Q. Annon notorium eſt, homines promiſcuè non uti tempore

re

re juxtà finem præfixum, dic ergò, quid ſentiendum ſit deſuper? R. A Veneno Lapsûs primi detruſa eſt natura in partem omnium infimam, & propter naturalem hunc lapſum vertit miſer & excæcatus homo cuncta ad partem debiliorem capiendo ubiq; in Viâ quietem ſub oblivione veri finis. Viſcoſum quid habet in ſe natura, cùm ſtatim prolabendo adhæreat ei cum qvo verſatur, & ſivè ſit Spirituale qvid ſivè corporale, externum vel internum, qværat ibi requiem. Qualiter mundani homines ſuam qvietem, commoditatem & oblectationem quærunt, cuivis conſtat, qvaliter autem ceſſurum ſit, ſentient ipſi: aſt qvi ſub Specie ſpirituali habent mundana Corda, & qværunt quietem in cunctis rebus temporalibus ſi nôſſent in quanto verſentur periculo, mirum non eſſet, ſi præ anxietate Corda eorum exareſcerent.

Jam accedendum eſt ad illud opus meritorium, qvod maximè eſt neceſſarium, nimirùm ad Orationem, per qvam acceſſus ad Deum conceditur homini, de hac tamen velut in Compendio antè omnia noſcendum datur, qvod quicunq; precatur à DEO aliud qvid, præterqvàm cognitionem & adimpletionem Voluntatis divinæ, ejus inepta eſt precatio & exauditione indigna.

CAP. IX.

De Oratione.

Q. Cùm Chriſtus ad ſe venire nos jubeat, indica, quæſo, modum, quò veniamus ad eum? R. Modum eum docet ipſe Chriſtus, cùm ait: Petite & dabitur vobis, qværite & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Matth. 7. In hoc autem Opere obſervamus plerumq; duplicem modum, qvo paſſim utuntur homines: nonnulli petere nolunt dicendo, non poſſe eos petere eam ob cauſam, qvia debent & volunt ſic eſſe oblati, ut Deus cum iis atq; cum cunctis rebus eorum procedat juxtà ſuum beneplacitum; alii è contrà ſollicitè ac indeſeſsâ petitione

titione requirunt ea, quæ desiderant habere. Verùm utraq; Pars defectu laborat haud exiguo.

Q. Dic qvid parti priori desit? R. Id illis deest, qvod non considerârunt penitius id, qvod Christus ipse ad orandum nos est hortatus, qvin & exemplum Orationis exhibuit nobis, cum Patrem suum cœlestem diversâ vice ipse precatus fuerat. Hos tamen excusat simplex eorum intentio, cùm fortè non aliter intelligant, ideoq; exaudiuntur, si nihil mali intendant. Nihilominus quædam sunt, quæ Dominus non facit sine præviâ petitione: de hoc scribit S. Augustinus sic: Deus rogari vult, & ideò permittit hominem sæpè ad extrema redigi, qvò excitetur indè ad Orationem, & Deus juvat exauditq; eum propterea, ut Charitas ejus attracta fiat ardentior, ipse autem ab exauditione reddatur hilarior.

Q. Dic etiam qvid alteri parti desit? R. Hi qvidem plurimum orant atq; ferventer, ast iis deest hoc, qvod resignatione frustrati semper cupiunt rerum, qvas expetunt prosperum successum. Unum qvidem est faciendum, ast alterum non est intermittendum, hoc est, rogare debent Deum sedulò, sed verâ sub resignatione, sic ut gratum acceptumvè sit illis, qvicqvid placuerit Deo in cunctis modis & rebus.

Q. Quid de Oratione tibi videtur? R. Oratio est opus utilissimum, suavissimum, præstantissimum & fructuosissimum eorum omnium, qvæcunq; in Vitâ temporali possunt expediri.

Q. Dic quid de Oratione noscendum est? R. Oportet 1. nosse qvid sit Oratio, seu qvalis Orationis essentia sit, 2. noscendus est locus, ubi orandum est, 3. & modus orandi.

Q. Quid est Oratio? R. Oratio sivè Essentia Orationis est animi ad Deum elevatio.

Q. Quis locus Orationis? R. In Spiritu est locus, ubi orandum est, qvemadmodum ipse Dominus dicit.

Q. Quomodò demùm orandum est? R. Homini bono orare volenti incumbit externos suos Sensus omnes colligere intrà se, eoq; animum suum perspicere scrutatum nùm verè sit ad

Deum

Deum converſus. Sanè modum hunc poteſt habere homo in gradu ſupremo, medio & infimo: qvò qvidem conducit plurimum, ut ſedulò volvat animo, qvid eum impenſius excitet, quidvè inſerviat ad veram devotionem, id cùm invenerit, qvicqvid ſit, pro ſuo ſibi ſumat exercitio.

Q. Cùm autem præcipuus finis Orationis ſit exauditio, dic, quæſo, qvid faciat potiſſimum ad exauditionem? R. Oportet avertere ſe à cunctis rebus externis & temporalibus, nè cogitet qvicqvam qvod non eſt divinum, ſivè ſit delectabile, ſivè abominabile, extraneum, excludat vanitatem veſtium, ornatûs, idq; omne cujus Deus non eſt vera & unica Cauſa. Eò ergò pertinet, ut omnia Verba, geſta, Vitam & mores præſcindat & purget, ne inordinatum qvid (ſivè internum ſivè externum) inibi reperiatur. Talis namq; eſt & eſſe debet præparatio ad veram Orationem, qvoniam S. Petrus dicit, Orationem debere eſſe unanimem, hoc eſt, oportet, ut homo faciem fundi ſivè mentis ſuæ ad Deum totaliter (præſenter) vertat, utq; animus cum manſuetâ benignitate Deo adhæreat. A Deo accepimus cuncta qvæ habemus, an non ergò deceat, omnia rurſus Deo offerre animo ad eum verſo ſic ut maneat indiviſus & unitus? ſed cùm hoc fit, oportet extendere cunctas vires & potentias tàm internas qvàm externas translatum eas in Deum. Iſte eſt modus ad veram Orationem requiſitus. 1 Petr. 3.

Q. Siccinè ad veram Orationem non poteſt referri, ſi quis pſalteria recitet Ore, Corde horſum illorſum vagante? R. Qvatenus hujusmodi Oratio eſt tantùm verbalis, non verò realis, hactenùs inanis eſt & pro nullâ habenda. Notandum hîc inſuper, cunctas Preces, aliaq; Opera, qvæ Orationem mentalem impediunt, eſſe poſthabenda, qvaliacunq; ſint, qvalitercunq; appareant bona & eximia.

Q. Qualiter opus eſt ſe gerat internus homo, cùm aliqvandò toti communitati Preces injunguntur pro qvalicunq; neceſſitate? R. Si fortè talem hominem, uti plerumq; fit, externa verbalis Oratio impedit, qvominus in Spiritu verè oret, conveniet,

ut recollectum ſeipſum vertat in fundum internum animo elevato, extenſis potentiis, interno ad Dei præſentiam reſpectu & deſiderio divinæ Voluntatis,ſicq; profundius merſus immergat ſe planè in clarificatam Dei Voluntatem. Sub iſtâ ſubmerſione opus eſt trahat ſecum omnia qvæ demandata ſunt ei, cunctas ſcilicet neceſſitates, eoq; expetat, ut Deus laudem ac honorem ſuum proplacit operficiat in homine, iſtiusmodi Oratio longè eſt efficacior cunctis aliis precibus verbalibus.

Q. Ergòne interna Oratio ſemper prævaleat externæ? R. Imò Oratio in Spiritu facta ſine paritate præcellit cunctis externis precibus, cùm & cœleſtis Pater deſideret ejusmodi adoratores, & cunctæ aliæ preces faciant ad eam Orationem.

Q. Annon ſic majus opus eſt, ſi interna & externa Oratio ſimul fiat? R. Vel maximè: dummodò homo ſit adeò exercitatus, ut utraq; poſſit ſimul fieri ſine impedimento, nimirum usq; adeò in vero Uſu & actu, ne una impediat alteram. Sed id vel ſolum reperitur inter homines clarificatos, qvorum idem eſt Uſus & actus ſine obſtaculo, prout in Deo eſt unum & idem, ſumma ſcilicet Operatio & ſinceriſſima Uſurpatio, hæc ſcilicet Eſſentiæ, illa Perſonarum, de qvâ re alibi.

Q. Dic nunc, qvid inter orandum præſtat Mens? R. Quamprimùm ſe qvis ad Deum convertit ſub Oratione, oppignorata eſt Mens ejus, qvia non ſui juris. Quodſi homo foris poſuerit excubias caducarum creaturarum ad cuſtodiendam mentem, idipſum eſt qvod impedit, qvo minus Deus poſſit intrare in animam incarceratam.

Q. Dic undè naſcatur tædium Orationis? R. Indè procedit & faſtidium, ſi qvis orat ſine mente: orat autem ſinè eâ, cujus mens captiva tenetur: neq; etiam Deus habitat in animâ incarceratâ, hinc ſine ſapore Oratio, qvia ſine devotione, & ſtatim ſubſeqvitur tædium (finis) Orationis.

Q. Qualiter autem poteſt averti tædium hoc? R. Averti poteſt facilè, dummodò oppignorationis fiat integra ſolutio, mensq; liberetur ab omni cuſtodiâ amoris, reſpectûs & inclinationis ad Crea-

Creaturas habitæ, cùm hoc notandum sit intrante Deo exclusas esse debere qvascunq; Creaturas. Ab omni caducâ atq; inutili sollicitudine evacuandus est animus, cùm expurgato animo faciliùs sit ad Deum se levare, qvàm igni aut Avi altum petere. Et si qvà velimus pervenire ad abditiores Dei recessus, ad minimum est hoc necessarium, ut omnium primò descendamus in proprii nostri fundi profunditatem, hoc est, in veram humilitatem, ibidem anima se offerat cum cunctis suis defectibus & peccatis, se sic sistendo antè portam Reverentiæ divinæ, ubi se Deus effundit in misericordiam, & si qvà tunc persenserit, se boni qvid ac virtuosi à Deo habere acceptum, opus est procedat ulterius, sistendo se antè portam Clementiæ divinæ, ubi se Deus diffundit in modo benignitatis ac ineffabilis Charitatis.

Q. Tametsi qvis pro virili abstraxerit se à Desiderio & curâ rerum caducarum, nihilominus remanet adhuc insigne impedimentum, qvod consistit in hujusmodi Ideis (Speciebus) qvæ nequeunt excludi, quæritur ergò, qvid hactenùs Consilii? R. Si qvis Ideas nequeat excludere irruentes, consultum est hoc facere, nimirum opus est, ut se exerceat in adversum, de reliqvo non extravagetur, sed Deo se committendo patienter toleret omnia, donec tandem à Deo liberetur. Nam istæc simul ac omnis alia passio interna & externa tùm evanescit, cùm Deo visum fuerit, ità ut homo ignoret tunc, qvid secum actum fuerit. Quodsi nimis gravis videatur passio, ad Deum recurrendum est atq; in Spiritu humilitatis dicendum: Miserere mei Domine, ad adjuvandum me festina. Quod restat, penetra in profundum tuum nil aliud faciendo, sic namq; futurum est, ut qvamprimùm evaseris elabentibus paulatim Ideis (adversis defectibus), à qvibus homo citrà Voluntatem suam cruciatur. Hæc est Crux Domini, qvam si qvis portaverit seqvutus Dominum suum, mercedem indè magnam reportabit, hoc est, ipsum Dominum, summum Bonum.

Q. Cùm ad Orationem promiscuè referantur preces & rogationes pro quotidianâ necessitate & comprecationes pro aliis insti-

institutæ, adoratio autem Dei ad speciem Orationis aliam reqviratur, dic velim, an Deus tantùm qvoad cultum sit adorandus in Conspectu ejus atq; in Congregatione (Ecclesiâ); an verò ex debito (necessitate) etiam alibi? si hoc, qvandò & ubi? R. Semper & ubiq; ex debito (de necessitate).

Q. Dic qvaliter Deus verè adoratur? R. Quisquis vult Deum Patrem adorare verè ac sincerè, componat se necessum est in unum congregando suum desiderium, Spem & Fiduciam, ut sine interposito medio creatus Spiritus accedat propius ad increatum Spiritum. Sita est autem istæc virtutum Compositio in Collectione potestatum, Collectio verò in mentis sibi præsentis & adunantis arbitrio (motu proprio) hactenùs etiam mens transcendit & tempus & locum oblita Lege ac munere Corporis.
1. Thesſal. 1. 5. Huc respicit illud Pauli, cùm dicit: oportet lætari semper, Deoq; gratias referre pro qvibuslibet rebus atq; orare incessanter.

Q. Quinam sunt, qvi orant incessanter? R. Sunt, qvi cuncta Opera sua perficiunt in Dei Amore renunciantes lucro (commodo) indè emergenti, qvi flexi humiliter se Deo offerunt, qvo ipse solus in iisdem operetur.

Q. Assidua ea Oratio, cùm in potestatibus mentis præfato modo recolligitur, quæritur, qvid indè succedere soleat? R. Sub eâ potestatum ac virtutum in unum recollectione transformatur anima in Spiritum, qvod si Spiritus demum in perfectâ Voluntatis communione Deo adhæret. accedit hoc insuper, qvod sine morâ Dei formis redditur, hoc modo pervenit ad illum ipsũ finem, propter qvem conditus est. Hoc est, qvod dici solet, adorare in Veritate.

Q. Ex his qvi Deum adorant dic qvinam sunt, qvi non adorant in Veritate? R. Quotusquisq; est, qvi à Deo flagitat Bonum temporale (è penu Creaturarum depromtum donum) is suo id petit damno, cùm sit indubium, Creaturam (qvà talis) ubivis locorum ferre secum suam molestiam, damnum & malum. Neq; miretur aliqvis, cùm viderit affici eos molestiâ & calamitate.

tate,qvi Deum exorârunt causâ collationis munerum,qvæ nonnisi damnum & molestiam secum ferunt: Uti enim inepti fuerunt petendo, ità sunt redditi anxii impetrando. Inter eos qvi Deum quærunt,nullus invenit eum, si præter Deum simul quærit aliud qvid, qvi verò Deum solum in Veritate quærit, invenit eum,atq; cum eo omne qvod DEUS vel habet vel potest conferre.

Q. Dic cur Oratio est opus tàm necessarium? R. Quia per eam impetratur & conservatur, qvod sine eâ aut negligitur aut amittitur. Uti enim impudico & incessanter sollicitanti indigo confertur juxtà petitum etiam id, qvod rogatus aut planè non aut ægrè saltem daturus est; ità etiam incessanti Oratione impetratur remissio peccatorum & omne bonum donum, qvod vel iratus Deus non concedere, vel non rogatus non proposuerat conferre. Cumq; hoc opus tantæ sit conseqvutionis,adeoq; tantæ necessitatis, ut etiam hi qvi bonis Operibus nil tribuunt eximiam efficaciam ei adscribant, hinc diligenter est perpendendus orandi modus & instantia, qvem per Exemplum Patrisfamiliàs etiam noctu non inexorabilis depingit Dominus.

Q. Undè habes qvod dicis, Orationem esse tàm necessariam tamq; efficacem, cùm fieri nequeat, qvin hoc supposito Orationis opus sit meritorium, qvod Fidei adversatur? R. Viderint hi qvi nil nisi Fidem tantoperè necessariam prædicant detortis dominicis Verbis ad simplicem Fidei formam; videant, inqvam, qvantum adversetur eorum doctrinæ id qvod Os divinum docuit, ac præcepit: indè namq; habeo, qvod dico, qvia ipse Dominus, postqvàm docuerat orare, inculcavit suis discipulis Orationis exercitium, ejus causâ interstinxit qvoq; Orationis modum in tres veluti gradus perpulchrâ dictionum Varietate,qvibus omnis conquirendarum rerum conatus describitur, ut cùm jussit orare, quærere & pulsare. Quodsi Oratio non est opus necessarium, cur jussit orare? cur jussit ultrò quærere, & qvod mirum insuper pulsare? si non est efficax, sed insuper (qvod ex eorum doctrinâ seqvitur) actio iram promerita, cur dicit Dominus:

minus: Rogate & accipietis: quærite & invenietis, pulsate, aperietur vobis? Hanc admonitionem obfirmavit inducto Exemplo, eum in finem, ut qvilibet impensius trutinet dominicorum verborum pondus, qvæ qvidem nullibi minus observantur, qvàm ubi sæpissimè prædicantur.

Q. Annon diversum qvid indicatur triplici istâ Enunciatione? si hoc, qvaliter adorationem spectat diversa actio? R. Non sine causâ Christus utitur diverso hoc dicterio, siqvidem volebat sic orationis modum & qualitatem scitu necessariam revelare, ne qvis prætexat qvidpiam, cùm ejus non exauditur Oratio. Spectat autem ad efficacem orationem diversa actio, qvoniam ad orationem reqviritur notitia petiti, impensus animi motus ac integra, sincera & constans ad Deum conversio, sinè qvâ orare qvis potest, sed inaniter nec sine culpâ, cùm sic per accidens cum & coràm Deo versatur. Est autem orare nil aliud, qvàm Corde ad Deum converso, desponsoq; (devoto) desiderio postulare à Deo qvidpiam. Quærere autem est unum eligere præ alio, ne indistinctè qvis rogatum veniat id qvod non vult, aut qvod non intelligit, qvaliter qvidem faciunt, qvi cùm ad Auditoria citato cursu properant, satis esse putant, si qvà è libro legerint compositas preces, discurrentibus interim hinc indè Oculis, Auribus & Cogitationibus, animo qvoq; multis aliis inviso, Corpore verò vel ad stricturam unito vel ad quietem segniter composito. Divino Studio elaborata est oratio dominica, undè exqvisita & ad omnium promiscuè necessitates directa. Quicunq; scrutatur, is omnem operam ad id impendit, qvod quærit inveniendum posthabitis interim aliis rebus; ità omni diligentiâ scrutandum est, qvid qvaliterq; à Deo qvis expetat. Pulsare est instare ac non cessare, donec petitæ rei obtineatur adeptio. Indè constat modus & qvalitas Orationis, ut si rogatum non impetratur, inveniatur quæsitum, si non inveniatur, aperiatur dum pulsatur. Uti enim reiteratus tùm Vocis tùm pulsationis strepitus ferit aures fortius, rogatoq; nuntiat non cessaturam molestiam; ità & comta protensaq; Oratio provocat Dei Misericordiam.

diam. Indè diſcimus, qvalis ergà Deum reſpectus requiratur à nobis, cujus ne minimum qvidem tangit Corda obturata.

Q. Dic qvid per Amicum vult indicatum Dominus noſter in parabolâ? R. Quamvis parabola poſſit ad omnem fidelem rogantem referri, hîc tamen ſolùm reſpondetur juxtà ſenſum qvi homini jam præparato & ſpirituali poteſt applicari, & dicitur, per Amicum pulſantem qvi peregrè venit, intelligi mentem humanam. Perſæpè enim extravagatur Mens benè exercitati hominis in diſſitas regiones, per arida, tortuoſa, diſparia, deſertaq; loca oberrando, indè cùm revertitur, fruſtrà eſurit, ac ſitit quæſitum bonum, cùm ipſa non habeat, qvo ſe reficiat. Vadit autem ad Amicum ſuum (Deum) petitum refectionem, nec ceſſat pulſare, ſi Deus abnuerit, donec ſurgat eiq; largiatur omne qvod petiit.

Q. Siccinè exaudit Deus orantes electivè? R. Haud dubiè! Nam tantum abeſt ut non exaudiat eos, qvi pulſant (in oratione conſtanter perſiſtunt) ut etiam cuncta largiatur iis qvæ petunt ab eo ſeu mediatè ſeu immediatè, hoc eſt, per ſeipſum, & hâc ratione dicit Chriſtus: petite & dabitur, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Immenſurabilis qvippè Clementia Dei eſt, cui dare complacet, dummodò conſtanter pulſetur: hinc probè obſervanda eſt mira ac præveniens gratia Dei, qvoniam ipſe non ſolùm monet, ſed etiam docet orare, imò ad orandum compellit, qvo ipſo confirmatur, hominibus in oratione perſiſtentibus dari dona petita.

Q. Cùm autem pauciſſimi homines juxtà præfatum ordinem orent, nimirum ſic, ut, ſimul orando quærant ac pulſent, qværitur, annon & hi qvi è ſolâ conſuetudine aut urgente neceſſitate aut indecenter orant, exaudiantur & omnis generis dona petita accipiant? R. Neutiqvàm exaudiuntur otioſi, nec dona dantur temerè ambulantibus, qvin etiam inanes negligentium, pigrorum & incuriorum preces ſunt Deo perqvàm exoſæ, cùm nec omnes exaudiantur, qvi orant inceſſanter, uti inferius dicetur.

Q. Quonam modo ſe rectè componit homo ad orandum decenter?

center? R. Decenter orandi modus is eſt, cùm antè omnia mens introvertitur & ab omnibus divagationibus, diſtractionibus, diſperſionibus revocatur & velut aggregando unitur: hæc animi compoſitio eſt ſummè neceſſaria oranti, proximè huic accedit vera humilitas, qvatenus orans ſupplex flagitat Eleemoſynas Dei.

Q. Cùm aliàs ad oſtium pulſetur, an id hoc loco etiam obſervandum eſt? R. Omninò: imò cùm Dominus ipſe ſit oſtium, neceſſum eſt pulſare tribus in locis, ſi rogantes cupiunt intromitti in Veritate: ſemel qvidem cum devotione pulſandum eſt coram aperto Corde Domini noſtri JESU Chriſti, qvò recondant devotionem & confeſſionem paupertatis eorum petendo inſuper micas dominicæ gratiæ ad Exemplum miſeri Lazari antè Divitis oſtium mēdicantis. Per hanc namq; gratiam donatur immutatio naturæ. Deindè pulſandum eſt coràm Vulneribus ſanctiſſimarum manuum Chriſti, ut per Cognitionem Dei illuminatus rogans evehatur ad Deum. Deniq; pulſandum eſt coràm ſtigmatibus ſanctiſſimorum Pedum ejus expetendo veram Dei Charitatem, qvæ Deo adunat.

Q. Quid autem pulſanti eſt poſtulandum à Corde paterno? R. Id qvod rogandum eſt, parabolicè indicatur à Domino noſtro triplici cibariorum genere, Panis ſcilicet Piſcis & Ovi.

Q. Quid ſignificatur per ea? R. Per Panem intelligendus eſt Amor ergà Deum, per Piſcem Spes firma, per Ovum autem Fides viva. Hæc ſunt dona bona à Patre Luminum in rogantes deſcendentia, Spiritum bonum rectumvè efficientia. Uti enim Cibus omnium deſiderabilis non ſapit ſinè Pane; Conſimiliter & cuncta alia deſiderabilia nil proſunt ſine Charitate Dei.

Q. Ecqvid prætereà eſt ſimul obſervandum oranti? R. Neceſſum eſt, ut orans à Deo expetat Inſtructionem, qvo eam petitionis ac devotionis ſuæ partem, qvæ Deo acceptior, roganti autem eſt utilior, cognoſcat.

Q. In qvo cognoſcitur divina inſtructio, qvæ aliàs vocatur inſtinctus & inſpiratio S. Spiritûs? R. In eo cognoſcitur, cùm homini

homini devoto quædam rerum divinarum incidit contemplatio; siqvidem cùm res divinæ (cœlestes) sint Dei, necessum est eas non nisi à Deo objici bono homini eo fine, ut intellectus ejus in iis exerceatur, totusq; homo consequenter collectus assuescat simili exercitio. Homo ergò attendens Instructioni divinæ arripiat qvamcunq; incidenter objectam materiam spiritualem, sivè attineat Deitatem, Trinitatem, Passionem, Vulnera, Mortem Christi, sivè qvid aliud præfatis consimile, idq; contempletur meditando. Indè namq; fiet, ut agnitâ suâ tenuitate Deo gratias agat, & in qvodcunq; pium desiderium rapiatur &c.

Q. Qualiter orandum est, num sufficit mente, an Ore orare opus est? R. In Spiritu orare sufficiens est, tùm & commodius, Ore autem simul orare creditur potentius adversus Diabolum; verùm non omnes æq; valent utrumq; ritè peragere, cùm à vocali Verborum pronunciatione turbetur nonnullorum meditatio, contrà verò aliorùm suffocetur meditatio, nî sonorâ Verborum detonatione orans excitetur. Qvi autem gratiam mentalis Orationis non habent, prospiciant sibi necessum est, qvò Verbis expressam Orationem absolvant in timore Dei cum summâ Reverentiâ summaq; devotione, sic namq; fieri assolet, ut supplici Verborum strepitu amor ergà Deum succendatur.

Q. Cùm Dominus noster jubeat quærere, quæritur qvid maximè sit oranti quærendum? R. Quærendum objectum qvod unum est, Deus scilicet, & modus qvi varius est.

Q. Cùm hoc objectum nullo modo queat concipi, qvid faciendum est? R. Rogandus est Deus, ut per Filium suum unigenitum seipsum objiciat homini tali modo, qvalis gratissimus sit ei. Uti enim sinè hâc petitione non datur electivè modus gratus; ità qvoq; fit, ut multi orent non coràm pedibus Domini, sed coràm Idolis Cogitationum suarum, Ideis nempè aut ab humano genio confictis, aut à Cacodæmone prælusis & præfixis. Modi verò diversi & plurimi inveniuntur à quærentibus, idcircò qvalemcunq; modorum orans inveniat, dummodò plus alio devotionem hominis accendat, sitq; pariter opportunus &

gratus, sivè in peccatorum (vitiorum) pensitatione, querelâ defectuum, & expiatione sivè gratiarum actione, sivè in simili alio consistat, istum sibi tunc servet & absolvat modum. Hoc loco sensus præfatæ inqvisitionis is est, ut orans quærat primò exquisitam Dei Voluntatem, secundò optimam suæ beatitudinis partem, & qvidem perseveranti tentationum decertatione, cùm juxtà Pauli effatum non coronetur nisi qvi viriliter obluctatus fuerit.

Q. Nunqvid Dominus Deus noster Fidem vivam, fiduciam & charitatem largitur iis, qvi triplici hoc modo Deum exorant desuper? R. Hoc ipso nil unqvàm certius est. Scriptum est: roganti dabitur: qvin etiam Dominus à simili rem exaggerando confirmat dicens: Cùm vos qvi mali estis, Filiis vestris bona dona datis, qvantò magis Pater cœlestis Spiritum rectum dabit iis, qvi eum exorant. Is autem Spiritus rectus est, qvi per Fidem, Spem & Charitatem rectificatus adunatur Deo juxtà conformitatem.

Q. Cùm Deus tàm benignus qvorumcunq; donorum largitor sit, ut etiam divina dandi pronitas in comparatione præferatur longissimè recipientis desiderio, dic qvî fiat, qvod multi eorum, qvi qvotidianis Precibus & Concionibus intersunt, multi etiam ex his, qvi toto ætatis decursu easdem Orationes (dominicam & psalmodias) qvas S. Spiritus docuit ipse, recitant, variisq; modis totidemvè gestibus declamant, non exaudiuntur, eoq; Panem vivum (amorem Dei) non recipiunt. Quis neget hancce desertionis causam esse fonticam? R. Id propter gravissimam Causam fieri inficiandum non est. Hæc autem Causa, cur orantes non exaudiuntur, ea est, qvia eorum Cor (fundum) est occupatum amore alieno: ast cura rerum caducarum est ille obex, qvo ostium mentis clauditur, ne Panis vivus (amor DEI) queat ingredi ullatenùs, utcunq; suetas qvis eloqvatur preces.

Q. Si amor amori cedit, annon supponitur qvemvis hominem amare qvidpiam? R. Imò oportet hominem amare aliqvid, cùm ipsa humana mens ex parte constituatur amoris potestate:

testate: idcircò dicitur: qvemadmodum Corpus non vivit sinè animâ, ità qvoq; non potest mens non amare qvidpiam.

Q. Annon hoc ipsum suppositum instituit examen mentalis arbitrii? R. Imò: qvin etiam exhibet homini Notionem suæ culpæ, ac subsequentis despectionis. Ea propter qvàmprimùm aliqvis scrutatum se vadit, deprehendet ilicò cum qvo versetur, qvaliterve sit secum comparatum. Id namq; observandum est, qvod amor unus pellit alterum, cedat mundanus divino, aut hic illi necessum est, cùm alter ad alterum disparatè aut incompatibiliter se habeat. Augustinus dicit: effundite ut repleamini.

Q. Quamvis non detur qvod petitur, dic, qvæso, qvidnam præterea datur illis, qvi Corde mundano, fundo scilicet repleto (obsesso) rogatum veniunt divinam summè venerandam Majestatem? R. Talibus non qvidem Panis, sed pro Pane Lapis datur, Cor scilicet saxeum, exsuccum, frigidum, rigidumq;, devotionis & gratiæ expers, id autem non Dei sed propriâ Culpâ eorum fieri indubium est.

Q. In qvo consistit Culpa eorum? R. In eo, qvod qvidem variâ librorum lectione se occupant, verùm sine fructu, cùm indè non accendantur ad devotionem, nec ardeant ejus desiderio, nam in crasso eo cæcove modo qvem sibi usurpant, obdormiunt iterumq; consurgunt semper idem repetendo, peractisq; frigidis suis precibus abundè satisfactum putando. Hâc evidenti eorum Culpâ, justoq; Dei Judicio fit, ut fundum eorum obrigescat tantâ duritie, ut saxo minus flecti aut frangi queat.

Q. Quæritur adhuc, an Corda petrefacta queant cognosci? R. Omninò, ast non sine damno. Nam si qvis iis objecerit adversi aliqvid, jam fundum exploravit, siqvidem sibi temperare nesciunt, qvin saxeum Cor ilicò prodant.

Q. Nonnè expedit ejusmodi scopulos devitare, ne qvis impellat in eos? R. Petrificata Corda qvàm maximè vitanda sunt, qvatenus non scopulorum instar sunt immobilia, sed salientia, qvæ sibi adversos longo impetunt intervallo, hæc qvia instructionem non admittunt, longè minus perferunt repercussionem

etiam qvam minimam. Idcircò consultum non est, ut tales qvis corrigat aut Verbis excipiat; sed si necessum est responsa dare, id solâ affirmativâ vel negativâ fieri potest juxtà doctrinam Christi: qvod restat clauso Ore apertoq; ad Deum Corde humiliter ac mansuetè versandum est inter eos, qvi nobis sunt contrarii, qvaliter abundè docent parabolæ ab Ovium proprietate desumtæ, & habitus testudinis, qvi secum habitare docet in silentio. Mirum autem qvod qvibus Corda petrefiunt, si diutius latendo lapidea permanserint, non solùm Panem non accipiant, verùm acqvirant etiam pro Pisce Serpentem, pro Ovo Scorpiū.

Q. Qvo signo dignoscuntur ea Corda petrefacta, qvibus pro Pisce Serpens datur? R. Cordis petrefacti indubitatum indicium est Judicium præcox illis nimis familiare, qvi non secum habitant, sed in proximi Vitam & facta inqvirunt, hinc à Judicio vesano sibi temperare nesciunt. Nam qvemadmodum Serpens hinc indè serpit qvæsitum loca, qvæ suo Veneno inficiat; ità hujusmodi homines solent cuncta qvæ vident vel audiunt, Veneno suo inficere idq; vomendo, (hoc est per contemtum alterius) ejicere: ejus generis Serpentes inveniuntur naturalibus excessivè longiores, sic ut non solùm ad Vicina, verùm etiam ad dissitissima loca suâ caudâ pertingant. Hi volunt alios habere tales, quales ipsi sunt nunquàm. Ad genus serpentum pertinet quoq; Species Cæculæ, quæ habetur pro figurâ occulti odii (detractionis) cujusmodi nonnisi è pravo & amaro Corde prorepit. His similes non sunt, qvi judicant seipsos, non alios, nam sic à tàm pernicioso Veneno præservantur.

Q. Quinam sunt, quibus pro Ovo Scorpio datur? R. Sunt isti etiam, de qvibus jam dictum est, hi namq; deprehenduntur vanâ de seipsis Opinione, Spe falsâ, inflatione & temeritate decepti, & hoc ipsum indicium est ejus, de qvo jam dictum, qvoties audiuntur hoc vel simili modo loqventes: Qvid obstat, ne salver ad æqvum cum illis, qvi pari modo cano, oro, lego, eaq; cuncta facio, qvæ alii fecerunt? Id qvod de Scorpio dicitur, qvod Ore blanditur, caudâ pungit, in fine Vitæ accidit falsæ Fidei, va-

næ

næ Spei & vafræ temeritati. Communis qvippe experientia docet, tunc ictum æternæ mortis infligi, qvamprimùm falsum (obsessum) fundum panditur, cùm sic cessante solatio perdantur lapsi in desperationem.

Q. Dic undè tantum periculum? R. Indè venit maximum hoc periculum, qvod præ negligentiâ non considerantur defectûs neq; pervestigatur suum cujuslibet fundum, cujus tamen Cura cuilibet demandata est.

Q. Quodsi verò rem suam curans invenerit fundum suum durum (saxeum), dic, qvid tunc est faciendum? R. Opus est, ut talis homo contineat se intrà seipsum in mansuetudine, humilitate & resignatione, rogando interim, ut ipse Dominus fundum præparando gratum sibi reddere dignetur.

Q. Si verò talis homo acerbis Verbis ac Judiciis iniqvis lacessitur, qvomodò debet se gerere in hâc afflictione? R. Suspensâ sui Justificatione oportet silere ad exemplum Christi præcursoris nostri, nam & hoc à Deo immediatè provenire censendum est.

Q. Annon & inter bonos qvi Deum toto Corde quærunt, ac desiderant, invenitur qvædam Cordis durities & frigiditas? R. Omninò: imò multorum bonorum est interna ea petrefactio, ut etiam bonum id qvod faciunt, sit tædio & tarditate permixtum. In hâc internâ duritie contineat se homo necessum est, qvamdiu eam observat, cavendo ne conjiciat sibi aliundè solatium, qvo tollitur præfata devotio.

Q. Quid autem est faciendum sub occursu defectuum, qvi rigido Judicio corripiunt? R. In tali Correptione persistendum est, imò etiam præstat seipsum ultrò corripere.

Q. Si tale Correptionis Judicium duraverit per dies plures, qvid sentis faciendum? R. Cùm valdè bonum hoc, condecens esset in seipso per hoc coràm Deo obrigescere. Ideò qvamprimùm ex ordine suo qvis lapsus fuerit, est opus, ut sine morâ expetat à Deo reductionem.

Q. Quid si externæ actiones (negotia) impediunt hominem?

R. Impediunt minimè, si juxtà ordinem ritè perficiantur: id autem qvod impedit, est homo ipse seu malè ordinata factorum & faciendorum dispositio, qvia per id, qvod Deus non sincerè proponitur in charitate, in animo, in respectu (qvod Psalmista reddit antè conspectum suum) efficitur, ut homo sit sine Deo, dispersus, malè ordinatus, larvatus. Et sic in vitiosâ rerum gerendarum dispositione, non in ipsis factis consistit impedimentum.

Q. Scriptum est: Subjicite vos Domino & rogate eum. Expone qvid denotet id, qvod homo se debeat subjicere priusqvàm oret vel roget Dominum? R. Subjectio ista est sic intelligenda, nimirùm, necessum est homini habere internum subjectivum & rationalem respectum Spiritûs, hoc est, qvo se cum suis defectibus pariter totaq; suâ exilitate ponat antè fores immensæ & ineffabilis Majestatis Dei, undè Deus derivat in modo infinitæ Misericordiæ, æternæ Clementiæ, ardentisq; Charitatis & gratiæ versus omnes homines, ibi opus est offerat Deo humiliter omnes Virtutes, cuncta bona Opera qvæ homini tunc insunt. Hîc namq; captivatur tota Voluntas sic ut integer homo subjectus Deo præcipitem sedet in qvalemcunq; miseriam, egestatem & obscuritatem, qvas patiatur sub Dei permissu usq; ad Judicium novissimum, & hoc ipsum est qvod homo rogare debet à DEO. Nam & Lumen & Lætitia hîc talis revelatur cunctis his, qvi juxtà præfatum modum in veritate & humilitate passi sunt, qvalem ratio non potest comprehendere. Charitas seipsam hîc revelat potestativè; verè etiam nascitur hîc sapientia & discretio, qvæ studiosè observanda est, qvoniam non cognoscitur foris, nec potest à qvoqvàm edoceri: ad hoc internum fundum sit Oculus discretionis semper conversus, ne lumen anteqvàm noscere discit, iterum excidat, qvod ipsum qvoq; nunqvam lucet iis, qvi hujus Observationis Judicio carent. Hîc orat homo in Spiritu & Veritate, & sub hâc Oratione adunatur Deo. Subjectio humilis hominis debet semper esse talis, talis Oratio, nimirùm ex interiori Spiritûs & intellectûs. Manuale hîc est, vade mecum, & breviarium, cujus paginæ, margines &c. sunt diligenter pervolvendæ.

vendæ. Huc intus vertatur omnis induſtria, omne Exercitium, nunqvàm autem externis actionibus diutius incumbendum eſt, nî homo ſe prius vi qvâdam ad fundum internum contulerit, ex qvo cuncta Opera debent procedere, ſivè ea concernant ſummas, medias vel qvalescunq; res alias, ſive venerabilem paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Q. Cùm in Scripturâ Oratio paſſim vocetur Sacrificium (oblatio), Cauſa autem cujus ergò vocatur ſic non omnibus ſit cognita, dic qvænam ea ſit? R. Conſiſtit ea in hoc, cùm qvis ſeipſũ unà cum totâ ſuâ devotione offert in ſanctiſſima Amoris ſigna Domini noſtri Jeſu Chriſti: v. g. pro primo debet facultas concupiſcibilis offerri (ſepeliri) in Vulnus Pedis ſiniſtri, pro ſecundo debet offerri facultas iraſcibilis in Vulnus Pedis dextri. Tertiò debet Voluntas poni in Vulnus manus ſiniſtræ. Quartò immergatur totum univerſum ſenſuum, potentiarum & virium in Caput ſanctiſſimum coronatum. Quintò commendetur Intellectus in Vulnus dextræ Manûs eo fine, ut Filius Dei Dominus noſter Jeſus Chriſtus informet, regatq; divinâ ſuâ Potentiâ interiorem hominem. Poſteà effundat ſuam Virtutem charitativam in divinum apertum amoroſum Cor Domini noſtri, ut totum trahat ſibiq; uniat hominem abſtracto deſiderio & reſpectu ejus à Creaturis (ab omni eo, qvod non eſt ipſe Deus). Hic eſt modus, qvo homo ſemper & ſummâ induſtriâ intus & extus pervolvere debet immenſurabilem rationem tot Vulnerum, tantæ paſſionis & mortis amaræ Domini noſtri, qvatenùs ad hanc exercitationem, nemo eſt tàm infirmus ac ſenex, qvin eam auxiliante Deo qveat perficere, dummodò velit ipſe. Omnis itaq; hîc impendenda Cura eſt homini, ut eam addiſcendo capiat.

Q. Quò ſpectat Orationis exercitium? R. Aſſidua Oratio inſervit eò, ut eâ mediante conſeqvamur veram Cordis pacem, qvam Chriſtus donabat ſuis diſcipulis dicens: Pacem meam do vobis, Pacem meam relinquo vobis. Aſſiduæ orationis Exemplum præbuit Filius Dei, cùm adoravit Patrem in ſubmiſſione

ſum-

summâq; devotione. Hoc adorationis opus erat omnium operum quæ Christus fecit, maximum summeq; venerandum; exuperat autem captum humanum, sic ut nemo possit ad intellectionem ejus pervenire, nî datum fuerit à S. Spiritu.

Q. Si assiduitas & devotio reqviritur, annon hinc seqvitur vulgarem orandi modum non esse efficacem, qvia rarissimè devotum necq; assiduum? R. Non solùm est non efficax Oratio minus devota, verùm etiam Deo ignominosa, & abominabilis.

Q. Efficax ergò orandi modus qvis est? R. Is, crede mihi, est verus ac bonus modus, cùm qvis assiduè elevat Cor, Animum, Sensus, Manus, cunctasq; Vires rogatum in Christo, cum Christo & per Christum. Istiusmodi Orationem dicit S. Augustinus esse ascensum animi ad Deum.

Q. Annon & pretio venditæ Pauperum Comprecationes subveniunt Emtoribus? R. An multum prosint parum sollicitor, Deus solus novit, qvantum valeat istæc Causa in Oculis ejus: pauperculis nobis nulla est concessa potestas judicandi necessitatem proximi, hinc & ab immaturo Judicio libenter abstinemus, ne falce in alienam messem missâ judicemur ipsi rei.

Q. Si præstans Oratio, (qvantum è præfatis intelligo) est potius interna & silens, quæritur, qvid porrò per eum conatum sivè animi & virium elevationem debeat intelligi, cùm hodiè multi multum orent ignoratâ orationis qualitate modovè? R. Id pro responso inserviat, ut qvi orare cupit efficaciter, se à seipso veraciter avertat sicut à cæteris cunctis Creaturis, & ut animũ suum super omnia vivaciter erigat ad Deum, hoc est, in abyssum profundam; siqvidem necessum est, ut Deo serviens Spiritus mergatur in eam abyssum subsidendo scilicet in absolutam abnegationem rationis ac sensuum (in resignationem tàm potestatum Mentis quàm potentiarum sensitivæ) ad uniendum se cum Deo in fundo interno, in qvo concursus fit verborum, modorum, imò & exercitationum omnium tanqvàm in fine suo. In eo orandum est, qvicqvid cui orare convenit, in eo orandum id est, qvod proximus pro se flagitat, in eo rogandum id est, cujus causâ DEUS rogari

rogari & adorari voluit. Eſt ergo interna Oratio vera unio animæ cum Deo, creatisq; Spiritûs in Spiritum Dei increatum immerſio indè elucet, qvàm exigua ſit externa Oratio, ſi comparetur internæ.

Q. Annon hinc ſeqvitur, Orationem verbalem eſſe penitus excludendam? R. Non! Nam qvalitercunq; vocalis Oratio ſeclusâ internâ mentali non ſolùm inutilis eſt, ſed etiam detrimentoſa, qvia Deo ignominioſa; ità Oratio interna ſimul ſonora (qvà ſcilicet Operatio mentis involvitur verbis) tantò acceptior Deo eſt, qvantò ſincerior eſt, hâc ratione commendatur duplicata Oratio, id eſt, mentalis ſimul & verbalis. Cùm autem ſint longè plures homines, qvorum interna devotio leviſſimâ de Causâ impeditur, neceſſum eſt, ut quævis devitentur obſtacula, ſivè ſint ſpecies obverſantes Senſibus ſivè cogitationes ſivè Verba, modus, actio, geſtusvè: hæc omnia, inqvam, linqvenda ſunt, & vilipendenda, tanqvàm leves paleæ. Scriptum enim eſt: qvod veri adoratores adorant Deum in Spiritu & Veritate. Qvi Deum adorant in Veritate, adorant per Chriſtum, ſicut qvi in Spiritu adorant, adorant internè in Unitate Spiritûs S., & hactenus perficiunt cunctos modos, Verba, Opera & Exercitia, qvæ unqvàm revelata, inſtituta vel demandata fuerunt homini. Joh. 4.

Enimverò qvicqvid veri adoratores operantur, in Spiritu perficiunt, id eſt, in Æternitate, tempus ſupergreſſi, adeoq; orant etiam in Spiritu Dei per eum modum, qvo in eodem & vivunt & operantur ſibi ipſis mortui, & in Originem primam translati (transformati): hâc ratione exaudiuntur etiam & impetrant ſimul cum illis qvas expetunt rebus omnia, ſic etiam orant Patrem pro Filio, ſicut ipſe Filius intercedit pro iisdem.

Q. Cùm tàm indecorum & ineptum qvàm peregrinum aſſertum videatur, qvod dicis, mortales orare pro Filio Dei, qværitur, qvomodò orant pro Filio Dei? R. Quod peregrinum tibi videtur, in te laudandum non eſt; num autem ſit indecorum necnè, tu ipſe judices, poſtqvàm ſat probè perſpexeris juſſum Domini, cujus reſpectu tenemur omnes rogare Deum, faxit,

Digitized by Google

ut sanctificetur Nomen ejus. Mandato huic obtemperantes mortales Filii Dei rogant futurum, ut nomen Domini sanctificetur, magnificetur, cognoscatur, ametur, & ab illis qvi nondum id agnoscunt, inveniatur sic, uti ab æterno placuit ei, utq; sanctissima Christi Passio & Meritum multiplici fænore fructificet ac debito cultu eidem compensetur. Qvid qvod eandem ob causam simul orant pro totâ Republicâ christianâ, pro Conversione aversorum, dehinc non minus verè qvàm piè creditur eorum Preces exaudiri. Non enim frustrà precatus est Dominus Patrem pro hominibus curatum, ut sint unum, sicut ipse & Pater unum sunt. Si autem qvi sui sunt, unus cum Christo Spiritus sunt, seqvitur, eos qvoq; orare & intercedere debere, sicut Christus ipse rogat & intercedit.

Q. Cùm intercessio (comprecatio) fundetur in unitate (adunatione) Spiritûs, hæc autem Unitas à plerisq; Christianis non solùm perperàm intelligatur, verùm etiam multorum errorum causam pariat, quæritur, qvaliter fiat istæc, de qvâ dicis, Unio? R. Eam noscas duobus modis fieri, nimirùm internè & externè (mediatè & immediatè) hoc est, in Spiritu & in naturâ. Ignorata ista duorum modorum distinctio peperit vulgares errores, qvos præstat tolerare qvàm mordicus perstringere. Externa Unitas est vel universalis vel individualis: universalis est omniũ Christianorum tanqvàm membrorum ad unum Corpus & Caput reductio sicut conscripta Congregatio tota termino claudatur universali, eam Unitatem in Fide tractat Symbolum. Individualis verò est cujuslibet Christiani, cujus Corpus & Anima unum sunt: qvicunq; in Unitate parent mandatis ecclesiasticis, dicuntur uniti mystico Corpori Christi. Externam hanc Unitatem cõmuniter intelligunt, qvibus Scripturæ sensus satis perspectus non est, cùm tamen ab internâ Unitate longissimo adhuc distet intervallo, qvæ Unitatem divinæ naturæ respicit, qvæ incapax est accidentium. Enimverò si comprehendi nequit, qvaliter anima sit Corpori unita, qvomodò moveat hominis membra, eaq; vitalia reddat, qvomodò rationem efficiat &c.

qvi

qvî poteſt fieri, ut homo intelligat Communionem Spirituum? Iſtam autem Unitatem deprehendimus factam eſſe in eo homine, qvi ſeqveſtratâ cum tempore omni Creaturâ ſuas peragit actiones in Simplicitate & Æternitate, qvi inter ſtreperas mundi turbas perſiſtit in Pace Chriſti, qvi ſuavi deſiderio ſe demittit in abyſſum divinæ Voluntatis. Sic qvidem non transmittunt Preces à Terrâ ad Cœlum, neq; per medium tendunt ad Deum, qvi intimè Deo ſociati ſunt ac propiores ei omni comprecatione.

Q. Annon ad hanc Communionem perveniunt, qvi educati ſunt in libertate naturæ, & proprio arbitratu, quivè juxtà Senſum & Rationem vivunt? R. Neutiqvàm.

Q. Ut autem præfata melius notare queam, placeat tibi repetere nonnulla atq; reſponſum dare denuò ad mea priſtina interrogata, maximè cùm nobis Oratio tantoperè à Chriſto & Apoſtolis inculcetur: dic ergò, an qvicqvam referat ſcire, num differat in effectu Oratio ab Oratione necnè? R. Imò magni intereſt hoc nôſſe, qvoniam omnis Oratio eſt vel vera vel falſa, vera autem ſola efficax, ficta viciſſim inanis: qvisqvis hoc neſcit, perdit ſui Operis meritum.

Q. Cùm Chriſtus dixerit veros Adoratores fore exoraturos Patrem in Spiritu & Veritate, annon eſt vera ſivè in Spiritu & Veritate facta Oratio, cùm qvis Pſalmorum & precularum recitatione ſe occupat? R. Minimè. In Veritate adorare Deum eſt per Chriſtum orare, id qvod neutiqvàm fiet, nî qvis ſimul oret in Spiritu. In Spiritu autem orare juxtà Scriptores eſt elevare mentem ad Deum; alii dicunt, Orationem veram eſſe tranſitionem Mentis immediatam in Deum, qvæ deprehenditur tunc fieri, cùm avida & humilis Mens ſe Deo deſideranter ſubſternit: qvidam nuncupant eam eſſentialem excludentem tempus & modos.

Q. Siccinè excluditur verbalis Oratio omnis? R. Nec hæc excluditur penitus: nam tametſi verbalis Oratio non ſit vera illa (de qua dixi) Oratio, cùm actus iſte orandi ſit mera mentis abſtractio reſpuens in ſe qvalemcunq; actionum corporalium ſuc-

curſum, nihilominus inſervit verbalis Oratio occaſionaliter ad excitandum veram.

Q. Si tanta ſit diſparitas inter Orationem verbalem & ſpiritualem, quæritur, annon & verbales inter ſe differant preces? R. Id etiam, vel eâ de Cauſâ, qvia ab unâ & aliâ precatiunculâ major vel minor devotio excitatur, juxtà cujus gradus proportio Utilitatis modificatur. Sic qvæ ad ſummam devotionem, eoq; ad veram Orationem proximè inſervit, eſt benedicta illa Oratio, ab ipſo Domino noſtro prolata, qvæ & hactenùs tanqvam acceptior, & conſeqventer utilior præfertur cunctis aliis, ceu qvibus tanta non ineſt devotio.

Q. Qualis accedit Menti Utilitas, qvæ veraciter orat, hoc eſt, qvæ tranſit in Deum? R. Veræ hujus Orationis, qvæ in Cœlo oratur inceſſanter, eſt ea Utilitas, qvod talis homo fit inde tranquillus, mirumq; in modum abſtractus, inverſus, ſincerus, vacuus, & purus ubiq;. Cùm enim abyſſus animi ſub hâc tranſitione pandatur, id qvoq;, qvod eſt nobiliſſimum intrinſecum (ſimplex Unitas) Deo humiliter offertur, non poteſt fieri, qvin Deus introveniat tanqvàm in habitaculum ſuum præparatum & exornatum, ubi ipſe eſt Hoſpes ac Dominus, regens & operans ibi: ex hujus effectus diſparitate apparet diſſimilitudo, qvæ eſt inter Orationem veram & non veram.

Q. Cùm hominem non tantùm pati, ſed etiam agere deceat, præfata verò Utilitas ſolùm deſcribat formationem Statûs paſſivè ſe habentis, qværitur meritò, annon & actum qvendam nobilem extrà ſe efficiat? R. Id extrà dubium eſt: nam tales homines, qvorum totus animus cum Deo in unum colliqueſcit, trahuntur tunc in ignem amoris divini, atq; ſic in cunctis factis ardentes divinam ducunt Vitam, qvapropter à Deo reflectunt ſe ad neceſſitatem Chriſtianitatis, orantes in ſancto deſiderio pro Amicis & Inimicis, pro peccatoribus & pro omni neceſſitate, qvorum ratione Deus vult exorari, & hactenùs eorum deſiderium protenditur ſimul ad particularem hominum neceſſitatem.

Q. Præ nobiles iſti homines, qvi ad Laudem Dei, atq; totius

ſanctæ

sanctæ communitatis Christianæ Utilitatem & solatium sunt tales, orantnè pro isto vel illo homine seorsim? R. Non; verùm tamen orantes cùm sunt, sunt similes iis, qui turbâ hominum conspectâ eodem momento omnes simul aspiciunt; pari modo præmemorati Sancti contemplando trahunt secum qualemcunq; necessitatem in illam sui amoris abyssum, atq; dehinc rursus in illud amoris divini incendium, ubi tantisper conquiescunt, donec denuò respiciant ad cuncta communitatis Christianæ membra afflictionibus tentata ad transportandum omnem necessitatem in illam præfatam obscuram abyssum quietis. Sic ambulant introrsum extrorsum, semper tamen manendo in suavi atq; tranqvillo illo fundo, ubi omnis eorum actio existit, motus & vita persistit, hoc est, in Deo ipso vivunt, moventur & sunt tanquàm in proprio habitaculo.

Q. Indica Viam, qvæ subter orandum conducit magis ad veritatem? R. Est, quà homo se recipit in suum Nihil non audendo oculos ad Cœlum tollere, sed dicendo: Miserere mei Deus: hæc ipsa via ducit Deum in hominem immediatè, incessanter, Deus vicissim affert seipsum cum totâ suâ Essentiâ eò quò divertit cum suâ Misericordiâ.

Q. Quid sentis de iis, qui agnitâ peccatorum gravitate à Deo fugiunt, non ausi orare propter præponderantem eorum malitiam? R. Malè faciunt qvi sic desperant: enimverò tantò magis atq; ardentius decet orare, qvantò major est peccatorum sensatio, ut deleantur peccata. Nevè propter fragilitatis agnitionem recedat anxius, suspirandum est & dicendum: Domine, repentè me adjuva miserum, anteqvàm moriatur anima in peccatis. Est namq; Oratio id, in qvo est sita omnis Virtus & Sanctitas, à qvâ dependet omne adjutorium, Solatium & Jucunditas. Ideò nemo se patiatur absterreri à suis Peccatis, qvàm sontica ei videantur, dummodò in humilitate persistat, nec in perditionem ruat mediante aliorum hominum Judicio. Eam qvoq; ob causam sinit Deus noñullos sinceros homines per totam Vitam eorum vivere in qvibusdam defectibus, nimirum ut indè humili-

entur in ſe, in aliorum conſortio, hincq; in ſuum Nihil ducantur, ne fortè ſurgat in iis Phariſaiſmus. Quamplurimùm autem proderit orationi eſſe adeò intentum, ut non deſiſtat, ſed toties, quoties poteſt, procidat antè pedes Domini in timore profundo dicendo: Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum; aſt Causâ immenſæ Miſericordiæ tuæ omniumq; venerabilium meritorum tuorum venio ad te, deeſt mihi Pœnitudo, Charitas, Gratia, qvæ in te reperitur.

Q. Cùm ea peccata, qvorum in pœnam Deus olim totum mundum perdere volebat, præſenti tempore ubiq; ferè committantur, mirum etiam ſit qvod Deus tantum conniveat ſervatâ ſibi pœnâ de futuro irrogandâ, dic qvid videtur faciendum, ut evadamus futuram Dei iram ſi qvà reſervetur ad Judicium? R. Intereſt cogitare de qvodam modo, qvo DEUS multæ Miſericordiæ queat placari, cujus in vicem nil magis expediet, qvàm ſi qvis reſignando & omnia rejiciendo ſe totum devotè cum Deo uniat, id qvod omni qvá par eſt induſtriâ & opportuno tempore eſt faciendum, attendendo ſcilicet interno ſenſui, qvi dat percipiendũ, qvod ad DEI placitum libenter purè viveret, qvod de defectu ſuo doleat, qvod (qvantum ei poſſibile eſt) devitare cupiat cauſas puritati obſtantes.

Q. Dic qvid huc inſuper poſſit inſervire? R. Inſervit huc

1. Taciturnitas & Tranquillitas, cujus fructum nemo ſatis poteſt cognoſcere.

2. Sermo compoſitus, ſuavis & pacificus, ſic ut ſi fortè nonunqvàm Verbum durum ex Ore loqventis elabatur, is contrà confeſtim humilem Confeſſionem faciat infrà Deum & homines. Huc etiam pertinet id genus facti, ne ſi qvà Verbis aſperis affectus fuerit, rependat id ſimilibus Verbis retorſionis Vim habentibus: qvod ſi neceſſum eſt reſpondere, fiat id cum hilari & manſueto vultu, verbisq; pauciſſimis.

3. Inſervit huc etiam, ſi fundum ſuum obſervat, ne cum Voluptate poſſideat, habeat vel faciat aliqvid in gratiam ſui vel alterius, ſivè eò ſpectent Veſtes, Libri, Ornatus, Converſatio, ſivè aliudqvid,

qvid, qvæ cuncta ſunt tantùm à Deo conceſſa uſurpanda juxtà ordinem decentiæ.

4. Inſervit huc etiam ingens fraterna Charitas & humilis Subjectio, qva unus alterum benignè revereatur procul miſſo qvalicunq; auſtero ſeu torvo aſpectu undecunq; etiam cauſato, & ſi qvà propter bona qvædam exercitia contemnatur, id nec reſentire licet nec accuſare.

5. Inſervit, ut ſeipſum occupet virtuoſis charitatis Operibus invitando unus alterum amicè ad ſervitia, ſicut inter ſe invicem qvisq; operum Onera hilariter recipiat, id qvod non eſt intelligendum de eâ Charitate, qvam ſolemus habere verſus Amicos & Benefactores, utpote qvod Deus non reſpicit eam, qvâ ſicut Chriſtus dicit: etiam Ethnici id faciunt. Matth. 5.

6. Si qvis ſe unit aut orat, oportet eum cum magnâ Reverentiâ, demiſſis Oculis, converſo animo ſe præſentare in conſpectu & præſentia æterni Regis, qvi inceſſanter hominem aſpicit intus forisq;. Tempus etiam otioſè tranſigere cùm præſentaneum Venenum ſit, opus eſt, ut homo depulſo otio ad Unitatem ſe componat, inſuper & arborem florentem venerandæ Paſſionis Chriſti conſcendat, imò ultrò procedat adusq; faſtigium Deitatis ejus, intrando ibi & exeundo plenis paſcuis ſatiatus. Nemo tàm ſenex aut infirmus eſt, cui hic modus non conveniat, qvin etiam hi fructus ſunt, à qvibus alter alterum imò & ſeipſum cognoſcat.

7. Plurimùm autem hîc confert, ſi qvis exerceat ſe in actuali charitate & gratitudine pro infinitâ bonitate ſibi & cunctis aliis à Deo exhibitâ. Cunctis Viribus convertat ſe ad pretioſa charitatis documenta, qvæ DEUS contulit ei plerumq; in omnibus modis & operibus, maximè verò cum ſeipſo, putà in Vitâ & Paſſione ejus. Imprimis perpensâ ſuâ exiguitate & indignitate advocet Cœlum & Terram, cunctasq; ſimul Creaturas, ut adjuvando eum in exhibendis gratiarum actionibus & laudibus divinis ſuppleant qvodammodò defectum ejus. Animus qvoq; hîc ſimplici reſpectu recogitet totam ſanctam Eccleſiam, omnesq; eos,

eos, qvi consimilem bonam intentionem habent, ut eos huc simul trahat desideriosè oblatum in charitate Vitæ & Passionis Domini nostri Jesu Christi. Hæc autem solet Oculus mentis instanter contemplari, sicut aliàs solemus magnam hominum Catervam in momento obtueri, idcircò prodest renovatâ sæpius hujusmodi contemplatione confestim rursus in Deum taliter transire intellectivè & amorosè.

8. Quicqvid à Deo unqvàm receptum est, acceptum sibi referat minimè; sed reddat id offerendo Datori, nil sibi reservando præterqvàm merum Nihil & indigentiam suam excusâ sollicitudine rerum intus occurrentium. Respectum ad suam originem docuit Christus exemplo suo, qvi semper inveniebatur ad Deum conversus integrè (cum omnibus suis Viribus). Qvam optimum ergò censendum est esse, si qvis per qvàm similiter imitatur eum, cùm possit vix fieri, ut dehinc parum deflectat deorsũ, qvin statim labatur in disparitatem amissâ ad partem charitate, qvam iterum acquirit, qvàm primùm profundâ humilitate iterum incipit, contemplatur & ad originem se recipit per Vitam & Passionem Christi.

Et sic claudendum duco Caput de Oratione cum Verbis seqventibus: Qui orat devotè, is Dominum è Cœlis trahit ad se, undè instituitur amica Conversatio, dulceq; interloquium DEI & Hominis.

Cap. X.

De Devotione.

Qvoniam opus est, ut sit devota Oratio, teneamus hoc loco eum ordinem, ut Orationis materiam proximè seqvatur devotionis qvalitas, dic ergò, amabo, qvid sit devotio? R. Nonnulli putant eam esse dulce desiderium. Ast qvamvis nonnunqvàm ità sit, non tamen semper est sic,

sic, eò qvod talis dulcedo quandoq; est de naturâ, & ideo tot homines errando decipiuntur. Vera autem Devotio est voluntaria animi inflexio (submissio) ad Cultum DEI. In alio autem sensu dicitur, cùm qvis adhæret DEO firmiter, paratâ scilicet mente amandi & venerandi omne, qvod Deum spectat, id qvod nil aliud est, qvàm interna Voluntatis, Respectûs, imò & omnium virium in Deo obstrictio. Hæc & suavissimas cœlestium degustationes superat, qvapropter comparatur Oleo superius natanti & sapore prævalenti. Necessum autem est, devotionem renovari per ignem amoris divini, ne, sicut Oleum rancorem contrahit, ità & hæc remissione fatiscat, qvapropter indesinens est habenda fundi perspectio, ne qvà latenter irrepat aliqvid, qvod DEUS non est, siqvidem hoc facto dominatur natura, non DEUS. Cùm etiam fundo nullum aliud, præterqvàm solùm DEI regimen competat, hinc evidens est, quàm necessaria sit assidua circumspectio. Quærat aliquis homines, qvi in cunctis rebus DEUM respiciunt, neq; seipsos quærunt in Spiritu & Naturâ: quærat homines, qui Deo solùm serviunt propter Deum, non propter aliud quid, putà Solatium, Gaudium & Beatitudinem (temporalia vel cœlestia bona) & si quos invenerit, hos verè devotos nuncupet.

Q. Undè conquiritur Devotio? R. Duplici medio acquiritur Devotio.

1. Est, cùm homo Beneficia, Misericordiam & Clementiam DEI considerat, qvæ DEUS exhibuit ei per totam suam Vitam. Ista beneficiorum commemoratio trahit hominem ad Gratitudinem, imò cogit ad Amorem & Devotionem.

2. Si juxtà mandatum dominicum frequenter commemorat immensi amoris documenta, qvem Dominus totâ sanctâ suâ Vitâ exhibuit ei, Verbis scilicet, factis, Passione, Morte &c.

Q. Quot modis peragitur Devotio? R. Miris modis ea communiter peragitur: attamen suos habet gradus in intimo pectoris, ad summum raró scandit; indè apparet, qvalis eorum devotio sit, qvi nescio qvid divini somniant inter orandum. Subest

autem devotioni innumerus Idearum proventus, qvæ Deo per Confessionem & Laudes offeruntur, inter qvas Idea Corporis Christi simul & crebrò in genuinis Amicis Dei pronascitur. Verùm qvalis eorum devotio sit, qvi nescio qvam Dei Ideam in mente suâ concipiunt, non valdè sollicitor. Hi namq; dum externam Christi Crucifixi Imaginem fugiunt, nè contra præceptum dominicum deflectant ad Idololatriam, incidunt in Cultum cujusdam divinæ lucidæ, vel similis formæ Deo indignæ, hactenus veram devotionis notitiam ignorando illis evadunt similes, qvos ob devotionem superstitiosam formisq; sensualibus plenam ipsi reprehendunt. Ast uti Deum tentant hi, qvi effluxûs divinos sensibili perceptione observare intendunt; ità Deum offendunt, qvi variâ fictione Idearum Deum cogitare præsumunt, cùm utraq; pars in nudâ sui subjectione ac fide simplici manerè debebat, nil nisi Deum humiliter ac purè respiciendo. Enimverò purus Dei Respectus & Æstimatio nunquàm fallit hominem, nec unqvàm Deo potest displicere, sit demum ea cum vel absq; modo, cum vel sine Cogitatione, cum vel sine Prece: nam scriptum est: ex Ore lactantium Laudem tibi præparasti. In modo enim potest intercurrere Vanitas, sicut & in Cogitatione, comprimis in Oratione, cùm sæpè oret Homo, qvod non intelligit, qvod non expedit; ast sinè modo vel cogitatu est etiam sine vanitate. Quid quod Vanitas quædam refertur ad naturæ defectus, qvos Deus non curat, undè vanitas qvæpiam nonnunqvàm melior est carentiâ modi & cogitatus, siqvidem in hâc delitescit neglectus, in stultitia verò magnificatur Dei gloria, & propter varios modos, qvibus incapacitati nostræ subventum est, est prædicatum Dei Verbum tale qvale est, undè vocatur ab Apostolo stultitia & offensio. Qualiscunq; ergò modus sit, si Cor sincerum est, & vacuum à Creaturâ, plenum verò Deo, non potest fieri, qvin nostra Stultitia vertatur in Sapientiam. Quod autem aliqvis in templo Deum æstimat, cùm Deum ibi præsentem credit, aut qvod alius per Dei respectum suum quærit commodum, is verus Dei respectus non est.
Verùm

Verùm hîc instet aliqvis, dicendo: Cùm de naturâ sit, quærere suum, hinc vanum est à naturâ velle separare, qvod est naturæ proprium, cùm nec ipse Dominus noster fuerit absq; eâ naturæ proprietate, qvæ mortem horrebat. Verùm ad id sic responderi potest, naturam qvidem suam retinere proprietatem, etiam in homine divino, amittere tamen suam potentiam, dum cedit superiori Voluntatis potestati, cujus exemplar in Christi morte nobis imitandum propositum est, cùm scilicet Spiritus Domini vacillantem superabat naturam, ajente Domino: Pater, non mea, sed tua fiat Voluntas. Et sicut respectus Dei non ad naturam refertur, sed ad Spiritum; ità & Spiritui data est potestas ligandi proprietatem naturæ, ne Spiritum alienet, idq;, qvod appetit, non tanqvàm suum possideat. Hoc modo dicitur homo purè Deum respicere, & suum proprium non quærere, si non ex toto, qvod homo est, saltem ex eâ hominis parte, qvæ est valentior, voluntate scilicet. Dantur autem ejuscè ordinis homines, qvi Deum solum respiciunt & quærunt, hi autem qvoad in cunctis rebus sibi accidentibus ità subjecti sunt Deo, ut cunctas res nonnisi à manu Dei accipiant, rursumq; eas suo Domino offerant, nil autem earum in suum commodum vertant, ideo sunt aliis liberiores, ne variis modis teneantur alligare animum. E contrario dantur &, qvi sua dum quærunt, multis ac miris suis modis operantur, quales in aliis non observant, ut videantur atq; pro magnis sanctisvè habeantur. Diversi ergò, si non contrarii, sunt inter se, prout inter se differunt in Observatione modorum; verùm modales traducunt ac judicant invidiosè illos, qvi pari proprietate carent, qvos & idcircò sæpius perseqvuntur gravissimè.

Quæritur ergò, cuinam parti sit in respectu Dei adhærendum? Procul dubio eorum parti, qvorum sinceritas ergà Deum probatæ fidei est. Est enim boni hominis officium, ministrare Deo in bonis donis suis absq; Idearum asservatione, cùm per donorum divinorum acceptationem ad externa avocatur exercitia, sivè pro Corporis nutritione sivè pro aliâ operatione.

Omnia ità linqvere ſicut ſunt, ſua ſincerè ac ſimpliciter peragere, ſemper introrſum properare, hæc ſunt boni hominis reqviſita: qvi aliter ſentit ac docet, ſeducit & ſeductus eſt.

Sed hîc obſtabit aliqvis, dicendo: Per hanc poſitionem tolli hominum pro Vitæ ſuſtentatione adminicula pariter atq; officiorum ſalubria inſtituta, ſine qvibus regimen, ſubjectio, ordo & Reipub: humanæ Status conſiſtere nequit. Ad hoc reſpondetur, per eam poſitionem non tolli officia prægnantibus de cauſis inſtituta, cùm cuncta hæc referantur ad Opera externa, quæ ſi ſunt ordinata, neqvicqvam demunt præfatæ doctrinæ; ſi verò ſunt inordinata, præjudicant Authoritati divinæ & hactenùs mittenda ſunt. Nam qvæ ſunt ordinata Officia, ea hominibus aut pro neceſſitate aut pro charitate aut pro divinâ Gloriâ ſunt concredita, undè etiam non tantùm non removenda, ſed potius fideliter adminiſtranda ſunt.

Q. Cùm Homo converſus ad ſeipſum non ſemper inveniat intus materiam vel objectum, circà qvod ſe occupet ejus devotio, dic, qvid tunc fieri debeat? R. Si nihil de Deo ſtatim obveniat, ſufficit in nomine Dei perficere ſolitas ſuas exercitationes, qvaleſcunq; ſint, ſivè Domini Vita, Paſſio, Vulnera, ſivè aliud qvid, qvod habet per gratiam, idq; ſic fiat ſine hæſitatione, ut ſi qvà Deus velit eum intus trahere, confeſtim obſequatur ſine reſiſtentiâ. Hîc ſi Deus eum propius ad intimiora trahat, non eſt, qvod recurrat ad ratiocinium perquiſitum, qvid qvalis ſit, neq; det locum Melancholiæ tanqvàm Vitio omne bonum excutienti, ſed Deo ſimpliciter ſe commendatum habeat. Neq; eſt, ut animum deſpondeat, tametſi Deus quæcunq; jam dicta ſunt, ſubtrahat, relicto eo in Confuſione & Cæcitate ſuâ, quæ ſanè ingens miſeria eſt & obſcuritas: Quodſi, uti opus eſt, conſiderit, patiatur & ſecum habitet, futurum ſic eſt, ut Princeps mundi ejiciatur.

Q. Aſt ſi qvà Homo obſervaverit, ſe trahi intus à Deo, qvid factu opus eſt tunc? R. Tunc oportet Deum ſeqvi & omnia linqvere, non ſolùm patiatur elabi cuncta phantaſmata (imagines) ſed & divinas coruſcationes, nil ſua moratus deſideria: qvisqvis

ſe

se itâ gerere nequit, commendet hanc debilitatem Domino, ipse faciet.

Q. Quid fit homini, internam hujusmodi exercitationem, qvâ Deo unitur, habenti? R. Est tota die hilarior & tranqvillior, qvatenus cuncta ejus Opera perbenè indè ordinantur. Hæc enim est hominis armatura, qvâ se præmunit ad benè operandum, si antè omnia pervolverit, qualiter eâ die se gerere velit, innixus Virtutibus, non dubium est, quin opera ejus sint virtuosa pariter atq; divina. Quodsi sub hoc in se reflexu obdormiat fortè aut dormituriat, nil refert, cùm sæpenumerò melior sit ejusmodi somnolentus reflexus quàm multa externa Exercitia spontè nata. Expergefacto vero est iterum incipiendum Corde ad Deum verso, quò sæpius homo venit ad Deum, hoc magis Deus vicissim desiderat eum; ad hæc necessum est, ut homo externus sit in quiete & silentio, corpore nil occupato, quoniam ob hanc internam tranquillitatem dat Deus Vitam æternam, simulq; se ipsum in æternum.

Q. Quid vis intellectum per silentium & tranquillitatem internam? R. Id, ut homo se abstrahat à Curâ istorum hominum, qui nullo Zelo quærunt id, quod bonus homo desiderando quærit; tales enim non sunt curandi, non alloquendi, nec judicandi, sed Deo linquendi, ut Cor in pace maneat.

Q. Quidsi tales sponte sua visitando alloqvuntur eum? R. Oportet iis respondere breviter & Verbis modestis, affirmativè aut negativè.

Q. Cùm autem hic modus tanqvàm morosus rejiciatur, qvid censes? R. Tolerandum est & propter Dominum fortiter perferendum. Præstat namq; habere Deum semper Amicum sine amicitiâ hominum pietatem nolentium, qvàm habere pacem & favorem Creaturarum sine pace & præsentiâ Dei. Inveniuntur autem multi homines, qvi valdè sancti apparent foris, qvos tamen itâ occupavit proprietas, ut si qvis eos tentet ad seipsos reducere, nullatenùs patiantur, qvin potius tales maneant semper, qvales sunt.

Q. Siccinè vitanda est humana Conversatio? R. Si cui candidè consulendum sit, ajo, esse sedulò cavendum, ne qvis alicui se foris reddat familiarem, nevè vocet ad se, cujus fundum non est satis ei exploratum. Procul ab humanâ Conversatione est ad seipsum divertendum, qvi non vult valdè impediri vel seduci: Unusqvisq; enim tantum vel legit vel audivit, ut ad fructuositatem sufficiat. Non est agendum cum hominibus Verbis comtis blandientibus, verè tamen virtuosam Vitam non habentibus: intus manendo pandetur Veritas eorum, qvæ sunt vel facienda vel intermittenda.

Q. Quî potest homo seipsum deserere, cùm debeat edere, bibere, videre, audire, loqui & plura alia facere, quæ omnia ideas inferunt animæ? R. Hîc cum distinctione notandum est, sub quâvis actione simul & omnium præfatorum usu, quem exigit necessitas, esse opus, ut homo Deum respiciat semper, iisq; in rebus quærat, quæ perficit & quibus utitur, sic quidem, ut postquàm eas peregerit, Ideas earum statim è suâ phantasiâ eliminet penitus mediante voluntate & attentione, insuper autem Templum suum ità purum & vacuum servet, ac si eorum operum nihil fecisset: Sic templum ejus patebit semper Ideis cælestibus (divinis Cogitationibus). Nam nisi hoc templum expurgatum, omnisq; phantasiæ nundinatio, quæ templum curis immergit, proscripta sit, non est possibile, ut homo fiat templum Dei, quantum cunq; etiam fecerit; vicissim autem, si vacuatum est, obtinetur lætitia Cordisq; tranqvillitas, sic ut imposterum nequeât turbare res, quæ aliàs continuè turbant & inquietum reddunt.

Q. Quid est templum impuris Ideis repletum? R. Est animus humanus malè ordinatus à pravis, impuris Ideis, undè desideria & motus impetuosi gignuntur, indè discas, quid inevitabiliter sequatur, nimirum tristitia multiplex & itidem malè ordinata. Veruntamen hîc potest observari differentia inter electos & non electos.

Q. De non electis hîc nihil quæram, sed de electis cupio noscere, quid iis contingat? R. Electi neqveunt perfectam habere

tran-

tranquillitatem in rebus malè ordinatis; imò tametsi quandoq; eas devitent, se extenuent, quin & divinas res posthabeant, nihilominus quamprimùm ad se redeunt, versantur in magno pavore, dolore & motu conscientiæ, id quod efficit Spiritus S. pro nobis orans gemitibus ineffabilibus. Tales homines perveniunt tandem ad veram pænitentiam, ità ut postquàm defleverint vanam, maleq; ordinatam pristinam Vitam, salventur. Rom. 8.

Q. Quid est hoc, quod tantam exigit observationem? R. Imò quid est hoc, nisi maxima benignitas, immensurabilis gratia Dei? Beatus, cui Deus eam largitur, quem sic hortatur intus vel extus, cùm sit futurum, ut longè aliter procedatur, quàm quod sentimus vel cogitamus.

Hiscè claudo materiam de bonis iis Operibus, quæ meritoria sunt & hactenùs Justificationis gratiam spectant.

Q. Ad quid omittis hîc opus omnium maximæ Considerationis, nimirum S. Communionem (Synaxin)? R. Cùm Eucharistia sit Sacramentum Ecclesiæ, non poteram id includere numero Operum, quoad autem ejusdem perceptio sit quædam externa & interna actio, quæ tibi videtur ad opus referri debere omnium nobilissimum, eò quod hoc mediante acquiritur simul cum justitiâ ipsum Bonum summum, ad cujus adeptionem cuncta alia exercitia diriguntur, idcircò in hâc re nolo tibi deesse, quin potius cupidus sum de eo tibi tradere tantum, quantum ad tuam necessitatem & utilitatem facere videbitur.

CAP. XI.

De Sacramento Evchari∫tiæ.

Q. De Sacramento Evcharistiæ qvid sentis? R. Est magnum & necessarium Ecclesiæ Sacramentum, qvod etiam qvotidiè distribuitur communicantibus eum in finem, ut à vivo hoc nutrimento nutriantur & vivant in

in æternum juxtà id,qvod dicit Christus: Qvi manducat Carnem meam, & bibit Sanguinem meum, habet Vitam æternam.

Q. Brevia Verba, num etiam parvi ponderis? R. Imò omnium maximi: utpotè qvod in se tenent inclusam rem obscurissimam,qvam nemo potest comprehendere. Nam omne alimentum,qvod adCorpus naturale nutriendum assumitur,exaltatur in eo per subtiliationem. & Vitam acquirit mortalem: vice versâ verò Evcharistiæ Sacramentum vivificat. & alit hominem sic. ne moriatur in æternum: Cùm ergò tanti ponderis sit. oportet hominem ad id præparatum esse per Opera,qvæ in præcedentibus explicata sunt.

Q. Non est negandum. rem magni momenti esse. & vel nullâ ratione, ne dicam sensibus, comprehensibilem.si qvis sub actione brevissimâ imperceptibiliter acqvirit dispositionem ad novum perennis Vitæ Corpus: dic autem.qvare Discipuli Christi à primâ ejus mentione offensi abibant,contrà Christiani auditis indulgentiis properante pede qvasi advolant? R. Discipuli (homines simplices) parum aut nihil penè de rebus spiritualibus audiverant,nil aliud qvoq; tunc capiebant,qvam qvod inSensus erat illatum, eoq; timebant & fugiebant Christi prædicationem de hoc Sacramento. Christiani verò non fugiunt, sed accurrunt, tametsi rem ipsam similiter non intelligant, hoc autem fit ideò, qvod circumstantias hi magis notas sibi reddiderunt mediante doctrinâ & fide,hinc pars eorum,qvi face Verbi Dei prælucente. tùm & per gratiam Dei. & Voluntatem bonam sibi comparârunt devotionem & Vitæ probitatem, pervadunt illuminatas obscuritates eoq; pertingunt ad Vitæ perceptionem; è contrà altera pars vel face vel bonâ Voluntate vel aliis mediis destituta minus quàm ipsi discipuli sensationis habens accurrit etiam,sed parum fructuosè, quia permota saltem à Consvetudine, pusillanimitate aut persuasione.

Q. Cùm S. Communio fructuosè peracta sit opus tàm necessarium, trade, quæso aliquid doctrinæ de eâ, quæ Luce accensâ pellat obscuritatem. R. Sanè non potest negotium hoc in verba

cogi,

cogi, nec cogitatu prehendi, quatenus qvid incomprehensibile est, qvod superat cunctas cogitationes & intellectum hominum, Angelorum, omnium Creaturarum in Cælo & in Terrâ.

Q. Cùm autem sit res tantæ Sublimitatis, ut nullis Linguis edoceri queat, dic velim, annon & anima intus acquirat indè cognitionis quidpiam? R. Possibile est, ut anima modo Singulari, nimirum perceptivo, jucundo & essentiali cognoscat, qvid sit edere carnem Christi &c. ast ea tantùm anima hoc potest noscere, in quâ divinus partus genitus est, nihilosecius nec iste modus potest ullis Verbis describi sic, ut intellectus humanus capere queat.

Q. Siccinè tantùm ad eos spectat, qvibus ob apparatum ecclesiasticum convenit habere Sensus dehinc valdè exercitatos? R. Quasi verò non etiam magna eorum pars æq; sit animalis atq; illi, qui extrà hunc statum vivunt negligenter, quatenus hodiedum constat, tales à teneris se ad senectutem usq; variis modis & actionibus occupare juxtà sensus & animales cogitationes eorum, mox hoc mox illud, nunc sic nunc aliter agendo &c. Certum hinc redditur, nullatenus eos advertere inæstimabilem eum thesaurum, qvin potius nil aliud hinc sibi reservare, qvàm qvod sensibili modo accipiunt.

Q. Quid quæso factu opus est ei, qui Bonum hoc incomprehensibile cupit deprehendere? R. Id, crede mihi, necessarium est homini, ut nuspiam adhæreat, sed abstractus à rebus externis, intus vacuus & unitus sibi vacet.

Q. Estnè hoc sic intelligendum, quasi opus sit, ut homo prius resignando totaliter cunctis rebus mundanis validius occupet se in singulari quodam statu & modo, nî gratis impensum velit qualemcunq; conatum? R. Hæc verba nequaquàm sunt eousq; extendenda, quoniam hoc summum Bonum potest obtineri in omnibus statibus, in cunctis modis, qui aliàs in Usu hominis sunt, dummodò res agatur seriò. Sed hîc latet Sapientia! Ut res dicatur seriò acta esse, reqviritur fecisse sequentia: oportet seipsum diligenter observare in omni opere simul & in quo-

vis operandi modo, quicquid facit, quid intermittit inter omnes homines vel in solitario, ubiq; opus est observatione. Cùm se extrinsecùs occupat, præsentiam Dei cogitet & mentis suæ oculum ad eum convertat, ità ut major pars hominis operantis introversa ad Deum properet. Peracto autem opere externo decet eum recollectis sensibus & Viribus intus unitum atq; demersum esse in fundum.

Q. Pande, quæso, quid habes occulti de dignitate Cibi cælestis? R. Id habeo, quod nec doceri potest nec intelligi præ mentis imbecillitate. Nam si in statu innocentiæ Claritas adamicæ naturæ in tantum excellebat, ut nullâ ratione describi vel comprehendi possit, quantominus possibile est cognoscere pretium thesauri immensæ altitudinis & profunditatis, quà Cibus vivus unus & idem efficit tractionem, unionem & immutationem. Hâc enim factâ unione purificatur, clarificatur, trahitur, & elevatur Spiritus (mens humana) suprà seipsum relictâ suâ infirmitate, naturalitate & inæqualitate: hæc ipsa transitio supernaturalis est, in quâ veraciter perficitur divina generatio, per quam hujusmodi hominis Opera sic percolantur, ut verè possint dici per Deum esse facta.

Q. Dic quid Exempli gratiâ habes? R. Ignem vides sic operari in lignum, ut adimat ei viriditatem, humiditatem, grossitiem, & inæqualitatem, & ista mutatio tàm valida est, ut ignis insuper reddat Lignum calidius & æqualius. Lignum autem quo propius est æqualitati, hoc plus paulatim recessit ab inæqualitate, ità ut tandem parvâ interjectâ morâ materiam suam prorsus amittat, atq; in ignem commutetur. Perdidit sic natura ligni æqualitatem pariter, & inæqualitatem, dum facta est cum igne unum & idem, id est ignis: Unum relinquit diversum. Exemplum habes hîc undè discas, cælestem Cibum abstrahere Spiritum ab inæqualitate & ducere ad æqualitatem, ad divinam unitatem, hinc quibus divinus ardor per ignem amoris excussit omnem Virorem, humorem & inæqualitatem, disparent cum cibo cælesti in Divinitate. Neq; enim mutatur Deus in hominem, sed homo mutatur in Deum.

Q. Sed

Q. Sed antequàm id fiat, de Viâ & tempore quæstio est. R. Rectè sanè mones & quæris, quânam Viâ quis vadat eò? Author noster dicit, non posse eò perveniri, priusquàm Natura diversâ morte moriatur, hoc est, priusquàm omne, quod ad naturam spectat, nimirum sensus, voluntas, desiderium &c. sit à variis Calamitatibus suppressum: vocat id etiam Viam desertam, ignotam, per quam Deus trahendo ducit hominem, ut mori discat. Nam cùm certissimum sit ipsam jucundissimam Vitam in morte præparari, ideò eximium hoc bonum est, nôsse & posse mori.

Q. Semper quid asperum habes. Redde autem tenebrosam hanc Viam per Exemplum paulò Clariorem? R. Exemplum cape à naturali Cibo & Potu, quo nutriris, observa quânam viâ & modo præparetur ad Corporis nutritionem, id namq; denotat prolatum Verbum mortificationis. An non Panis, Vinum, cæteraq; comestibilia cuncta, quæ ad nutritionem assumuntur, destruuntur antequàm in nostram vertantur substantiam, hoc est, comminuuntur, miscentur, priusquàm descendant in stomachum, in hoc velut in sepulchro formam cibi denuò deponunt & fiunt succus, qui cùm sangvini permiscetur, in succum similem, alibilem posteà vertitur, transit per Cor, Hepar, Caput & assimilatur in substantiam Carnis, & Spirituum, tandem unitur sensibus, imò fit rationale quidpiam? Hâc viâ finitâ, hoc modo peracto tàm sibi ipsi dissimilis factus est Cibus, ut nec clarissimus Oculus nedum alius subtilis sensus cernere queat aut discernere, quod antecedenter Cibus fuerit. Quin & adeò subtilis factus est cibus, ut intellectus ipse comprehendere nequeat, in quo præfata subtilitas consistat vel qvaliter operetur, credimus quidem, imò comperimus, sensibus autem non apprehendimus. Habes hîc exemplum, cujus ope internoscas, qvantominus possis intelligere, qualiter Spiritus sub transitu in unitatem divinam perdat suam speciem (sic loquendo) atq; sic immutetur, ut de eo nil rationi relinquatur, nisi quod ità sit.

Q. Annon ex omnibus his juxtà literam apparet, debere ho-

minem mutari in ipſam divinam naturam? R. Uti opinio hæc falſiſſima eſt, carnalis & ſtulta; ità è prolatis minimè ſeqvitur, apparentia qvoq;, qvam cæca mente extorques, nihil concludit. Ipſa namq; Eſſentia (natura divina) infinities exuperat ſummam, proximam & intimam animæ unionem cum DEO, tanqvàm abyſſus, qvò nulla unqvàm Creatura accedit. Super id autem qvod nulla Creatura cognoſcit naturam Dei, non magis poſſibile eſt rationi comprehendere qvaliter Cæleſtis eſca intus operetur in Spiritu clarificato; ſiqvidem hoc æq; occultũ eſt, imò & longè magis, quàm iſte modus, qvo Cibus naturalis nutrit, qvo natura facit & conſervat hominem, qvo anima parit Vitam in membris &c. qvales abſtruſas vias nulla rationalis Creatura utut ſubtilis & ingenioſa poteſt noſcere vel indagare.

Q. Modus autem qvem hîc deſcripſiſti, eſt perqvàm impracticabilis: Annon ad hunc effectum obtinendum proximiori viâ contendunt, qvi ter vel qvater ſe qvotidiè recolligunt meditando & orando, nacto dehinc non mediocri ſolatio, qvod vergit in certum Signum ejus, qvod re benè geſtâ non obligantur ad plura? R. Quæſtio hæc nihil ad rem. Viam qvam putas proximam eſt disſitiſſima. Veni propius & audi: omnes homines ſunt creati, vocati & ordinati ad res non exigui ſed maximi momenti obtinendas. Omnium autem maximi momenti eſt, qvod Deus ad nullum donum qvod conferat homini, magis pronitus eſt atq; paratus, qvàm ad donum ſuiipſius, id qvod adhuc majus videtur in exuperantiſſimo & excellentiſſimo modo. Quodſi exuperantiſſimum hoc donum non omnes ſpectat, cogitet homo, qvàm Deo ſit inviſum viſo nos ſaltem exiguis munusculis contentos eſſe poſtpoſito ſummo appetibili. Incomparabile damnum emergit hominibus indè, qvod ſolùm ſuos ſenſus cupiunt ſatiatos contentis ſolatio & oblectamento, qvemadmodum faciunt voluptuoſi, qvi ſuam Cupidinem explent obtentis deſiderabilibus, hactenùs carnalibus propemodùm ſimiles facti nec proficiunt nec progrediuntur, qvo ipſo ad nihilum recidunt. Enimverò cibus naturalis ſi in ſtomacho hæreret,

nec

nec permutatus distribueretur ad alendum Caput, Cor & reliqva membra, non posset fieri, qvin totus homo interiret; Consimiliter ferè comparatum est cum præfatæ indaginis hominibus, qvi cùm Deum recipiunt solùm corpore, id est, in animæ sensitivæ receptacula, qvæ sunt Cogitationes, Phantasia, Sensus, qvalitas appetitiva Voluntatis, nec ultrò se movent, qvo penetrent, utut cælestem Cibum toties sumunt, nunqvàm tamen verè pertingunt ad eum, hoc est, ad summum Bonum, ad qvod vocati, ordinati & obstricti sunt.

Q. Dic ergò, qvî possunt progredi ut proficiant? R. Qualiacunq; sunt dona Dei, si sine dono suiipsius sit, non homini sufficiat, qvin est necessum, ut reperto vel adepto dono parvo prætereat homo, seq; cum cunctis potentiis, sensibus, desideriis & viribus tùm Corporis tùm Animæ extendat sursum volitando ad attingendum Deum ipsum, qvod qvidem ideali (naturali) modo fieri neqvit, qvia tantùm supernaturali. Ast hæc ipsa Dei adeptio suos habet gradus in infinitum, qvatenùs abyssus divina est infinitè alta, profunda infinitè, indè seqvitur, qvod homo pertingens eò, qvò longius processit, hoc longius potest progredi & altius ascendere in infinitum, de qvo plura in seqventibus.

Q. Quid tibi porrò videtur de Cœna Domini? R. Quamvis de admirando hoc opere, qvo Dominus noster ante Passionem suam peregit, nulla lingua condignè qveat loqvi, nihilominus qvod de Usu & Fructu ejus est manifestum, id passim in sensu Commmuni vel Spirituali docetur à Theologis. De singulari causâ, modo & effectu ejusdem tractavi seorsim in alio libro: Hîc tantùm expedit proferre id qvod Author noster tradidit in sensu merè Spirituali, nimirum qvaliter in mente (Spiritu) fiat consideratio, applicatio, Usus & Fructus Sacramenti: Dicit autem super-excellentem eam Actionem Domini esse intuendam oculo intellectûs & summâ intentione (desiderio), qvatenus Dominus noster profundissimam suam humilitatem ostendit Discipulis suis per hoc, qvod in ultimâ Cœnâ seipsum

ſpontè obtulit illis in humili Specie Panis & Vini volendo tantum indicare, qvod ſicut Cibus & Potus iſte ſumitur Ore, ità qvoq; Dominus Ipſe ſe totum indat & imprimat nobis intimâ adunatione ſic qvidem, ut vel ſenſibus noſtris percipi queat.

Q. Cùm ſic in tempore gratiæ nulla exercitatio videatur eſſe fructuoſior qvàm hujus Sacramenti in humilitate digna perceptio, ſicut nec ulla periculoſior qvàm indigna, dic, qvæſo, qvaliter homo debeat eſſe præparatus ad dignè percipiendum Sacramentum? R. Id pulchrè deſcribit Dionyſius conſiſtere in quadruplici præparatione, cùm dicit: hominem tunc eſſe ritè præparatum, cum 1. inſons redditus (repurgatus) eſt à cunctis Peccatis ſuis. 2. Quandò eſt circum amictus Virtutibus Domini noſtri Jeſu Chriſti. 3. Quandò ſeipſum exutus in DEUM implantatus eſt. 4. quandò eſt factus Templum Dei.

Q. Cùm iſtæc doctrina per explicationem reddenda ſit dilucidior, dignare eam exponere, maximè id, quî homo poſſit eſſe ſine peccato? R. Quandò homo ſua intus agnita peccata confitetur Deo & pœnitentiam agendo conteritur animo à profundâ ſuorum defectuum revolutione anxio, id magis purgat hominem qvàm lectio & oratio ulla. Qvodſi tunc firmum propoſitum habeat non peccandi, imò inpoſterum occaſiones ad peccata omni ſtudio vitandi, non poteſt fieri, qvin abſolvatur ab omnibus Peccatis.

Quod attinet Virtutes Domini noſtri, qvibus indutus debet eſſe devotus communicans, ſunt illæ ſeqventes: Humilitas, Manſuetudo, Obedientia, Puritas, Patientia, Miſericordia, Continentia & Communis Charitas propter Dominum ergà omnes homines, bonos pariter ac malos, amicos, inimicos: hoc eſt ſecundum.

Ad tertium noſcendum id eſt, hominem præfatis Virtutibus imbutum hoc ipſo liberari à propriis Vinculis & collocari in veram, internam, divinam Pacem, indè qvoq; fit, ut homo in ſe ipſo deprehendat Verba Chriſti dicentis: Qui manducat Carnem meam & bibit Sanguinem meum manet in me & ego in illo.

lo. Attamen ſedulò allaborandum tunc eſt, qvo ſic Pax ea cuſtodiatur, ne tempore afflictionis rumpatur aut Verbis vel Operibus qvalitercunq; tollatur. Longiſſimo qvippè diſtat intervallo Pax naturalis (qvæ Paſſionis tempore ceſſat & hactenùs proſcribitur) à Pace prædictâ, qvæ eſt Pax mentis in ſolo Deo habita ſemper & ubiq; hoc eſt, in proſpero & adverſo, in Spiritu & Naturâ ſimul: qvatenus aliqvis in tantum ſecurâ Pace fruitur, in qvantum verè in Deo eſt, & viciſſim, in qvantum qvis extrà Deum eſt, in tantum caret pace. Quicquid ergò homo in ſe deprehenderit ſitum eſſe in Deo, hanc portionem (qvaliscunq; eſt) noſcat pacem eam habere, reliquas cunctas quæ extrà Deum deprehenduntur, pacem non habere. In hoc ſuppoſito conſtruitur templum Domini, qvod qvartum eſt & probè notandum: nam poſtqvàm homo verè Pacis hujus compos factus eſt, tunc verè & propriè fit templum Dei, qvia de DEO ſcriptum eſt: qvod locus ejus in Pace. Pſ: 75.

Q. Dic qvid boni indè conſequitur? R. Tunc Deus cuncta opera quæ homo facit, operatur in ſeipſo & à ſeipſo, homo verò non operatur à ſeipſo, quatenùs tantùm eſt organum qvo mediante Deus Opus ſuum perficit.

Q. Quid volunt ea Bernhardi Verba, cùm dicit: ſicuti nos Deum manducavimus, ità viciſſim manducamur à Deo? R. Iſtæc Dei manducatio nil aliud eſt, quàm reprehenſio ſeu morſus concupiſcentiæ, qvatenùs Deus non tantùm nos Ipſe caſtigat, verùm & vult, ut caſtigemur à cunctis Creaturis, id qvod à ſimili venationis clarum redditur. Sunt enim Cacodæmones velut Canes venatici, qvi hominem perſeqvuntur ſemper & ubiq; ad capturam præparati variis impuris tentationibus, ſuperbiâ ſcilicet, Avaritiâ, guloſitate, incaſtitate, aliisq; Vitiis, qvibus hominem tentant ac pervertunt, finaliter etiam deſperatione aut malè ordinatâ triſtitiâ.

Q. Indica, quæſo, breviter aliqvem evadendi locum? R. Homo ſit tantùm parum ſollicitus & animo perſtans, nil namq; hæc omnia nocere poſſunt, qvoniam oportet hominem exceri tentationibus, ſi benè ſibi conſultum velit. Q. Nun-

Q. Nunquid soli maligni Spiritus absolvunt præfatam Venationem? R. Non soli, qvin etiam mundus associat se illis feriendum hominem asperis qvibuscunq; verbis & pravis judiciis; imò huc etiam accedunt proprii hominis defectus, naturævè ad vetita pronitas.

Q. Ecqvid incumbit facere homini tot tantisq; perseqventiũ insultibus & impuris tentationibus venato? R. Oportet eum cum resignatione contendere, ut per veram humilitatem & mansuetudinem veniat ad essentialem patientiam foris & intus, idq; non solùm; imò oportet eum etiam cordicitùs compati illis qvi perseqvuntur & feriunt eum rogando Deum, qvò misereatur sui, eorumq; omnium. Cavendum autem seriò est, ne homo venatus currat per dumeta, ne canis instar oblatret aut remordeat, sed recto planovè tramite tendat. Habet autem Pater cælestis Canes suos venaticos ubiq;, domi scilicet, in Civitatibus, in Prædiis, in Sylvis & ideò procul dubio necesse est, ut electi Dei Amici tantisper fugentur à cunctis Creaturis, donec in Deum se recipiant.

Q. Quare Deus instituit istam Venationem? R. Ideò sine dubio, ut Homo Deum sitiat sic qvemadmodum cervus in venatione lassatus aquam desiderat. Habeat ergò Homo sitiens desiderium ad Deum solum nunc & in æternum, prætereà ad nil aliud, qvoniam Deus cuilibet destinavit talem & tantam Venationem, qvæ fructuosa ei sit & necessaria. quodsi qvis promtè currat per Humilitatem, Patientiam & Mansuetudinem, non dubium est, quin tenerescat in Cibum sapidum Domini nostri. Nam qùisquis hoc fundum verè possidet, pertingit indè ad summum, qvod ipsum denuò refluit in eum mediantibus Virtutibus, misericordiâ scilicet, humilitate & charitate versus Deum & proximum. Tales homines manducant hæreditatem paternam, digni hactenùs qvibus præ aliis hominibus servirent cunctæ Creaturæ, qvanqvàm causâ melioris boni id genus solatii sæpesæpius adimatur illis.

Q. Quodsi qvà domi instituatur ista venatio sic, ut parentes libe-

liberos, hi illos, maritus maritam, hæc illum perseqvantur, qvid opus esse putas? R. Tunc decet eum qvi patitur, perferre hoc in silentio semotis cunctis querelis: Consimilis namq; in miseriâ resignatio coràm Deo & coràm Electis suis præcellit cunctis aliis bonis Exercitationibus, qvæ aliàs propter Deum sunt faciendæ. Nec enim aliqvid est præter hoc, qvod citius perduceret hominem ad fundum, in qvo homo adunatur Deo & Deus homini immediatè. Hinc qvisqvis pervenit huc atq; perstiterit, ad Sacramenti Evcharistiæ perceptionem accedere potest liberè, quotiescunq; vult.

Q. Dic qvid malæ Causæ habent in se, qvi Sacramentum indignè percipiunt? R. Mundanum cor habent hi, qvod à Creaturis, qvarum Deus non est causa unica nec finis unicus, obsidetur taliter, ut eas ex libero arbitrio penitus deserere nolint.

Q. Undè potest homo colligere, num præparatus sit ad dignè percipiendum Sacramentum? R. Si homo, qvi est solicitus de dignâ præparatione, sit ex eorum numero, qvi sunt parati ad deferendum & perferendum castigationes Dei & omnia, si qvoq; patienter currit per Virtutes sub universali Venatione, Dei scilicet & Creaturarum, is haud difficulter potest pernoscere num ritè sit præparatus necnè. Cùm castigatio Dei ingravescit in eo, si nihilominus eam humilimè perfert sub augmento ejus versus Deum charitatis (per qvam exstinguitur sitis rerum Caducarum (& sub augmento timoris filialis in animâ ejus: id pro certissimo signo dignæ præparationis habere debet. Nam nulla exercitatio potest ei esse fructuosior perceptione venerabilis hujus Sacramenti.

Q. Dic qvoties tali homini liceat percipere Sacramentum? R. Id in Oratione dominicâ expressum est per ea Verba: Panem nostrum qvotidianum da nobis hodiè.

Q. Ubi inveniendus est tàm clemens Exhibitor, qvi venerabilem hunc Cibum distribuat quotidiè? R. Ut Sacramentum qvotidiè obtineatur sacramentaliter, eousq; respiciendum non est; ast seriò prospiciendum est eò, qvo qvis in purâ resignatione

ne & verâ Pace permaneat conversus ad suum Nihil, qvo ipso futurum est, ut Panem cœlestem percipiat spiritualiter & propemodùm fructuosè. Cum autem eo passim fruitur sacramentaliter, oportet eum manducare & usurpare in Spiritu. Sic namq; permanet veraciter in Deo, sicut scriptum est: Qui me manducat, manet in me & ego in illo. Hic est primus gradus ad dignam Sacramenti perceptionem.

Q. Si primus gradus is est, annon hinc seqvitur plures dari? R. Imò dantur adhuc duo, qvi longè præcellunt priori qvi & hinc plus venerandi sunt: Unus eorum est cum cognitione simul & cum perceptione, alter cum perceptione sine cognitione.

Q. De uno & altero dic qvid habes? R. Prior gradus consistit in repudiatione (deperditione) omnis proprietatis & sensualitatis: posterior est interna anxietas, qvæ à præfatâ deperditione oritur. Nam certum est, qvò plus proprietatis, plus fulcimenti habuit homo in his, qvæ affectavit, qvod eò gravior atq; acerbior est pressura. S. Bernhardus dicit: qvod sicuti Cibus in stomacho digeritur & subseqventer (anteqvàm Caro fit) per viam transmutationis sic alteratur, ut tunc non amplius sit qvod antè fuit; ità etiam, anteqvàm homo veraciter Deo unitur, oportet eum prius in seipso privari omni proprietate, affectuositate, sensualitate & actualitate in omni modo, qvo seipsũ possedit. Neq; enim duo contraria in eodem subjecto se mutuò compatiuntur, & sicut calor frigus expellit; ità necessum est, ut Deo intranti cedat omnis naturalitas & possessio. Ut Deus queat operari, necessum est homini se merè passivè habeat, imò necessum est, ut ejus Potentiæ se usq; adeò amittant, ne ad activitatem redeant usqvàm, sed super suum, qvo cuncta recidunt, Nihil persistant. quo verò profundior est abyssus Nihili, eò veracior est & arctior Dei adunatio. quodsi qvis eò progressum se cupiat, ut Deus loqvatur in Animâ ejus, sileant opus est cunctæ Potentiæ animæ, qvatenus ab his tunc non requiritur actus, sed privatio. Id per exemplum Paulò antè clarius redditum est, desumtum scilicet à Cibo per coctionis alterationem

nem pristinâ formâ privato: hoc sicut in naturâ Corporis est, infinities magis sic in animâ & spiritu.

Q. Cùm autem hîc valdè erretur, & ex errore damnum grave emergat, quæritur, ubi lateat error iste? R. Sciendum est, ut plurimùm hîc damnum causari per hoc, quod ratio humana passim occupata est nimium, præsumendo eam hîc oportere scire quidnam id sit, ad qvod prætendit Cooperationem, cùm tamen debeat hîc penitus exulare, imò deperire, utut contendat audacius. Magnâ verò hîc opus est circumspectione ut homo sonticum hunc errorem & damnum agnoscat, si quà salus cordi est. Nam qvi diutius huic immorantur gradui, in his tàm efferati cruciatus generantur sub deperditionis suæ meditatione, imò eorum natura angitur tantâ oppressione, ut nesciant qvid iis deficiat.

Q. Dic, qvæso, quid deest illis? R. Desiderium annihilationis deest illis, qvod indè constat, quia nolunt mori, cùm tamen teneantur sibiipsis emori inevitabiliter: defectus hic magnus est, qvatenus dehinc pronascitur omnis tortura & anxietas. Et quomodò verificabitur in iis Verbum Apostoli dicentis: annuntiare debemus mortem Domini, donec ipsa veniat. Estnè 1. Cor. 11.
istæc annunciatio perficienda solis Verbis aut Cogitationibus? Non sic intelligendum est, cùm hæc res minima esset. Ast Sensus verborum eorum fundatus est in depositione suiipsius, hoc est, in tali mortificatione, quæ fit in Virtute mortis ejus, à quâ excluditur omne solatium & quæsitum auxilium, quatenus id quod sublevat, impedit passionem. In mortificatione requiritur continuata passio, donec fiat interitus, hinc omnia qvæ possunt alleviando impedire passionem, sunt seqvestranda, & in hoc sensu ad numerum impedimentorum referuntur etiam tria, qvæ valdè solantur, adminicula, nempè venerabile Sacramentum Evcharistiæ, externum Verbum Dei & pietatis Exercitium, qvæ sicut aliàs sunt valdè necessaria, ità in hoc gradu suspendunt passionem & hactenùs impediunt. Quodsi qvis libere, placidè & sine excursitatione maneret in tali pressurâ, id ei

magis prodeſſet quàm omnis exercitatio. Sed quàm multi homines hîc fugiunt perſeverantiam, dum hinc & indè excurrunt qvæſitum auxilium & ſolatium, cùm tamen indè non juventur? Quisquis in hâc abyſſo permanſerit, in eo verè naſcetur vera genitura, qvi verò non permanet, poſtponitur: Verbis autem exprimi neqvit, qvàm varia hæc poſtpoſitio ſit, qvæ ſemper cauſatur à maledicto reqviſito callidæ naturæ, ut quæ à paſſionis tormentis ſe qvovismodo conatur eripere.

Q. Annon & ratio accurrit qvæſitum objectum aliquod, ne otioſa inveniatur? R. Imò nec ſolùm hæc, ſed etiam ipſa hominis ſinceritas alloqvitur hominem ferè ad hunc modum: Eheû qvid facis, nihilnè tibi proponis? Procul dubio ſic multum, imò teipſum ubiq; negligis. Tunc ſibi proponit homo; qvod diligenter velit orare; ſed vix hoc genus Exercitii propoſuit ſibi, eccè nactâ occaſione ad impediendum præſens adeſt malignus Spiritus arguens hominis ſegnitiem qvaſi otioſus ſe non exerceat, dicendo: Vade, operare qvid boni Operis, ne tempus perdas. Huic adjungunt ſe rudes homines, qui ſuis inventis modis occupati dicunt. Quid, qvæſo, hîc hæres? Vade ad audiendum Verbum Dei. Hujusmodi venaticis canibus tunc ſimilis redditur homo, ſibiipſi oblatrando cùm cogitat: Eheû, quid facio, qvod non ſolando meipſum è tantâ anxietate eripio? Ad Sacramentum Evchariſtiæ properabo, undè mihi auxilium. qvodſi verò hoc fiat aut ex piâ conſuetudine, aut (uti dictum) ſolatii Causâ, ſciendum eſt, non eſſe tunc attendendum tali objecto, qvod impetit paſſionis progreſſum ad mortem excepto ſub eo ſtatu, qvo qvis ſentit in ſuâ naturâ ſe tàm infirmum eſſe factum, ut perpeti nequeat ulterius. In tali ſtatu, ajo, licitum eſt, imò conſultum unâ vel alterâ vice accedendi ad S. Cænam, non qvidem ideò, ut prorſus liberetur, ſed potius, ut tantò melius poſſit perferre paſſionem.

Q. Siccinè divinus partus eniti neqvit, nî hominis preſſura, ſivè omnis, de qvâ dictum eſt, paſſio præceſſerit? R. quoniam partus tantum ſeqvitur paſſionem velut gravem enixum, neceſ-

ſum

ſum omninò eſt, ut præceſſerit: qvin etiam id obſervandum eſt, qvod partus ipſe perditur, per paſſionis ſolutionem, qvatenùs id qvod ejus cruciatum tollit mitigando, eſt partus heteroclitus, qvi edit & vendicat ſeipſum pro partu legitimo. Innumera autem ſunt media ſolventia, qvæ cuncta ſolicitè curat adhibere natura, imò nunc ſudat nunc alget, qvævis etiam dura tentat, modò avertat, ne paſſio perveniat ad terminum noviſſimum. Sed qvid prodeſſe poſſunt hæc omnia, cùm paſſio longè præcellat actioni: hinc longè major Utilitas ſperanda eſt ex paſſione, qvàm è qvocunq; Exercitio. Dura qvidem ſenſatio eſt, ſi qvis recogitat tùm incomparabilem jucunditatem, qvam ſenſit è Sacramento & Verbo Dei ſæpiùs, tùm ejus ſub paſſione Carentiam: hîc ſane tremit miſera natura, hinc fulcimentum appetit, Solatium & Gaudium; aſt cuncta hæc remedia tunc ſunt ablata, qvatenùs oportet, ut in extremam ſe demittendo miſeriam penitus perditioni dedat, id qvod naturæ eſt mors exuperans qvascunq; alias.

Q. Annon te pravum qvid docere dicent homines, qvi fortè putabunt te interdicere id qvod ſummi ad pium Uſum momenti eſt, Sacramentum ſcilicet & Verbum Dei? R. quid rudes dicant, parum refert, ad eos enim non pertingit doctrinâ Spiritûs, qvia tantùm ad eos, qvi cupiunt erudiri in Scholâ S. Spiritûs, his tanqvàm ſapientibus dictum eſt, qvid iis præſtet ſub agoniâ Spiritûs usq; ad conſummationem paſſionis, qvidvè impediendo poſtponat eos. Ubi circumſpectione, ibi etiam diſcretione opus eſt, & hîc vel maximè: proindè notandum eſt, qvod dixi ſuperius ad duos priores gradus, ſi qvis in illis adhuc perſiſtit, nil magis tunc promovere ad vividum progreſſum in Vitâ beatâ qvàm Sacramentum Evchariſtiæ & Verbum Domini: ſed ad tertium gradum qvod dictum eſt, id habet ſeqventem Senſum, nimirum qvod ibi omne qvod alleviationem ſolando reddit, cedat impedimento. Nam per id, qvod homo ſeipſum adjutum & ereptum quærit, avertit ſe à Deo & fugit qvaſi diceret: nolo te Deum, contendam aliorſum! Id qvod in Deum tàm eſt inju-

injuriosum, ac sic de novo crucifigeretur ideò, ne super excellens Opus suum queat in homine perficere. O qvàm infinitè Bonum tunc negligit homo, qvi passionem ad finem usq; sustinere nequit sub omnis solatii & fulcimenti carentiâ tàm in Spiritu, qvàm naturâ.

Q. His qvidem jam perspectis, sed nondum intellecto termino prædictæ passionis, quæritur ultimatim, qvonam perducat hominem omnium maxima hæc tortura & destructio? R. Is qvi huic fundo tandem obviat finis est omnium excellentissimus, quatenus homines, qvi carent modis talibus transformantur factâ Unione in Deum, qvod ipsum testatur S. Paulus, cùm
2. Cor. dicit: transformamur à Claritate in Claritatem, in eandem Ima-
3. ginem à Spiritu Dei. Qualiter autem Spiritus S. trahat hominem in seipsum, ut transformetur, id tantùm observant, qvi eâdem Viâ ambulârunt, qvamvis non per modum diversitatis, sed in merâ simplicitate, de qvâ nemo Verba facere potest.

Hîc etiam observandum id est, qvod inter eos, qvi præmemoratis duabus piis Exercitationibus se occupant (puta Sacramento & Verbo Dei) nonnulli inveniantur, qvibus istæc transformatio nonnunqvàm affulget qvasi supernaturali coruscatione, id est, semel vel aliqvoties per diem aut septimanam, qvotiescunq; Deus id facit per suam misericordiam, & qvoties homo se vertit eò, idq; fit aliqvandò sub diversitate, aliqvandò sine eâ, nimirum in obscuritate. Et de his dicitur, qvod taliter tangantur charitate vulneratâ: de illis verò, qvi paulo antè sunt memorati, dicitur, qvod Deo sint conformati & imbuti charitate captivâ, qvalis qvidem imbuitio melius deprehenditur qvàm explicatur. Hinc tales homines inveniuntur optimè ordinati præ cunctis aliis bonis piisq; hominibus, qvi adhuc carent divino eo, de qvo in præsentiarum dictum est, fundo.

Q. Cùm jam sit explicatum, qvid circà Usum Sacramenti Eucharistiæ sit fortibus hominibus, id est, divinis, observandum, non minus autem necessarium indicare simul, qvid debiles & hujus Sacramenti indigi homines nôsse debent circà dignitatem, usum

usum & fructum ejusdem, qværitur, an Sacramentum Evc haristiæ sit illud donum maximum, qvod Deus parvulis dedit in solatium & profectum? R. Quoniam Dominus ipse est donum è summâ Commiseratione hominibus miseris in Terrâ relictũ, cujus ergò dixit: Ecce maneo vobiscum omnibus diebus &c. indubium est, donum id esse omninum maximum, qvia insuper utilissimum, dumodò Arca Cordis, in qvam recondi debet, sit depurata, ornata & præparata. Nam omnia qvæ homo potest pro suâ Salute expetere, affluunt simul cum eo dono sic, ut sæpe sæpius is, qvi dignè sumit Sacramentum, impleatur Spe & Fiduciâ, imò & internâ Cordis pace & dulci quiete. Matth. 28.

Q. Dic, quæso, qvid singulare inter cætera dona affert secum Sacramentum? R. Inter alia confertur homini triplex bonum: primò remittit Deus peccata longè facilius, cùm animam insuper à cunctis maculis emundet: secundò confortat DEUS hominem per semetipsum nonsolùm muniendo adversus tentationes vitiorum, sed etiam fœcundando eum in virtuoso Exercitio: tertiò, sic homo cum Deo & Deus cum homine se coadunat. Est ergò hoc Sacramentum ignis ille consumens, qvi suâ præsentiâ consumit omnes animæ maculas, qvin etiam se ideò Christus nobis dedit in cibi formâ, ut spiritualiter nos nutriat & confortet in cunctis infirmitatibus.

Q. Qvænam sunt potiores ac frequentiores infirmitates (defectûs) hominum, contrà quos cibus sacramentalis est sumum confortativum? R. Infirmitas, quam Deus sæpè in nobis observat, una est, quod homo à seipso tentationibus Diaboli & Vitiis qvàm parum resistere potest. Altera est, qvod in virtutibus & sanctis exercitationibus qvàm parum proficit. Tertia infirmitas est, quod homo tàm in Certamine adversus malum qvàm in profectu ad bonum se valdè inconstantem gerit. Deus autem in Succursum festinans seipsum nobis exhibet in modo & Cibo spirituali, ut roboremur, eòq; ad veras Virtutes præparemur.

Q. Qvid circà hæc est faciendum? R. Oportet hominem scrutari seipsum & observare in quibus rebus se deprehendit infirmum

mum ac defectuosum, siqvidem contrà id est dimicandum fortius: posteaquàm invenerit, per qvid devictus tunc est, sivè sit impatientia, pigritia, inobedientia, superbia, invidia, sivè aliud qvid (quod inter Deum & hominem discrimen potest facere) oportet eum ex toto Corde petere Confortationem, interim autem ardens habere desiderium ad Cibum cœlestem (qui solus potest roborare animam) donec juvante Deo sic suos defectûs superet omnes. Tunc Deus regnabit in homine, Diabolus autem fugiet sublatâ obsidione.

Q. Quid iis contingit vicissim, qvi ad perceptionem cœlestis cibi non præparant se? R. Tales affliguntur continuò sub virium diminutione, refectionisvè inopiâ, quicquid etiam spectet sivè Deum, sivè devotionem, sivè Virtutes, bona Opera, internas & externas exercitationes, semper manent tædiosi, frigidi, ignavi. Nam sicut robur & sanitas Corporis deficit sub diuturno jejunio, ità quoq; deperit Vigor animæ sub longiori cœle-
Ps: 101. stis cibi Carentiâ. Per id impletur Verbum Prophetæ dicentis: Cor meum exaruit, quoniam oblitus sum comedere panem meum. Omninò ex succum fameq; extenuatum redditur Cor hominis talis, qvi non habet devotionem, non spiritualem bonorum Operum Virtutem, quia abstinuit à cibo reficiente animam, quem Deus ad id super terram destinavit. Qvapropter probè observandum est, quamprimùm homo se spirituali hâc infirmitate laborantem senserit, opus esse, ut se confestim ad Deum recipiat, ad Cibum cœlestem, per quem futurum est, ut fiat lætus, vividus & fortis ad omnia bona opera.

Q. Cùm dictum sit: qvotiescunq; feceritis, facite ad meam Commemorationem: dic, quid circà Usum Sacramenti devotus homo commemorare debeat de Christo Domino nostro? R. Oportet revocare in memoriam, qvod Dominus Jesus sit ejus Magister & constans fidelis socius omnis miseriæ ejus, quod nobiscum sit & maneat eo fine, ut suâ præsentiâ nos moneat commemorare suam Vitam, passionem & mortem, qvæ omnia ex charitate pro nobis sustinuit. Rememorandum ergò est, quàm promtè,

promtè, qvàm mansuetè, quàm patienter ea omnia pertulerit. Perpendenda est ejus Paupertas, rerum naturalium inopia, omnis ejus miseria, labor, fatigatio, opprobrium, calumniæ, plagæ, & torturæ ad mortem usq; continuatæ, & qvod in cunctis Operibus & Passione suâ non suiipsius sed nostri curam habuit.

Q. Quo fine fecit amabilis noster Dominus monitionem eam? R. Eo fine, ut indè Cor nostrum tenerescat, ejusq; in amore accendatur, per id namq; efficitur, ut homo seqvatur Christum, ut propter Christum etiam solatio corporali renunciet, ut cunctos labores & afflictiones propter eum in mansuetudine perferat, ut nonnisi propter Christum patiatur, hoc est, ut in solâ Dei curâ Christum suprà Cor suum statuat velut signaculum amoris, (per qvod renovatur amor Dei versus nos) & ut cunctæ Cogitationes obsignentur solo amore divino. Sic namq; decet in cunctis actionibus observare divinam Voluntatem, qvoniam & ipse Dominus non se, sed tantùm nos per totam suam Vitam observavit. In isto æterno Amore trahit Deus nos ad se sic, ut ipse in nobis, & nos in eo veraciter simus: sic etiam Dominus se totum devotæ reddit animæ, ut nil de suo sibi servet, id qvod etiam de Animâ sic dici debet. Hinc sibi adunatos alloqvitur sic: Edite Amici mei, bibite Charissimi & inebriemini: qvasi diceret: Amicitia & Amor me duxit eò, ut velim manducetis & bibatis me, eo fine, ut in penetralia Animæ vestræ penetrem, inq; vobis habitem. Cant. 5.

Q. Si Corpus Christi est Vita animæ, dicas velim, qvid reqviratur ad dignam sumtionem? R. Non potest dignè sumi, nî homo sit in Gratiâ Dei, siqvidem hæc est, quæ huc reqviritur. Nam sicut Corpus Christi in Gratiâ est Vita animæ; ità sine Gratiâ est etiam Mors animæ. Gratia & Amor impediunt, qvominus Anima maneat in seipsâ, cùm sint mutationis Causæ; sic Anima qvæ dignè percipit Corpus Christi, per id mutatur in Corpus & Animam Christi: Amori namq; id proprium est, ut transformatâ naturalitate transportet animam in abyssum Divinitatis sic, ut seipsam posthàc non noscat, nec in Spi-

ritu qvid deprehendat aliud præter ſe transformatam in Chriſtum.

Phil. 1. Q. Siccinè huc ſpectat illud Pauli: Chriſtus eſt Vita mea & mori mihi lucrum eſt? R. Imò idipſum dicit Anima cum Paulo, quatenus nulla mortis ſpecies eſt magis prædicanda, qvàm ea, qvà ſibiipſi moritur Anima ideò ut vivat in Chriſto, qvi ipſe eſſentialiter eſt Vita illa, in qvâ omnes Creaturæ æternùm vivunt. Hinc unusqvisq; intendat ſe præparare ſic, ut ſæpè in Gratiâ Dei & Charitate accedat ad menſam Domini, qvoniam ſcriptum eſt: Qui manducat de Pane hoc, vivet in æternum. Mutabitur autem in Vitam eam, qvæ Deus eſt, ubi cunctarum Creaturarum Vita perficitur in Claritate infinitâ, qvatenùs Animæ cunctæ clarificantur Luce divinitatis.

Q. Annon & alius Fructus præter prædictum naſcitur è continuato Sacramenti Uſu? R. Imò adhuc unus & alter. Qvotiescunq; enim qvis dignè percipit Myſterium hoc, toties Deus confert ei novum gradum Claritatis. Charitas ſic & Gratia augetur ſemper creſcendo, ut etiam minimus gradus animæ dignè ſumenti datus immensè magnus reddatur ſic, ut ſi præter eum non eſſet alius, hic ſolus ſufficeret Saluti adipiſcendæ. Alter autem Fructus is eſt, qvod omnis tempeſtas Spiritûs & Animæ per id ſedatur ſic, ut homo reddatur tranqvillus & pacatus qvoad Corpus ligatâ omni ad peccata propenſione.

Q. Cùm juxtà Apoſtolum debeat homo ſeipſum ſcrutari, qvali devotione Cor ejus præparatum ſit ad dignam Sacramenti perceptionem, dic qvid faciendum eſt his, qvi ſub ſcrutinio parvum in ſe deſiderium ad id ſentiunt? R. Tametſi internum eorũ deſiderium non adeò magnum ſit, expedit tamen ſæpius accedere eo fine, ut Vitam eorum com̃unem in bono ordine ſervent ſub firmo peccata vitandi propoſito: ſecùs autem faciendum eſt carnalibus, qvi juxtà Voluntatem & Concupiſcentiam ſuam vivunt, & tales videri cupiunt, hinc & ſuperbè perſiſtunt in Voluptate, multiloqvio, judicio, impatientiâ, ſenſuum ſtrepitu & murmuratione, qvatenùs è freqventi Sacramenti perceptione plus

plus damni qvàm commodi reportant, ſingulis vicibus intus deteriores facti & à veris Virtutibus longius remoti.

Q. Undè venit hoc iſtiusmodi hominibus? R. Indè qvod nunqvàm habuerunt veras virtutes (Exercitium veræ reſignationis), nec unqvàm rectè inceperunt vivere juxtà Vitam Chriſti, etiamſi ſe putant eam exindè habere, qvod paſſionem Domini nonnunqvàm perpendunt. Nam ſi ex eâ perpenſione guſtum aliqvem perſentiunt, falſò putant ſe jam adeptos eſſe eam. Sic etiam, cùm aliqvandò eorum Cor impellitur ad devotionem, putant id eſſe rem ſanctam magniq; momenti: in hoc vel maximè decipiuntur, cum id ſit adhuc infimi gradûs, qvod facilè pro ſuo more evaneſcit. Ut autem hoc melius intelligatur, noſcendum eſt, niſi præceſſerit hoc, qvod Chriſti ſuaviſſima Vita & Paſſio in verâ imitatione perducta ſit in veram reſignationem & mortificationem vitiorum corporaliter & ſpiritualiter, nil aliud eſſe omne id, qvàm ſenſualis exercitatio, propria inventio & modificatio, qvæ mox à tentatione iterum fatiſcit.

Q. Cùm omnia hæc nunc ſatis expenſa ſint, dic, quæſo, (qvod reſtat adhuc) qvomodo Sacramentum Evchariſtiæ ſumendum ſit? R. Id ſatis edocet S. Hiſtoria in veteri Teſtamento ſub agni paſchalis ritu celebris, ubi Scriptum legimus, Agnum fuiſſe manducatum cum acetariis & feſtinanter. Pari ergò modo ſumendus eſt Panis cœleſtis primò feſtinanter, hoc eſt, ſummo deſiderio, & qvoad internum hominem ſapidiſſimè, non obſtante, qvod Homo externus ignavus ſit & ineptus, ceu in qvo nihil ſitum eſt. Nam ſi qvà promta ſemper ſit Voluntas qvantum poſſibile peccata imò & omne qvod contrà divinum honorem & contrà veras Virtutes putat eſſe noſcendi & agnoſcendi, qvodipſum intus ſentire poteſt, ſi qvoq; extùs anſam & occaſionem vitat virtutes juxtà externum ordinem exercendo, non poteſt fieri, qvin Sacramentum tunc ſumat ſalutari modo, in qvo non deeſt magna & ardens devotio, etiamſi frigeſcat & pigreſcat externus Homo: hoc enim nil refert eò qvod in natura eſt, attamen exindè patet, qvanti inter ſit, ſi quà Voluntas interna

 falſa

falsa sit. Sicut autem Agnus paschalis comedebatur cum acetariis, ità necessum est, ut Panis cœlestis sumatur cum acerbâ Contritione, cum internâ sensibili compassione,& commemoratione passionis Christi, sic namq; futurum est,ut in honorem ejus instituat Vitam suam in strictâ pœnitentiâ.

Q. Dic in quo consistat stricta (rigida) pœnitentia? R. Consistit ea in imitatione,hæc autem in eo, ut homo sibi applicet vitam Christi, primò in Corpore doloroso & passionibus exercitato, in victûs parsimoniâ, in jejunio, Vigiliis&c. Secundò in Matth. 26. mœsta & compatiente animâ. Nam sicut Christus dixit: Anima mea tristis est usq; ad mortem: ità convenit homini se intus afficere passione Christi, puta in depositione affectuum & complacentiæ, id quod tùm est futurum, cùm desiderium subjugatum & propria Voluntas, propria Sapientia & propria Sanctitas proscripta est. Hoc est passionem Christi ipso facto commemorare & deplorare,& hæc sola exercitatio est tanti momenti, ut sine eâ reliquæ omnes nullius pretii sint.

Q. Cùm autem per multi homines reperiantur,qui ob Virtutes conquisitas & propter magnam devotionem insignes qvidem redditi,nihilominus ad sensum & gustum sibi omnia aptant non verò ad esse tantùm, quid, qvæso, censes de illis? R. Tales homines non possunt pervenire ad fundum internum, quatenus in solo persistunt externarum Virtutum exercitio: eorum qvidam tanto flagrant ardore, ut ferè singulis diebus meditentur passionem Domini ab initio ad finem usq;, undè conseqventer validissimè moventur & oblectantur à spirituali dulcedine quam degustant,id qvod aliis hominibus non obvenit. Hanc diceret aliquis svavem Vitam viventem, ergò non est Vita moriens, de quâ dictum. Ad humilem resignationem, ad communem charitatem, ad abnegationem suiipsius, ad mansvetudinem,ad puritatem Cordis &c. tales non habent inclinationem. Nam cum eò pervenerit, ut seipsos deserere debeant (quatenùs resignatio consistit in desertione)deprehenduntur statim quales sunt. Putant autem indè se habere puritatem Cordis & cæteras Virtutes, quod

quod iſtiusmodi Cogitationibus & meditationibus occupati ſunt. Taliter autem ſeipſos decipiunt, cùm puritas Virtutum & Cogitationum ab aliis exercitationibus proveniat.

Q. Siccinè ut Cor purificetur, requiritur puritas Cogitationum? R. Imò vel maximè, quamvis id hodie parum perpendatur. Oportet hominem vincere ac reſiſtere inutilibus, quæ incidunt, Cogitationibus. Id prius faciendum eſt, deindè opus eſt, ut occupet Senſus & facultates objectis Vitâ, Verbis & Operibus Chriſti, imò & ſcripturâ ſacrâ, his alternatim ſed continuò exerceat ſe, qvoniam futurum ſic eſt, ut omnes inutiles curæ recedant ab eo & alienæ ſollicitudines, qvæ Cor reddunt inquietum. Hic eſt modus, qvo qvis nanciſcitur puritatem Cogitationum, quam ſeqvi debet puritas Cordis.

Q. Qvid ſubſeqventer faciendum eſt, ut qvis purificet Cor? R. Oportet eum expurgare Cor ab omni malâ intentione, ab omni ſenſuali appetitu, & ſingulari deſiderio, ut quod intus tàm verè ſibi ſit ac ſentiat adverſum, nè usquàm poſſit animum adjicere, ubi qvid malum eſt & peccatum.

Q. Recenſe fructum, qvem qvis depromit ab eâ puritate? R. Qvicunq; ſic depuratus eſt, nil vitio vertere poteſt, nil judicat, nilq; traducit, quicqvid de alio dicitur, tanqvàm non dictum obaudit vel ideò, qvia Cor purum eſt, nam puris ſunt omnia pura. Tit. 1.
Nec enim facilè offenditur, qvi pacem internam habet, imò cuivis prodeſt, nemini nocet. Inſuper ſub iſtâ puritate Sacramentum Evchariſtiæ multa & magna efficit, quatenus in eâ ſita eſt vera Virtus. Verà ergò Virtus non eſt ſita in variâ oblectatione, non in apparentiâ, non in ſenſibili ardenti devotione, neq; in aliis fulcris, qvibus nonnulli ſe ſuſtinent, qvi deſuper plurimùm gloriantur & ſæpe ad Sacramentum properant non aliter acſi planè digni eſſent. Quicunq; hîc ſinunt naturam qvieſcere, hi putant etiam ſe non carere poſſe eo, tantominus Deo in acceptos reddi ſaltem intuitu ardentis devotionis eorum; aſt facilè res ea proditur, quod non ſit integra, quia deprehenditur eos nonnunqvàm valdè offendi ab iis, qvi modo adverſo ſeſe oppo-

nunt eorum exercitationibus & oblectamentis, quin statim cernimus eos causâ hujus resistentiæ spernere, judicare & parvi pendere alios cum diffamatione, sicut eos nec aspicere nec audire dignentur. Diversi ergò fructus à tam diversis hominibus reportantur è sacramento, quorum salubrior eorum est, qui per veram pœnitentiam intrinsecus forinsecùs perveniunt ad Cogitationum & Cordis puritatem.

Q. Quotuplex est Cæna Dominica? R. Quantum è scripturâ noscendum datur, est Cæna Domini triplex: Una qvidem est, ad quam omnes hactenùs sumus vocati & compulsi, hæc spectat Regnum Dei, quod intrà nos est. Gregorius dicit: quod ea sit omnium intima, sincerissima, absolutissima Sensatio fundi interni, ubi Regnum Dei est: istam autem degustationem, hoc est, qualiter Deus inhabitat & operatur, dicit, debere apprehendi mediante cognitione & amore. Hinc per parabolam evan-
Luc. 14. gelicam est à Doctore cœlesti revelata.

Q. Qvænam est altera Cæna Domini? R. Est Sacramentum Evcharistiæ, quod dignè sumtum tot atq; tantas gratias & beatitudines confert, quæ captum & discursum omnem exuperant. Attamen non omnes boni homines fiunt tàm infinitæ gratiæ participes, etiamsi sæpiùs eò accesserint.

Q. Quæ ratio, qvod indè non proficiunt? R. Ratio in promtu est, nimirum, quod suos quotidianos defectus non diligentissimè expendunt, sed si quandoq; fit, nonnisi somnolenter, hinc fit, ut à defectibus talibus impediantur, quominus ejusdem gratiæ influxum assequantur. Nam hoc est hominis debitum, ut Vitam suam pervestiget tàm sollicitè, ne ullum defectum in se volenter patiatur; Sed quisquis ità se gerere intendit, eum oportet antè omnia devitare cunctos inutiles & sub incuriâ effusos sermones. Sunt autem omnia Verba inutilia, quæ utilitatis cujusdam gratiâ non proferuntur: ab his ergò cavendum est.

Q. Annon præter id est aliud qvid, quod impedit, ne homo participet influxum & operationem ejusdem gratiæ? R. Imò est aliud quoq; impedimentum, nimirum, quod non habent de-

vo-

votionem actualem, qvatenùs non expectant gratiam mediante inversione sui, sed potius evagantur longius cogitando, quo ipso gratiam suo loco ejiciunt. Quicunq; vult degustare hanc gratiam, oportet eum depulsis tenebris mundo resignâsse. Quisquis autem adhuc versatur inter naturæ limites, (inclinationes & carnales imaginationes) is nondum habet verum gustum juxtà internum desiderium, qvem cibus iste svavissimus efficit aliàs. Inprimis qvi cupit intus percipere aliquid, debet observare summum naturæ Contagium, adeoq; licet accedere ad Sacramentum non intuitu perfectionis, sed causâ magnæ infirmitatis ejus, nimirùm eo fine, ut indies ab eâ magis magisq; liberetur, & animus ab omni impuritate mundatus in munditiâ Servetur.

Q. Quid autem si homo sumtâ sacramentali Cœnâ, subseqventer iterum recipit Ideas peregrinas, occupando se variarum rerum externarum Curâ? R. A qvo id fit, impeditur effectus, qvi Fructum hujus Cibi conseqvitur, imò & fervor charitatis remittit, hinc Spiritus unà cum naturâ redditur incapax expectandi intus effectum hujus Gratiæ.

Q. Cùm autem sæpe fiat, qvod, cùm se abdicavit homo à cunctis Creaturis cum liberâ resignatione, Diabolus eum aggreditur continuò insusurrando ei inconstantiam, qvasi stultè inceptum sit, in qvo perseverare neqveat, qvid factu tunc opus est? R. Quorum Fides debilis est, eos persequitur Diabolus mille modis tentationum. Quicunq; eorum annuunt Diaboli insusurrationi, eoq; censent se stultè sic acturos, qvasi melius esset in mundo vivere sub curâ & cupidine Creaturarum, qvàm perseverare in tali anxietate, hi perimunt seipsos, adeoq; multi eorum, qvà Deo sic diffidunt, ad aratrum respiciunt in Ægyptum revertuntur. Consilium ergò datur his, qvibus tentationes occurrunt, ut ad Dominum Jesum Christum conversi fiducialiter orent, qvatenùs dignetur exorare Patrem suum pro iis ipsis, qvi juvet, ne infernalis Pharao evadat Victor eorum.

Q. De tertiâ Cœnâ Domini qvæ habes dic? R. Ea spectat Regnum cœleste, qvod Vita æterna est, in cujus comparatione omnia

omnia in Universum convivia sivè in Spiritu sivè in naturâ unquàm habita, sunt sicut mica panis comparata ergà omnia totius orbis frumenta.

Q. Quid faciendum, ut homo ad hanc Cænam perveniat? R. Oportet eum utriusq; præmemoratæ Cænæ rationem habere optimam, cùm passim doceatur, non posse qvempiam frui ultimâ, qui duas priores modo aliquo non prægustavit. De hoc tamen prægustu notanda sunt sequentia, nimirùm eum esse valdè diversum, atq; hâc ratione etiam valdè diversam fruitionem posterioris: nihilominus tamen id cum aliquâ exceptione intelligendum est. Nam quamvis hoc suo modo verum sit, fit tamen nonnunqvàm, ut Deus eam sensationem (prægustationem) fundi diversis bonis hominibus subtrahat, imò per totam Vitam sic differendo auferat, ne unquàm vel unicam guttulam prægustent, donec ad ultimam Cænam ipsi perveniant.

Q. Ergonè tales longè infelicius, alii verò longè beatius vivunt hâc ratione? R. Imò è contrario plerumq;. Nam hi de qvibus dictum, vel mille gradibus possunt altius ascendere iis, qvi sæpiùs multumq; prægustaverunt, quatenùs fieri assolet, ut aliqvis revelationem (prægustum) habeat, se tamen reddat eâ indignum, & hinc est dictum, fore, ut qvi hâc in parte nullam habuit revelationem (prægustum) mille gradibus Deo proximior sit altero. In isto namq; convivio utitur Deus mensurâ charitatis, datq; unicuiq; qvod ipsi est optimum. Proinde ex parte hominis vicissim opus est, ut cor & amorem suum ad solum Deum conversum & vicissim ab omni qvod Deus *non est* aversum teneat, si qvid fundum prægustare cupiat. Tantum de Sacramento Evcharistiæ.

Q. Cùm in superiori quæstione mentionem feceris trium adminiculorum, qvæ qvidem valdè solantur, sed hactenùs sunt passionis impedimenta, nominatim Sacramentum Evcharistiæ, Verbum Dei & Exercitium pietatis, an non hîc ordo tangit, ut post Sacramenti explicationem proximè consideretur Verbum Dei & subseqventer Exercitium pietatis? R. Rectè mones, tractemus hîc prius, posteà posterius.

CAP.

Cap. XII.

De Verbo Dei.

Q. Quid sentis de monitione externâ, quæ fit per auditum Verbum Dei? R. Qvi Verbum Dei non audit, negligit seipsum. Sed qvisquis audit, audiat sic, ut veniat ad rationem & intelligentiam. Nam qvod pauci Verbum Dei intelligunt, id indè venit, quod in phantasiâ manet nec ultrà penetrat ad rationem & intellectum per memoriam.

Q. Dic qvare sic fiat? R. Qvia Via & sedes rationis obsepta est Curis sivè aliis Ideis, ità ut Verbum auditum neqveat ad suum directum locum pervenire. Neq; enim potest fieri, ut veritas intelligatur, nî Viæ emundentur & peregrinæ Creaturarum Ideæ expellantur.

Q. Cùm autem quotidiè prædicetur eadem Veritas, annon futurum est, ut nauseam pariat, eoq; melius sit rarius audiri Verbum Dei? R. Verbum Dei semper sine nauseâ, inprimis cum desiderio & diligenter audiendum est, cùm inibi lateat nova Veritas, quæ semper inveniri, nunquàm autem satis intelligi potest, quanquàm & hoc verum sit, quod magis qveat intelligi ab his, qvi vacuâ animâ accedunt ad audiendum; secùs comparatum est cum iis, qui non sunt vacuati, quoniam solet fieri, ut quamplurimum de Verbo Dei perdatur in illis, qvia non intellectum, & hoc fit propter impedimentum, qvod solùm à sensibus receptum moratur in phantasiâ & non pertingit ad deputatum suum locum. Quod impedimentum si aliàs abesset, si merces ejectæ & Templum repurgatum esset, redderetur extemplò domicilium, in quo Deus habitare desiderat.

Q. Dic an Verbi prædicati tanta sit necessitas, ut auditores ob ejus neglectum incurrant in animadversionem? R. Quod ità sit, testantur dicta S. Scripturæ, imò sine prædicatione Verbi Dei

Voluntas divina nec ſciri poteſt nec expediri, hinc dicit Chriſtus: ſervus qvi Domini ſui Voluntatem ſcit & non facit eam, multis verberibus vapulabit. Juſſit etiam Apoſtolos exire è Civitatibus Verbum ſuſcipere tunc nolentibus: inſuper & oppidis Chorazim & Bethſaidæ acclamavit væ, eò quod viſis ſignis & auditis mediis non egerint pœnitentiam. Verùm non illis tantùm illata eſt maledictio, ſed etiam cunctis infertur perſonis, qvi vel contemnunt vel temerè obaudiunt Verbum Dei putantes ſufficere, quod Sanctuarium ſit inter eos, cùm hoc juvare nequeat eos, ſi ſancti non vivunt ipſi, ſed potiùs gratiam ejus negligunt. Maledictionem hanc timeant etiam, qvi Verbum Dei qvondam cum gaudio perceperunt, eatenus à mundo averſi, poſteà verò huic fundamento elapſi ſunt.

Luc. 12.

Q. Cùm hodiè ſit tanta turba eorum Chriſtianorum, qvi vel manifeſtè contradicunt, vel aliàs contrarii ſunt Verbo Dei, dignare, quæſo, in Claſſes eos diviſos parum deſcribere, ut noſcatur, qvid, quivè devitari debeant à fidelibus? R. Quoniam adverſa ea pars eſt planè ſimilis iis, qvi Chriſto erant contrarii, exiſtimo non eſſe abs re, ſi eos in ſimiles duas Claſſes diviſos taliter appellavero, qvaliter Chriſtus eos appellavit in Evangelio, cùm contrà duas Sectas querelam ducebat, nimirùm contrà Scribas & Phariſæos, qvi ſemper adverſabantur ejus atq; ſuorum doctrinæ.

Q. Quales erant tunc Scribæ & qvales ſunt nunc qvi eos ſeqvuntur digni qvos fugiamus? R. Erant docti & adhuc ſunt illi, qvi pollent ratione & qvi multam Scientiam ſibi per ſpecies & farraginem rerum comparârunt ope ſenſuum, de qvâ ſuperbè gloriantur, miriſq; modis & verbis ſublime qvod ſapiunt, extollunt.

Q. Quales erant Phariſæi? R. Erant, qvos Populus juxtà apparentiam pro Sanctis habebat, qvoniam externa eorum Opera erant exuperantisſima. Similes his ſunt, qvorum Exercitium conſiſtit inapparenter bonis externis Operibus, tùm & acerrimà ſui inſtituti propagatione, qvod reſtat, intus vivunt ſuis

Cu-

Cupiditatibus, peccatis & defectibus, qvibus nunqvam emoriuntur.

Q. Quonam signo dignoscuntur tales? R. Eo, qvod pleni sunt judicio, atq; rixosi ac præsumtuosi inveniuntur eò qvod cuncta facta proximi interpretantur vitiosè, id qvod surgit è fundo superbo, cujus plena sunt omnia, qvatenus pollent philavtiâ & resignatione carent. O pauperes homines, qvorum interest inspicere fundum suum, qvoniam utriusq; Classis præfatæ homines non sunt hi, qvorum beati sunt oculi; qvid qvod non vident verum fundum, prospiciunt tantùm extrorsum, interim verò sanctæ Ecclesiæ ingens damnum inferunt.

Q. Quandoquidem multi Verbum Dei audiunt, perpauci verò fructum indè capiunt, annon diversi hujus effectus diversa causa desumi potest à disparitate attentionis? R. Omninò: qvin nullus potest esse verbi fructus, qvod vel non auditum est vel non custoditum.

Q. In qvo consistit vera attentio? R. Attentionis veræ modus est, cùm homo ex proposito applicat animum ad verbum prædicatum studiosè stringendo sensus, qvo Verbum exactè percipiant, imò ut totus animus Verbum in se velut in Æternitatem rapiat, ideo fine recondendum, ut juxtà Regulam & mandatum Verbi vivat fructuosè.

Q. Si autem è memoriâ exciderit, qvid indè? R. Dummodò qvis habeat sincerum desiderium ergà Verbum, dubium non est, qvin etiam elapsum, sed amatum Verbum suum proferat Fructum in Æternitate.

Q. An Verbi perceptio ad solum effatum vel scriptum Verbum, an etiam ad supersubstantiale Verbum referri potest? R. Procul dubio ad utrumq;.

Q. Cùm Deus semel effatus sit Verbum suum in seipso ab æterno, qvaliter potest æterna Verbi prolatio referri ad perceptionem humanam sic, ut liceat dicere: Verbum increatum & dici & audiri in Spiritu hominis? R. Modus relationis non potest Verbis exprimi, qvia obscurus: id tamen dici potest (si

qvis capiat) Deum gignere Verbum suum ab æterno in æternum in seipso, deindè dicere Deum etiam Verbum suum in qvâvis purâ Animâ, ut audiat & conservet illud. Habet ergò homo qvoad Spiritum cognationem quandam & accessum ad Verbum (λόγον) & Anima tàm est propinqva Deo qvoad fundum suum in silentio secreto, ut sensus hominis id comprehendere neqveant.

Q. Cùm ipsum Verbum hoc non sit vocale sed substantiale, adeoq; & prolatio ejus non vocalis sed essentialis, qvomodò potest percipi id qvod est incomprehensibile? R. Ut Mentis auris non est organica (sensualis) ità & auditio non est talis: habet autem perceptio mentalis qvandam relationem ad Verbum æternum dictum, sic ut suo modo sit illa, suo istud, nec tamen à verbo vel literâ characteristicâ aptè exprimatur, ut nec à sensu communi rectè capiatur. Tantò clarius autem in mente intelligitur Verbum, qvanto magis auscultat, plusvè minusvè unitum cum Verbo permanet fundum. Aliàs valdè secretum latet in mentis fundo, sic ut vix aliqvandò se potestatibus ejus communicet.

Q. Siccinè potestates Mentis constitutivæ carere possunt eo, qvo tota Essentia fruitur? R. Ità quidem tali bono fruitur mens tanquàm in intimo suo, ut potestates ejus exertæ seu aliò conversæ id non observent. Utut autem verbum latet secretum in Mentis fundo, tangit tamen præter expectationem per vices etiam potestates.

Q. Quid si Voluntas adverterit Verbum? R. Quamprimùm id fit, succutitur ea potestas in momento timidè hinc annuens & velut dicens: volo; tametsi ignoret, quid sit, qvid faciat. Intereà & ipse intellectus observat idem.

Q. Quid si Intellectus percepit Verbum, num otiosus hæret in admiratione? R. Neutiquàm: nam Voluntatem confestim allicit, quà ductum ejus seqvatur simpliciter: hactenus informat hic arbitrium, quid velle quid nolle deceat, ut bonum quod faciendum est, fiat, malum verò quod intermittendum est, linquatur

quatur promovente ad id igne desiderii. Istæ sunt Mentis auriculæ, per quas infertur verbum adusq; ipsas sensitivæ facultates & sensûs.

Q. Annon ad concupiscibilem ac irascibilem Vim pertingit Verbum hoc? R. Imò præfato modo penetrat ad imos hominis limites.

Q. Ecqvid prædicat hoc Verbum facultati concupiscibili? R. Docet eam nuditatem & temperantiam: nuditatem quidem, hoc est, Creaturarum omniũ quæ impediunt, qvo minus homo ad Deum perveniat, carentiam tàm in naturâ quàm Spiritu. Temperantiam verò in cunctis iis rebus, qvibus natura pro necessitatis exigentiâ sustentanda est, ne excedatur in modo satietatis.

Q. Quid autem irascibili? R. Patientiam & mansuetudinem veram: hæ namq; Virtutes præcellunt aliis, quia per eas potissimùm homines evadunt similes Deo & Angelis.

Q. Quodsi homo se exploratum habeat de secretâ Verbi æterni perceptione internâ, num scilicet ea sit facta necnè, quid utilitatis resultat indè? R. Taliter exactè intelligit homo an sit ex Deo: qui enim ex Deo est, audit Verbum, qui non ex Deo est, non audit. Ex eo autem, quod multi quotidiè audiunt prædicatum Verbum Dei, & tamen non sunt ex Deo, constat, eos non audire Verbum æternum internâ aure mentis, sequitur etiam, eos qui sunt ex Deo, audire hoc, quamvis literale Verbum audiant rarius.

Q. Dic in quo debet homo observare seipsum? R. In hoc, ut cognoscat, undè sit & quò pertineat: hoc enim negotio occupatum esse antè omnia decet vel ideò, quod bonum indè redundans est omnium optimum, quia æternum. Undè autem est vel esse debet homo, eo etiam pertinet, & vicissim.

Q. Undè autem habet homo, quod eò pertineat? R. A Deo est factus per modum Creationis, ex Deo esse debet quoad regenerationem: ad Deum ergò pertinet, qui est ex Deo.

Q. Annon & potest homo ex Deo esse modo quodam alio?

 R. Po-

R. Poteſt, nimirum quoad electionem, quoad adhæſionem & quoad receptionem Verbi æterni divinâ prolatione in eo geniti.

Q. Quid dicit Scriptura de iis, qui ſunt ex Deo nati? R. Salvator ipſe dicit: qui ex Deo eſt, audit Verbum Dei. Eſt ergò perceptio Verbi divini obſervantia hominis neceſſariiſſima, tanquàm in quo teſtante Scripturâ & Spiritus & Vita, Vita æterna reperitur. Inutiles igitur ſunt tùm ſibi tùm aliis, qui negligunt Verbum hoc, qui non ſeipſos probant, undè & cujus ſint, quò pertineant, quæ ſit eorum obligatio. Generica Verbi perceptio includit in ſe non ſolam auditionem, ſed etiam intellectum & obſervantiam.

Q. Cùm Verbum Dei in ſuâ latitudine non unum ſed varium ſit, dic, quò reduci poteſt in Univerſum omne Verbum Dei? R. Omne Verbum Dei mandatorium jubet 1. deſiderare Deum cœleſtis Patris Authorem, imò & beatitudinem ipſam. 2. propellere concupiſcentias Carnis. 3. avertere ſe à mundo totaliter. Juxtà hunc ſenſum omne Verbum Dei audiendum, ſcrutandum & cuſtodiendum eſt: qvisquis hoc Verbum Dei audit, probet ſeipſum, num juxtà præfatum modum audivit Verbum Dei.

Q. Dic nunc, qualiter ſe homo gerere debeat, ut percipiat & intelligat Verbum ſecretum? R. Duplici modo ſe gerat oportet, nimirùm juxtà duplicem Verbi enixum. Priori modo vigilet inceſſanter purgatâ mente, ut ſi quà Verbum dicatur in eâ, non obaudiatur. Enimverò quantumvis nemo fidelium de plenariâ ſui fundi præparatione gloriari vel poteſt vel debet, nihilominus tamen oportet ut poteſtates ejus qui ſeipſum pro virili præparavit, ſenſusq; ſuos jam ſine ambitione edomitas ſentit, in unum congregentur & extollantur, ſic fiet, ut motu concitato rapiantur quoq; ſenſus ac potentiæ jam facilè ſeqventes: hoc ipſum ſeqvetur inſpectio per tranſennam in æternitatem, in quâ nec locus nec tempus nec modus obſervatur. Hoc verbum non audit, non intelligit, niſi qui id in mente ſuâ recipit. Poſteriori modo expedit, ut ſenſus & facultates exercitatæ ſe habeant

paſſi-

passivè, quò Verbum quod illis prædicat, recipiatur Corde, quod est submissum cunctis adversitatibus, judiciis ac permissionibus Dei.

Q. An ergò profuturum est aliqvid, si homo (uti freqventer fit) seipsum onerat absq; discretione, sic ut viribus impar cogatur cedere oneri? R. Neqvicqvam prodest, cui adversa ratio est. Expediret autem cunctis Cervicem inclinare ad suscipiendum Dei onus sivè mediatè sivè immediatè immittatur, & si qvis nondum habet qvod toleret, expediet se tantùm committere Deo & parumper expectare: sic namq; dubium non est, qvin nimis citò, confertim & graviter irruant onera, modo penè excessivo, qvorum præ gravitate non cupiet quæsita. Multum autem proderit, si patienter ferantur, qvæ præter Spem obveniunt, siq; qvæ jam gravant, offerantur Deo cum gratiarum actione.

Q. Quid est Verbum sivè Alloqvium divinum in homine? R. Est superabundans gratia, qvam Deus homini qvi modo præfato mortificatus est, infundit atq; per eam efficit, ut homo veraciter cognoscat, qvaliter Voluntatem divinam in Spiritu & Naturâ perficiat nil aliud volendo qvàm qvod vult Deus.

Q. Qualis est effectus unitæ hujus Voluntatis? R. Exurgit in eo Gaudium, cùm qvid adversi & laboriosi patitur, cùm sustinet opprobrium propter Nomen divinum, sicut & ex adverso graviter eum cruciat, qvicqvid impedimenti uspiam potest eum à Deo avertere. In tali homine impletur Verbum propheticum: audiam qvid Deus in me loquatur, qvoniam loquetur pacem super Populum suum & super eos, qvi ex Corde conversi sunt. Hîc namq; immersus esse debet in abyssum excellsæ Deitatis, ubi incessanter mira nova invenit contemplanda.

Ps. 84.

Q. Quodsi qvis ad hanc sublimem perfectionem pervenit, qvid, qvæso, est faciendum? R. Cùm qvis eò pervenerit, sileat, quiescat, & amando contempletur Deum in simplici ejus essentia, tunc enim Deus vult eum ducere in Civitatem cœlestis Hierusalem, ubi vera Pax est & Reqvies æterna.

Q. Sic-

Q. Siccinè quies, de qvâ Verba fecisti, non est temporalis, sed æterna, qvam intercedere debet Vitæ privatio? R. Imò quamdiu Mens est inclusa carceri mortalis Corporis, non potest verè pertingere ad plenariam quietem & ad perfectam Pacem, prout S. Paulus dicit: Hic videmus per Speculum in ænigmate, tunc autem de Facie ad Faciem. Enimverò Cognitio, qvam de Deo in hâc Vitâ habemus, exigua valdè est; ast postqvàm statuti erimus in Conspectum Dei, ubi SS. Trinitas nobis manifestabitur in effectu & Charitas inardescet & Deus videbitur ac laudabitur sine Fine, tunc mira nova, Lætitia sine Tristitia, & Quies sine Labore erit.

1. Corinth. 13.

Q. Estnè opus aliquo medio concausante, ut Verbum Dei loquatur in nobis? R. Minimè: Alloquium Dei suavissimum tàm nobis semper est propinqvum, familiare & continuum intus in nostro fundo, ut nec Cogitationes nec ipsa tota Natura sint æq; propè, nihilominus non intelligit homo, qvia nec audit.

Q. Undè venit, quod homo non audiat, quod vel unicè audire debet? R. A venenato alloqvio Diaboli, cui auscultavit homo, surda fit anima ejus, hinc de interiori suo necqvicqvam potest explicare, nec modum vel statum suum cognoscit, qvaliter cum eo comparatum est.

Q. Qualis est instinctus sivè Verbum id, cui aurem præbet homo incautus? R. Est omnis mala Vitæ ordinatio, sivè sit Amor sivè Respectus creaturarum caducarum, puta vel mundi ejusq; adhærentium, vel bonorum, honoris, amicorum, familiarium, ipsius Naturæ, vel affectionis persuasæ &c hæc omnia inspirat Diabolus homini, eumq; in finem semper proximus ei à latere est observando inclinationem ejus sivè ad bonum sivè ad malum, idq; tàm intus qvàm extus.

Q. Cùm Diabolus non solùm comitetur, verùm etiam benè cognoscat hominem, qvid facit, cùm observat inclinationem ad Vitam irregularem? R. Malignus Spiritus tunc sine morâ imiscet se tentando hominem eo ipso & persuadendo, ad qvod incli-

inclinat, hinc nequit fieri, qvin indè conceptæ Ideæ obturent mentis aurem, qvominus qveat audiri Verbum æternum.

Q. Estnè diabolica tentatio superabilis necnè? R. Potest qvidem facilè superari dummodò homo subitò suæ mentis aurem avertat. Ast cùm potius fiat, qvod arrectis auribus auscultet dubius, an eò se vertat an avertat, jam est propemodum victus & tunc tentationem gravissimam sustinet.

Q. Quodsi verò viriliter ac derepentè avertat aures mentis, qvid proderit homini? R. Tunc penè superavit tentationem & surditatem, qvin & hoc ipso acquirit unà potentiam audiendi Verbum Dei internum.

Q. De istâ Surditate dic' velim, an solùm occupet homines, qvos seculares vocant, an verò latenter simul & alios comprehendat? R. Occupat & alios sæpenumerò, eos qvi mundum deseruerunt qvidem, nihilominus obsessi sunt à Creaturis illis, qvarum Deus non est vera causa, amore & respectu suo ad eos converso. Cùm igitur Diabolus his æq; atq; aliis semper à latere sit, hinc statim ac observat eorum inclinationem, inspirat consimiles Ideas, qvibus auctis merguntur in mare tentationũ. Nonnullos reddit surdos appropriatio affectati, inventi modi & instituti, qvæ omnia cum sensibus externis sibi à Creaturis comparârunt. Hæc sunt marmorata seu Cerumina, à quibus auditui Mentis adfertur impedimentum, ne qvà Verbum æternum audiat aut ullo modo intelligat.

Q. Siccinè tollendo omnes devotas exercitationes, orationes, meditationes &c. tuam doctrinam culpabilem valdè reddis? R. Tu verò nunqvam desipere Cessas, qvi omnia, qvæ dico, sine discretione in phantasiam tantùm excipis ligatâ ratione. Annon tibi sæpè inculcavi dicendo, exercitia bona devota esse homini necessaria, sed eo fine, ut natura excitetur indè, Spiritus sursum elevetur, atq; sic homo velut blandimentis alliciatur ad inversionem sui, qvoniam inversio sine his modis fieri nequit, sed hæc omnia dixi esse simul cum discretione facienda & cum cautelâ, ne fiant cum appropriatione, nec qvasi id solùm sit

Scopus (terminus) ubi acquiescat. Enimverò ne qvis subsistat in Viæ principio, oportet progredi atq; affectum habere ad audiendum internum alloquium, hoc ipso non excluduntur, tantominus dissvadentur Exercitia præmemorata. De bonis enim hominibus hîc sermo est, qvi semper aspirant pervenire ad Vitam magis perfectam seu Dei formem: hi similes non debent esse ignavis illis, qvi toto Vitæ decursu nusqvam progredi cupiunt, qvin potius in solius externi sui modi protensione persistunt pertinaciter. Quocircà qvotiescunq; Deus vult Verbum suum inspirare, toties præ auribus eorum, qvod illabitur, obstat, qvo minus Dei Verbum audiatur. Tametsi autem id sit certissimum, nihilominus homo innumeris pené modis & mediis se totum offert, ut nil prætereà.

Q. Sufficitné ad audiendum internum Verbum sola mentalis auris à malignâ inspiratione aversio? R. Non sufficit, si sine charitate Dei sit, & ideò debet homo scrutari seipsum, num diligat Deum extoto corde necné.

Q. Undé potest homo dignoscere, num Deum diligat? R. Hoc signum tradit Gregorius consistere in eo, ut observet, quid faciat, cùm sollicitudo, tristitia, & passio exercet hominem undecunq; obveniat ea, intus quidem v. g. si adeò angitur, ut quò se vertat nesciat sine ullâ discretione, foris autem si tempestate passionum repenté obruitur. Quodsi tunc fundum ejus maneat imperturbatum, nec in defectus labatur Verborum absonorum vel factorum &c. non dubium est, quin Deum amet. Enimverò quisqvis amat Deum, habet pacem internam & complacentiam in Voluntate Dei, utut patiatur & lachrymetur homo externus. Qui verò se deprehendit id non habere, is Deum non amat, eoq; manet Surdaster, qvi veré non audit Verbum æternum.

Q. Cùm autem & reqviratur dilectio operativa, dic quo Signo internoscitur ea? R. Exin, si quis 1. exercet gratitudinem pro bono ingenti, quod Deus contulit ei & cunctis Creaturis in Cœlo & in Terrâ, pro incarnatione Verbi & pro omnibus donis,

quæ

quæ in humanum genus ab ipso derivant. 2. si habet Charitatem communem versus homines universos & singulos, qualiscunq; indolis sint. Talis enim est modus charitatis actualis, non autem ut quis seipsum & suum amet dilectione propriâ. 3. si charitatem foris exhibeat quantum potest, donis, consilio, auxilio, sine subsidii sui jacturâ, qvoniam insufficientiam supplet bona Voluntas. Hæc sunt vera signa charitatis, quæ si habet homo, surdus non est.

Nunc est pergendum ad tertium adminiculum, quod ab initio dictum est assimilari posse Artificio, quatenus juxta quendam ordinem addisci debet uti ars quædam parva & hactenus vocatur Exercitium, quod vanum esset, si modo careret, & hic non esset nisi Cognitio ejus tradatur simul & earum rerum, circà quas ea sit occupatio. Tradita ergò est in præmissis cognitio rerum exercibilium, nunc autem tradendus est modus, quem quis in exercendo adhibere potest, ut laudabiliter ac tutò operetur atq; per hoc exercitium evadat in probum hominem, qui habilis sit præparari in Virum perfectum, videlicet spiritualem atq; divinum.

Cap. XIII.

De Exercitio Pietatis.

Q. Dic, quæso, quænam est Via, per quam homo ducitur ad veram pietatem? R. Est vera simplex humilitas, suiq; ipsius totalis abnegatio, in Spiritu & naturâ, ubiq;, ità ut de se suisq; Operibus nil teneat, cùm & nil ipse, sed si quid adest, non hominis sed Dei sit.

Q. Cùm sic eundum sit in fundum humilitatis, si quà beati sint nuncupandi Mentis oculi, quid testimonii affers è scripturâ? R. Matth. 1. tradidit Dominus noster electis suis regulam pro

informatione eorum, cùm dixit: discite à me, quia mitis sum, & humilis Corde. Hîc ergò venit notandum, mansvetudinem ac humilitatem esse sororias Virtutes, adeò sibi associas, ut si earum una sit in fundo, altera non possit abesse. Ejusmodi pusillis humilibus hominibus revelat Pater cœlestis res occultas, sublimes, secùs faciens Sapientibus hujus mundi, præ qvibus eas occultat: nam horum sunt Spiritûs prudentes, sublimes, qvi de ratione suâ, cui nimium fidunt, gloriam aucupantur; eorum numero accensentur etiam fortes ac generosi, qvi pollent facultate se vincendi in verbo & facto, hinc faciunt pro arbitratu suo opera bona, jejunant, vigilant, orant, aliaq; bona & utilia facta exercent, attamen in eo hallucinantur, ne videant ad salutem, qvod sua facta æstimant, alios verò, qui non similiter faciunt, in corde suo contemnunt.

Q. Dic qvid in solâ eâ exinanitione consistit? R. Per eam intelligenda est sola sincera, divina Veritas, in quâ abscondita latet æternæ beatitudinis qvidditas, qvia nuspiam aliàs

Q. Sed si in hoc humilitatis fundo absconditur vera Salus, dic, qvæso, etiam, ubi delitescat damnum sivè Salutis dispendium? R. In voluntate humanâ qværendum est damnum, ut quæ indubitatum subjectum seu fulcrum est impedimenti. Ipsa Voluntas humana obtegendo excæcat Mentis Oculum, sicut aliàs ungvis obtegit Corporis oculum, ne videat. Claritas oculi capax est recipiendi Coloris, sic oculus mentis reqviritur clarus, hoc est, omnis variegantis arbitratûs expers esse, si verè beatè velit contueri Species æternas, divinas. Variegata valdè est Voluntas mundanorum hominum, qvoad longè minus restricta est quàm devotorum, id qvod humana Compositio explanat. Cùm enim tripartiatur homo, videlicet in Corpus, animam & spiritum, quæ unum hominem constituunt; ità quoq; juxtà hæc variat Voluntas, & sunt diversimodi volendi.

Q. Dic ergò qualis Voluntas hîc locum habere queat? R. Nulla. Hoc indubitanter sic esse docet Exemplum Christi, qvi
Joh: 6. dicit: se non venisse ad faciendum suam, sed sui Patris Voluntatem.

tatem. Quamdiu homo ſuâ Voluntate adhuc utitur, caret beatitudine eâ, qvæ ſolùm ſita eſt in verâ reſignatione Voluntatis, hoc verò totum naſcitur ex fundo exinanitionis, ubi interit Voluntas humana.

Q. Qvid eſt Voluntas in ſenſu ſpirituali? R. Eſt columna, cui innititur qvævis mala ordinatio humanæ Vitæ, qvæ ſi totaliter poſſet dirui, ruerent ſimul ſuperſtructæ Cogitationes omnes, qvod ſic intelligendum eſt, quantò magis homo exinanit ſeipſum, tantò minus habet propriæ Voluntatis, ut qui ſemper eſt humilis in eo quod facit aut non facit.

Q. Cùm autem ſemper operandum ſit, dic qvis debeat omnium humanarum actionum finis eſſe? R. Solus Deus. Hoc indè cognoſcere potes, qvoniam toties homo obliviſcitur Deum, qvoties aliquid agit absq; reſpectu finis ejus, qvod Deus eſt, imò toties abnegatur Deus, qvoties homo ſibi alium ſuæ actionis finem præponit præter Deum, & hujus aſſerti ratio eſt, quod homo id, qvod Dei proprium eſt, violenter Deo eripit, ut Creaturis donet, tribuat, communicet, quaſi id ſuum, non Dei eſſet. Nonnè autem Chriſtus dixit: qvi me confitetur coram hominibus, confitebor & eum coràm Patre meo? Qviſquis ergò prædicto modo abnegat Deum, qvî poterit à Chriſto commendari Patri?

Q. Cùm etiam Confeſſio Dei ſit interna (ſpiritualis), quæritur, qvid vis per eam intellectum? R. Id, qvod ſolus is veraciter confitetur Deum, cujus virtutes vel cum naturâ vel ſuprà naturam introvertunt in fundum internum, qvapropter de taliter inverſis dicitur, qvod confitentur Deum per modum perceptionis, eſtq; futurum, ut, ſi Deum ibi repererint, vocenter Confeſſores confitentes Deum per modũ uſurpationis, hoc eſt, in Veritate. Poſſibile enim eſt ut Deum qvis tùm percipiat, tùm uſurpet in verâ & vivâ fide, ſic ut omne qvod indè tàm in ſcrinio mentis, Intellectu ſcilicet, Voluntate & Amore, qvàm in potentiis & ſenſibus, actione ſcilicet, paſſione, verbo, cogitatu, converſatione &c. prognaſcitur, nil aliud ſit qvàm vera Dei Confeſſio.

 Iſtius-

Istiusmodi Confessio exprimit verum præcitatorum Christi Verborum sensum.

Q. Ecqvid incumbit fideli tali Confessori porrò facere? R. Incumbit ei non solùm operari eo qvo dictum est, fine, sed etiam pugnare viriliter in Virtute Dei & in Morte Domini nostri, siqvidem injuncta nobis est à Christo prospectio & profectio, per qvam deducti ad perfectionem recipiamur in numerum electorum Dei Amicorum sub incremento virtutum. Errant ergò, qvi ultrà fidei Cognitionem sapere eoq; progredi nolunt, cùm tamen nôsse debuerant progressum hunc maximè fieri in fide nec extrà fidem dari. Ista namq; perfectio est fidei perfectio, qvam suis Ecclesiis injungit Apostolus; ast hæc perpaucis cognita est hodiè, undè fit manifestum, eos qvi de fide nimium gloriantur, aut nescire aut minus benè observare perfectionis hujus virtutem, hactenùs etiam nimis defectuosos reperiri. Totus fidei Cursus, omnisq; christiani Militia consistit in Conatu & Labore, ideoq; omnis exercitii spiritualis actio refertur ad operationem. Suum cuiq; parti opus est, Spiritui qvidem internum, Corpori externum, qvotiescunq; utraq; pars convenit in operando, toties cujuslibet opus rectè prædicatur de altero, quia de toto: totum autem sivè integrum hominem voluit Deus sanctum, sicut integer Christus fuit talis. Est ergò magna differentia inter homines communiter bonos, & inter verè bonos; hi namq; sunt integri & Heroës Christiani, illi verò segnes & nimium imperfecti: expediebat autem omnibus tendere ad perfectionem, qvia Dominus noster alloqvitur in Spiritu quemlibet sic velut dicens: si purus esse cupis, fac vivam in te, disce mori mecum. Nam cunctis his, qvorum Voluntas mea est, existo causa Salutis æternæ, gaudii Sanctorum & gloriæ S. Trinitatis. E qvibus Verbis desumendum est, qvid illis non sit Deus, qvibus est diversa Voluntas. In sacris Literis fit mentio adunationis, adhæsionis, & inhabitationis, eorumq; Vocabulorum relatio est ad Deum & hominem (omnem fidelem) qvasi dicas, in Unitatem reduci fideles, ut unum sint cum

Deo

Deo, utq; Deus in illis habitet. Sed de modo hujus reductionis & adunationis non æq; conſtat omnib⁹, quantumvis ejus exemplar habeant omnes in Vitâ Chriſti. Ideoq; qualiter hic modus deſcriptus ſit, eſt adjungendum hìc, juxtà qvem unusquisq, tanqvàm ad Lydium ſe probet, num ſit aptus ad recipiendum Inhabitationem Dei. Fidelis homo verè poteſt adunari Deo, ſi cunctis Creaturis relictis in humili obedientiâ, in omnium infimis Operibus Virtutis & contemtûs ſui ſit probè exercitatus, qvin etiam præparatus per afflictiones, paupertatem, ignominiam &c. taliter namq; fit aptus per gratiam Dei contemplandi ipſam Veritatem. Hic eſt modus, per qvem redditur homo ſimilis Imagini Chriſti, undè qvidem patet, hos omnes qvi humilia ea Opera, qvibus Imago Chriſti depingitur, deſpiciunt, contemnere hactenùs gratiam Dei, qvalitercunq; diſputent de gratiâ, non ſine Operibus, an cum iisdem impetretur: non enim Verba, ſed Opera probare Magiſtrum proverbio dicitur. Si Chriſti Opera contemplamur, qvaliter ſuis Diſcipulis humili animo pedes lavit, qvàm multa alia virtutum Opera peregit, occurrit cauſa exempli, qvo docemur præſtare in ſui ſeqvelâ id, cujus formam facto ſuo præſcripſit.

Quisquis poſtpoſito Spiritûs Opere ad ſenſus Corporis deflectit, tenetur tunc iterum ſe exercere in Virtutibus præteritis (inferioribus) juxtà exemplar Chriſti, ne unqvàm reperiatur otioſus in Bono: Verùm qvamprimùm Spiritus ejus ſe præparat ad puram contemplationem, poſtponat neceſſum eſt omnem externam obſervationem, qvò Spiritus liberè & in abſtracto contueatur Veritatem. Circà hanc Contemplationem poteſt multum errari & falſa Lux pro vera accipi. Quàm multi ſunt, qvorum cognitio & contemplatio non ex ipsâ Veritate, ſed è ſeipſis pronaſcitur? taliter autem errando Deum prophanant, qvia ſeipſos poſſident inventos, uti nonniſi ſeipſos aut qvandam Dei ſimilitudinem in ſummo Bono quærunt: iſta lux falſa eſt. Illis autem Lux vera tantùm lucet, qvi ſub Cognitione qvam habent, proficiunt, & progrediuntur in abnegatione

gatione sui puraq; Spiritûs humilitate: hi custodiuntur à Deo, ne sub eorum contemplatione à falsâ Luce decipiantur, quatenùs nonnisi ipsum Bonum & majestaticam ejus gloriam quærunt.

Q. Cùm Exercitium pietatis spectet totum Vitæ curriculum, eoq; in latitudine qvâdam consistat, non mihi videtur sine regulis posse absolvi, qvin potius extendi in absolutam & operativam disciplinam, qvæ hominis indefessi assiduum Studium reqvirit, proindè priusquàm plura doctrinalia expromantur ex eâ, dic, qvæso, annon reperiatur compendium, cujus respectus authenticus sit? R. Authoritas è libris hagiographis petenda est, atq; tradenda, compendium verò hujus artis invenitur in S. Petri e-
1. Petr. 5. pistolâ, in qvâ scriptum legimus quod seqvitur: Humiliamini subter potentem manum Dei, ut vos exaltet in tempore Visitationis: & cætera qvæ ibi seqvuntur.

Eccè qvàm per epistolam hanc S. Petrus doctrinam nobis revelat tradendo Compendium institutivum, in qvo perfectam Vitam & scientiam reperiat homo, juxtà qvam noscat & perficiat omne qvod ad operandum Salutem est necessarium.

Q. Dic qvid è præcitatis Apostoli Verbis est juxtà ordinem Colligendum? R. Exindè intelligendum datur, tria potissimum esse homini observatu & factu necessaria, ad qvæ directa sit omnis nostra exercitatio, Vita & Constitutio, sic ut exercitium sit nullum, si unum ex illis deficiat. Eorum quod primo loco ponitur & memoriæ firmiter mandari debet, est, qvod jubemur humiliare nos: hæc ipsa humiliatio est fundamentum, super qvod reliqvæ contignationes omnes humanæ domunculæ, hoc est, omnia opera ejus super ædificari debent, si quà fructuosa sint futura in conspectu Dei. Nam sine hoc fundamento si sit, ruunt omnia (tota structura) qvæ homo per totam suam Vitam fabricavit. Deindè qvod Secundo loco ponitur, est sincera charitas versus Deum & versus proximum. Tertium autem est in omnibus qvæ sunt agenda & aguntur, discretio perfecta. In tribus hiscè Statutis consistit perfectio verè probæ Vitæ.

Q. Un-

Q. Undè comparat sibi homo humilitatem? R. Non opus est circumspectione, undè sit conqvirenda; cùm Deus eximiam Virtutem humilitatis in nostram demiserit naturam propter id qvod sciebat eam esse nobis valdè necessariam. Hæc enim necessitas dabat causam, propter qvam Deus Virtutem hanc secretâ mediante Amicitiâ nobiscum copularet, nimirùm ut Deiformem eam Scintillam animæ qvodammodò cognosceremus, qvæ nobis longè proximior est & intimior qvàm qvod sentimus. Ea verò est nobis aliàs ignota & peregrina penitus, idq; solùm propter summam superbiam in Naturâ & Spiritu nostro hospitantem: indè amittit natura suam solitatem, sicq; malè ordinata materiam Virtutis hujus non invenit, qvia nec inquirit, qvæ aliàs bono sub ordine satis patens est. Nam si prostratâ superbiâ nobiscum solùm & semper diverteremus, non posset fieri, qvin eam materiam (causam) humilitatis inveniremus in homine tàm interno, qvàm externo.

Q. Nunqvid per signum qvoddam seu naturale seu adventitium datur cognoscenda ea de qvâ dicis materia? R. Imo utrumq; signum manifestum in promtu est, qvorum prius exhibet defectûs naturales, posterius defectus peccatorum. Convenit sic homini diligenter in se dispicere & explorare defectûs naturæ, quatenus hinc deprehendet, qvàm tenerescat ejus natura, qvot qvantisvè indigeat necessitatibus, qvæ nihilominus omnes in universum in eâ hiscunt ac depereunt. Neq; enim non constat nobis, qvàm omnium earum finis citò appropinquet, ità ut hic fluxus transeat in terminum universalem, de qvo dicitur, qvod, cùm est, non est, quia nihil est. Uti enim ex nihilo facti sumus, ità in idem redigimur nihil. Quisquis ergò hoc ipsum conspicit perspicacius, is sufficientem habet materiam (causam) ad veram humilitatem: turpis ergò excæcans superbia.

Q. Quid de posteriori signo, defectu scilicet peccaminoso habes? R. Si homo fundum suum diligenter exploraret, deprehenderet se semper proclivem esse ad peccandum, imò in Peccato

cato persistentem; & nisi misericors Dominus incessanter eum custodiret, non posset fieri, qvin semper maneret infirmus & ad lapsum in peccata mortalia pronissimus, idq; sicut sine fine est, ità qvoq; sine comprehensione.

Q. Dic quorsum ducat hic adventitius defectus? R. Ad mortem æternam, ut sine gratiâ in inferno habitet homo cum diabolis in æternum. Dubitetnè aliqvis nunc, an ipsa hujus, qvod verè sic futurum est, mali æterni perpensio non præbeat Caussam humiliandi se, annon ipsa natura velut digito monstret Virtutem humilitatis? Certum namq; est, si rectè nos ipsos scrutemur intus & foris, nil boni semper in nobis iri deprehensum, cujus intuitu vera humilitas per totam Vitam valdè necessaria est foris & intus.

Q. De humiliatione hoc loco satis, plura de eâ tradentur in Sectione qvartâ. Seqvitur nunc secunda Virtus sub exercitio observanda, qvæ est sincera Charitas versus Deum & Proximum, dic ergò, qvaliter homo habeat eam? R. Hanc Deus plantavit in ipsam naturam, hoc est, in partem Corporis mentalem & sensitivam, & indè amat homo naturatenùs. Humilitas non sic est implantata in hominem, estq; forinsecus adveniens. De charitate autem hoc dici potest, qvod sicut est impossibile vivere hominem sine Animâ; ità qvoq; est impossibile vivere eum absq; amore. Idcircò si homo consisteret in benè ordinatâ Naturâ, tantoperè non amaret seipsum qvàm Deum, longè minus Creaturas reliquas. O qvàm deploranda est pernicies, qvà homo præ nobilem suam proprietatem eousq; pervertendo temerè se à Creatore naturæ avertit converso amore ad Creaturas caducas. Sed de hâc materiâ alibi.

Q. De tertiâ Virtute, hoc est, discretione perfectâ dic qvid sentis? R. Provenit ista virtus à ratione, qvatenus homo est Creatura rationalis & prudens. Hinc (qvod probè notandum) omnes humanæ actiones (Opera) qvæ non ordinantur juxtà discretionis regulam, nil valent Deoq; gratæ non sunt, cujus intuitu injungit S. Petrus Sobrietatem & Vigilantiam, per quam effici-

efficitur, ut noſtra diſcretio ſobriè judicet, cunctaq; noſtra Opera gubernet, puta totam hominis Vitam, Verba, Victum, Potum, Somnum, Vigilias, Inceſſum, Poſitionem, ubiq; inter omnes homines, in cunctis modis, intus, extus oportet diſcretionem benè ordinare.

Q. Annon ex his concludere licet, hominem qvalitercunq; ſedulum non poſſe operari utiliter, nî artem operandi ſatis benè didicerit, adeoq; ſupponi certa qvædam artis media, ſine qvibus inutilis, utilis autem cum iisdem induſtria ſit? R. Omninò: nam ſi virtutum opera non inſunt naturali homini, imò ſi acquiſitæ virtutes non ſunt ſtabiles (immanentes) per ſe, non eſt diffitendum, requiri media ad virtutes conducentia easq; conſervantia. Ea verò media ſunt Opera qvædam externa è verâ & indubitatâ Fide promanantia, in qvibus velut principia (fundamenta) probæ ac parvæ hujus artis conſiſtunt, eaq; ſunt.

1. Oratio, nimirum ut homo Deum oret pro Collatione ſuæ gratiæ, ejus Orationis cauſam nôrit eſſe eam, qvia à ſeipſo tanqvàm à ſeipſo nil boni coràm Deo valentis poteſt operari.

2. Reſipiſcentia, videlicet, ut qvamprimùm in minimo peccaverit, convertat ſe ad Deum in ſummo dolore animi firmoq; Pœnitentiæ propoſito, & hujus operis cauſam nôrit eſſe eam, qvia iniqui Oratio non exauditur à Deo.

3. Gratitudo, nimirum ut grato animo perpendat Myſterium Redemtionis & Oblationis dominicæ, & hujus Operis cauſam nôrit eſſe eam, qvia per gratitudinis monimentum renovatur tàm noſter qvàm Dei Amor.

4. Deſiderium Communionis, nimirùm, ut qvotidiè cupiat uniri Domino per Sacramentum Evchariſtiæ ſpiritualiter, atq; ejus operis cauſam nôrit eſſe eam, qvia per ſpiritualem eam Sumtionem velut totâ mente & virtute itur obviam Amori Domini.

5. Perceptio Sacramenti Evchariſtiæ, nimirùm ut ſæpius eoq; benè præparatus accedat ad Menſam Domini ejusq; Operis nôrit

tet, nunqvàm perveniet discipulus ad artis Magisterium, si exercitium intermiserit, velut qvo mediante emendantur errores, siqvidem compertum est, artis dexteritatem promoveri â correctione errorum. Perqvàm utile ergò est exercitium in qvolibet artificio, maximè autem in proposito spirituali negotio: ibi per exercitium fit progressus ab externo ad internum, de Virtute in Virtutem tanqvàm per opulentum influxum, ità ut qvi antecedenter confusus vagabatur, nunc quasi manuductus procedat recto tramite. Qvemadmodum autem per Exercitium conqviritur habitus, qvi ad proportionem & expolitionem operis erat necessarius, ità & hujus loci est per exercitium se reddere habilem ad artis perfectionem, in quo exercitio diligenter observanda sunt seqventia tersoria, qvibus elaboratum opus nitidum ac perpolitum redditur.

1. est, ut aversus ab omni mundanâ cupidine revolvat sæpesæpius peccata & defectûs quoscunq;, eaq; confiteatur in humili pœnitentiâ: cui adhæret, ut ex toto Corde ad Deum conversus oret jugiter, carneq; castigatâ se occupet juxtà Virtutum ordinem, ne otiosum diabolus inveniat eum.

2. est, ut suâ sponte se offerat ad sustinendum omnis generis afflictiones sivè à Deo impositas, sivè ab hominibus causatas.

3. est, ut doctrinam, Vitam illibatam & passionem Domini animo suo imprimat, & in sequelâ incessanter Dominum amplexetur. Hæc sunt reqvisita exercitationis, quibus & artificium perficitur & ad ipsum Virtutum influxum Via præparatur, ità ut homo eò delatus possit seipsum amittere sine difficultate, emori sensibus & Voluntati suæ, Gloriam Dei qværere in tranqvillitate animi, & versus amicos & inimicos humilem se & obseqviosum præbere. Ecquid ergò prætexunt carnales impossibilitatem, qui nondum operari sciverunt, nondum scire voluerunt? Num Saltus à Carnis mollitie ad Spiritûs rigorem absq; periculo est? num est possibilis? Non est indemnis, imò nec possibilis, si absq; mediis conductivis sit, qvæ dum carnales obaudiunt, occlamant Christo, Sermonem Dei servare esse rem

dos & conatûs, à qvibus natura adeò destruatur, ut homo defunctâ Cupidine imposterum suas actiones omnes nonnisi in Veritate & humilitate peragat sub hominis antiqvi & novi examine. Examen hoc simul ac diversimodos conatûs præteriit homo mundanus, hinc ad agnitionem possibilitatis non pervenit. Nam qvalitercunq; sibi qvis complacet in opere externo, aut ritu observatu, parum tamen lucri reportat indè, qvoniam rudis & cæcus manet, qvamdiu animus, voluntas & sensus, tota scilicet natura ejus per exercitium rigidum non est conqvassata intus & extus, hoc est, qvoad Corpus & Spiritum. Siquidem talis homo, qvemadmodum justitiam & veritatem omnem falsæ suorum sensuum probæ subjicit, ità in suâ & aliorum afflictione labitur in jejunum judicium, id qvod nonnisi ab indomitæ suæ voluntatis arbitratu procedit, undè quoq; proditur, eum non cognoscere seipsum nec auscultare verbo Domini, qvod carpit præcoces Judices aliorum, propriæ trabis immemores. Examina cunctos eos, qvi qvidem S. Scripturam prætexunt, non tamen juxtà ejus doctrinam exercent disciplinam, reperies vera esse, qvæ modò prolata sunt, qvin si qvà carpseris prætextũ eorum, excipient te impatienter irâ & odio, exindè satis patebit eorum immunditia, turbida scilicet (mixta) Sensualitas, per quam Pax inter Deum & eos toties tollitur, qvoties qvis Voluntati eorum adversatur. Adeoq; cùm suæ proprietatis parum deponant per totum Vitæ curriculum, mirum non est, qvod ad limpidum Veritatis fontem, hoc est, ad fundamentum virtutum nunqvam perveniunt, tametsi Deus post actum Pœnitentiæ suam pacem eis reddiderit. Nam deest talibus id qvod possident illuminati & humiles, hoc est, abnegatio suiipsius & subjectio universalis: ab illuminatis autem requiritur, non obstante, qvod à principio ad longiora tempora variis lapsibus & defectibus subjecti & onerati fuerunt, idq; sic permittente Deo pro ratione majoris commodi, qvicqvid tamen sit culpabilis actûs, quamprimùm in suum fundamentũ revertuntur, ut confestim appareant cordiales, clementes, patientes, atq; Deo fidentes,
eaq;

eaq; propter tantò magis resistunt peccato, qvantò profundius se mergunt in amorem effectricem humilitatis & patientiæ. Hîc discat mundanus qvàm sit proficuum hucusq; pertendisse etiam qvàm longè antè perfectionem, hoc est, adhuc in statu vicissitudinis. Quamprimùm enim homo taliter est constitutus, infundit ei S. Spiritus Sapientiam gratissimi Saporis, qvi in Apocalypsi per degustati libri dulcedinem significatur, hâc mediante conducuntur in Veritatem perfectam, in qvâ sustentantur, donec edocti sint, qualiter se tàm versus Deum, qvàm ergà seipsum & ergà Creaturas bonas ac malas gerere oporteat. Tunc, dixi, infunditur Sapientia, non citius, quicquid etiam Sapientiæ sivè Spiritûs Dei sibi plebs insipiens promiserit. Novi hominem humilitatis studiosum, qvi, tametsi humilitas in Corde ejus nondum tàm firmas jecerit radices, eousq; tamen pervenerat, ut nec mundanæ gloriæ spes nec metus afflictionis animum ejus tantum immutaret, ut potius, qvamprimùm cogitatus ambitionis animum perreptabat, suæ memor exiguitatis cogitatum suppresserit & quotiescunq; volebat, victor mundanæ gloriæ permanserit. Sed tu, qvi præ ambitione turges, dices: hoc non fuisse hominis opus, sed gratiæ divinæ. Omninò verum dicis: nam cùm sincerè pro Veritate militabat, pugnabat Deus pro eo, sic sartus tectus manens deponebat seipsum in statum humilem, qvapropter nemo valuit prosternere eum. Sed tu ambitiose, cur non eandem habes gratiam? Cur potius ostium Cordis tui non aperis gratiæ foris stanti & pulsanti? Qvod Deus dedit uni, promisit alteri. Sed quid dicendum erit de hominibus vere & perfectè humilibus? Hi namq; avertunt animum à peccato, cupidine & pravâ inclinatione, resistunt defectibus, Vitam suam præparant ad exitum, propterea variis, iisq; majoribus sæpè tentationibus subducunt se, non metuentes casum, qvia jam jacent in fundo firmitatis, & qvicqvid deniq; motûs subeunt, id non in lapsum sed in erectionem cedit. Hoc loco discant tepidi cognoscere diversitatem, qvæ est inter illuminatum & prophanum, inter servientem & non servientem Deo. Hic enim sensibus

frænum

frænum laxat, ut Creaturis utatur liberè juxtà suam concupiscentiam: ille vicissim frænum stringit, cavendo summoperè, ne sensus liberè vagentur unqvam, præterqvàm in occasione gloriam Dei concernente. Per hoc artificium (in præcautione situm) avertunt facilè occasiones peccati tanqvàm fideles Custodes, & hactenùs merent gaudere titulo victoris. Deindè sicut profanus est in oratione frigidus, manetq; dehinc immundus ac sordidus, ità vicissim illuminatus exercet se probè in flagranti oratione, per eam sordes & qüisqvilias abluit, taliq; modo victor evadit fœdorum peccatorum. Est enim magna differentia in oratione, siqvidem qvæ exauditur, est fructuosa, qvæ non exauditur oratio vana est. Non exauditur oratio, cùm orante linguâ Cor speciebus adhæret. Nam cùm natura (qvidditas) orationis sit elevatio animi sursum ad Dominum, sicut dicit David: ad te, Domine, animam meam elevo, seqvitur id Ps. 25.
omne, qvod non est Cordis ad Deum elevatio, non esse orationem, hinc nec proficuam: reqviritur ergò oratio flagrans, qvæ instar flammæ sublime petit, animum hactenùs purificans & liberans. Deniq; sicut profanus mundanis negotiis deditus est, ità è contrà illuminatus seqvestratâ hâc mundi sarcinâ introvertit in passionem Domini, fortiq; impressione suum Spiritum Christo adunat: qvod ipsum dum fit, suffocantur fœdæ cogitationes & cupidines, sic homo potest esse victor peccati, qvotiescunq; relicto mundo evolat in Spiritu ad Dominum. Hîc judicet profanus, num homo possit servire duobus Dominis, peccato scilicet & Deo. Dicat, oportet, hominem, mente ad Dominum abstractâ, tunc non peccare, hominem autem peccantem tunc non ad Dominum conversum esse, ex hoc autem sequi, hominem posse peccare & non peccare, eamq; diversitatem consistere in Voluntate, tempore & occasione hominis potestati subjectis. Nam sicut homini datur occasio ad peccatum, ità qvoq; datur occasio ad peccati fugam, & hîc interest arbitrium & æqua potestas. Est autem in Scholâ humilis resignationis discendum, & excolendum hoc, ut Discipuli sibi in omnibus de-

Digitized by Google

ſiderabilibus & ſpiritualibus rebus emoriantur, comprimis omnibus vitiis & peccatis, tùm etiam, ut ſibi proſpiciant, ne quà ſeipſos in gratiâ & donis Dei ullo modo quærant aut reſpiciant. Hiscè Verbis comprehenditur totum chriſtianum artificium. utut difficile ſit; idcircò curandum eſt unicuiq;, ut artem qvàm probè addiſcat, ſiqvidem per eam redditur Artifex vivus & vivens in nudâ ac eſſentiali Dei charitate, nec opus habet ultrò qvicqvam à qvoqvam ſciſcitandi. In eo qvippè conſiſtit Dei Voluntas, qvà vult, ut homo ab externo irruente munitus Spiritum ſuum ſervet mundum & vacuum ſub obſervantiâ providâq; ſuorum operum diſcretione.

Q. Quodſi hoc artificium licet explicare per modum ſcholaſtici exercitii, lubet à te audire, qvid hîc notandum ſit? R. Ad Scholam hanc, quæ S. Spiritûs vocatur, deſtinantur omnes Chriſtiani, ideò, ut qvod diſcendum eſt diſcant, & ut ibi veram pacem in cunctis rebus inveniant. Schola ſpiritualis eſt paterna Dei Voluntas, Præceptor Spiritus S., codex magiſtralis eſt Salvator noſter Dominus. Hæc benedicta Schola prævalet cunctis aliis mortalibus ſivè mortuis Scholis, velut in qvâ magna & mira cottidie docentur. In eâ reperitur ſemper Magiſter fidelis, codex quoq; nunquàm ibi clauditur: proindè tenemur eam Scholam frequentare, utpotè omnium perfectiſſimam, quà melior non datur. Verùm quisquis diſcipulorum ſe huic Magiſtro ſubjectum concrediderit, is vacuus ſupponitur & omniũ Creaturarum liber, ut lectionem ſuam quotidianam quæ una eſt ac eadem, eò melius capere queat. Lectio autem è codice benedicto deſumta hæc eſt, ut ſtudioſus homo æquanimiter perſiſtat in reſignatione Voluntatis ſuæ, in oblatione omnium rerum, facultatum, ſubſtantiæ, poſſeſſionis, carentiæ atq; modorum, id qvod alio ſenſu ſic reddi poteſt, nimirum, ut ſtudioſus homo nil velit, nilq; deſideret, reſpiciat aut optet in omni ſuâ virtute, potentiâ, actione & paſſione corporali aut ſpirituali, in Vitâ & Morte præter ſolam Magiſtri Voluntatem, ſic qvidem abſq; electione hujus vel illius, loci, temporis aut modi, id eſt, im-

impermutabiliter atq; immotè. Hæc ſola Magiſtri noſtri Voluntas in nobis vivere, taliterq; perfici ac impleri debet per Vitam & poſt Mortem: idcircò debet animus ſolùm in eam intendere & omnem reſpectum eò impendere, nil aliud. Hoc unicum diſcendum eſt, qvia & facilè capiendum: brevis Lectio, cujus Explicatio longa & difficulter practicabilis. Quodſi codex Chriſtus eſt, jam nôſti, qvid ipſa Lectio ſit; proindè ſola hæc Schola commendatur Chriſtiano, qvi Viá breviſſimâ cupit ambulare, utpotè qvod propinquior, tutior, rectior & celſior non datur hâc ipsâ ſanctâ Scholâ.

Qui eò perveniunt, evadunt docti atq; docentur, qualiter eorum cogitationes, ſermones & actiones, cùm à Deo rectæ ſunt, perplaceant Deo, ſicut ſcriptum eſt: non docebit unusqvisq; proximum ſuum, ſed erunt omnes docti à Domino.

Q. Qvotidiana hæc lectio ſivè ars parva cùm ſit quaſi compendium totius artificii (exercitii) annon reqviritur ut ſuis conſtet principiis ſeu fundamentis, qvæ nobis ſint qvaſi regulæ, à quibus conſtituatur rerum ordo, hæc autem tu nondum deſignâſti? R. In ſuperioribus ſeriatim aſſignavi rudimenta hujus diſciplinæ ſub titulo 6. mediorum, hæc ſunt principia, qvæ in Scholâ S. Spiritûs traduntur & in libellum parvum ſeu lectionem quotidianam digeſta ſunt. Nominata enim ibidem fuerunt 1. Oratio, 2. Pœnitentia 3, Gratitudo 4. Deſiderium communionis 5 Uſus Sacramenti 6. Verbi divini Uſurpatio. De iisdem quoq; ſingillatim tractavi in præcedentibus Capitibus, exceptis duobus, gratitudine ſcilicet & deſiderio communionis, de qvibus, ſi tibi placet, hîc etiam annectere volo, qvantum neceſſitas & utilitas exigit.

Q. Eugè de deſiderio communionis deſidero antè omnia tuam explicationem, cùm qvidem noſcam Uſum Sacramenti eſſe valdè neceſſarium, aſt de deſiderii medio parum adhuc mihi conſtat? R. Sacramentum Corporis & Sangvinis dominici ſæpè ſumere eſt omnium tutisſima ac nobiliſſima exercitatio, ad acquirendam adunationem ſummi Boni, verùm quam ſanctam

Vitam duxerint homines, unus tamen præ alio longè sanctior efficitur mediante freqventiori Usu Sacramenti. Attamen hîc probè observandum est, salutarem hunc fructum non capi à solâ externâ sumtione, sed potissimum ab internâ, qvæ est animi desideriosi & devoti, quâ sine indigni sumunt Sacramentum absq; fructu. Et hoc respectu meminit Scriptura duplicis modi sumendi, sacramentalis scilicet & spiritualis. Modo sacramentali percipitur Evcharistia ab indignis & dignis, spirituali verò solùm à dignis; imò & spiritualis supplet defectum sacramentalis in Casu necessitatis, ut cùm Sacramentum Evcharistiæ juxtà ritum Ecclesiæ obtineri neqvit, potest tamen modo spirituali à devoto & cupido intus sumi noctu ac interdiu in statu Sanitatis & infirmitatis, qvotiescunq; vult homo. Taliter quidem voluit Dominus subvenire cunctis defectibus, ut gratia ejus exuberet. Extrà Casum necessitatis tenetur homo accedere ad sacramentalem communionem juxtà ordinem Ecclesiæ & juxtà desiderium hominis. Imò tametsi desiderium non adeò magnum esset, non tamen desistendum est, sed potius accedendum eo desiderio, qvod homini est juxtà capacitatem & juxtà conatum suum: nam Deum seqvi Sanctitas, conseqvi autem beatitudo est. Ne autem incurius homo per accidens eoq; indignè accedat, cognoscendum est qvaliter debeat esse præparatus, ut juxtà Capacitatem suam desideret, dignusq; inveniatur hactenùs. Primò namque reqviritur, ut homo abjecerit suam proprietatem, hoc est, peccatum. 2. Ut desideret ea qvæ sua non sunt, hoc est, gratiam & virtutem. 3. Ut omnia, qvæ Deus in eo operatur, placidè suscipiat. Quicunque sic præparatus est, est satis aptus ad sumendum Evcharistiam. Multi homines differunt Usum Sacramenti, cùm se idoneè præparatos nondum inveniunt, & tamen ipsi necdum noscunt, qvaliter & qvandò fiant satis idonei, imò vix unqvàm sic præparari possunt, uti decet; deniq; cùm putant se esse præparatos, sunt adhuc verè inepti. Idcircò cùm non sint idoneè præparati, expedit nôsse, num possint accedere ad mensam Domini necnè? Præstat qvidem

qvidem ſatis idoneum eſſe, ſanctum & devotum ; Cùm autem id non omnibus datum ſit, præſtat intereſſe S. Communioni, qvàm emanere. Quapropter non usquè adeò præſtoletur fidelis, donec ſufficientem devotionem in ſe ſentiat, ſed ſcrutetur animi ſui Diſpoſitionem, Intentionem, Voluntatem & Amorem, & qvàm magnus in eo ſit Dei reſpectus, nam è perveſtigatione ſui poteſt dignoſcere, qvàm procul receſſerit, aut qvàm propè acceſſerit ad Deum. Remotus à Deo Peccator eſt, propinqvus autem Deo eſt pœnitens humilis ac ſincerus, nimirum, cujus Conſcientia pura eſt & à Peccatis purgata per pœnitentiam & abſolutionem, cujus Voluntas integrè ad Deum converſa eſt, cujus deſiderium ſolùm fertur ad gratiam Dei, cujus Cor abnegavit omnem injuſtitiam. Hæc præparatio ſufficiens eſt unicuiq; fideli ad S. Cœnam accedere cupienti, eâ ſuppoſitâ qvò ſæpius acceſſerit, eò melius erit. Neceſſum tamen eſt ſe probet, num incrementum amoris atq; reſpectûs Dei ex uſu Sacramenti in ſe ſentiat, prout etiam, an timor filialis in eo perſiſtat ſub Sacramenti uſu freqventiori; id namq; indicium bonum eſt, ſecùs autem ſi amor & reſpectus Dei remittit, timorq; filialis perit, eſt malum Signum, qvia indicium vilipenſi per aſſuetudinem Sacramenti. Timorem hunc retinet homo circumſpectus, qvi toties, qvoties Evchariſtiam percipit, diligenter conſiderat, qvàm magnus ſit æternus gloriæ Rex, qvem accipit, viciſſim qvoq;, qvàm vilis & indignus ſit ipſe peccator Deum recipiens, & ideò freqventior uſus Sacramenti non minuit, ſed auget timorem, qvia multiplicat conſiderationem.

Eum ergò, qvi à cunctis defectibus & peccatis liberari, viciſſim autem gratiâ & virtutibus ornari, imò ad fontem ſuæ originis remeare cupit, decet ità vivere, ut Sacramentum Evchariſtiæ ſæpè ac dignè ſumere queat: taliter namq; intus unitur Deo intimè absq; ullo medio diſcriminante, tametſi eam non ſentiat Unionem.

Q. Quid ſi imaginaria eſt Adunatio, cujus non eſt Senſatio? R. Ideò hæc adunatio eſt Res fidei, qvia non eſt Senſationis objectum,

ctum, nec est imaginaria, qvia transcendit ipsum intellectum. credendum est, qvod Verbum Domini est, siqvidem id qvod nullo modo percipi potest, si tamen creditur, summoperè perficit fidem, augetq; ejus meritum; sed exin videmus, qvàm debilis sit nostra Fides, cùm id qvod non sentimus, forti Fide non apprehendimus.

Q. Cùm hoc perfectionis opus sit, qvî potest id homo obtinere, obtentum aut obtinendum credere, cùm imperfectus sit, defectuosus atq; nonnisi ad peccata pronus? R. Hîc multi impingunt, qvi adeò offenduntur à fragilitate naturæ, ut nec spiritui qvicqvam perfectionis concedere velint hactenùs, cùm tamen duplicem hominis statum supernarum scilicet & infernarum virium seorsim probè considerare decebat, qvalis & in ipso Domino nostro deprehensus fuit, cujus animus possidebat Beatitudinem, Corpore interim cum suis sensibus temporali passioni subjectis, id qvidem omne sine perturbatione statuum. Nos Christum ut in omnibus, ità maximè in hoc imitari decet, nimirùm ut animi virtutes in Deum transfundantur, Corpori verò & sensibus passiones committantur, ceu qvibus solùm Sensatio corporalis, Frigus, Ustio, Fames, Sitis, Ærumna & Passio, prospera quælibet & adversa competunt, non item mentis objecta, qvæ nec imaginari nec sentire possumus, adeoq; sine Corporis curâ convenit animo vi potestatum suarum ad Deum se extollere & temporis exsorti in æternitatem tranare. Perfectus & simplex sit animus in Corpore imperfecto, quia composito; sic naturæ naturæ debitum, Deo verò redditur cœleste talentum. Et quatenùs id vix unquàm sine pugnâ in nobis fieri potest, noscendum est, Victoriam esse tantò majorem, qvantò intensior est pugna, virtutem quoq; esse victori tantò excellentiorem qvantò major impetus est vitii. Quicunq; ergò Dominum nostrum in Sacramento dignè cupit percipere, is debet esse sollicitus de obtinendâ victoriâ, hinc se scrutari tenetur, qvaliter sint ejus potestates, Voluntas, Amor & intellectus in Deo ordinatæ, an in Fide, Fiduciâ & Constantiâ. Si

sic

ſic, indubium eſt, eum ſingulis vicibus majorem gratiam ex uſu Sacramenti haurire, id qvod manifeſtam dat rationem frequentis uſûs Sacramenti.

Q. Ad rem autem redeundo, compertum eſt eſſe alios homines, qvi puritatem conſcientiæ non habent, inſuper & frigidi ſunt, ad lapſum proni, pigri, devotione ac deſiderio carentes, qværitur hinc, num Uſus Evchariſtiæ ſit jis admittendus necne? R. Imò tales homines vel maximè indigent Sacramento, ut convertantur, ſiqvidem in cœleſti hoc dono auxilium divinum, amor, ſanctitas & omnium qvorum homo indiget, copia invenitur, idcircò ſi homo hæc omnia ardenter deſiderat, accedat absq; morâ ad Sacramentum, in qvo gratia qvàm propriiſſimè percipitur, qvoniam futurum eſt, ut per efficaciam præſentis Domini noſtri diſperſæ potentiæ animæ colligantur, & ruens homo ſuſtineatur & erigatur. Qvid quod cœleſtis ille panis eſt Manna reficiens, imò & appetitum concitans ad dona Virtutum cœleſtia, eſt etiam id Dei habitaculum, undè homo ſui renovationem acqvirit. Eccè fructum Sacramenti, qvi conſiſtit in hoc, qvod cum corde & corpore Domini unum ſumus & taliter in Deum immutamur. Qvisquis ergò plenus eſt peccati & miſeriæ, percutiat pectus ſuum in ſignum humilis confeſſionis, abrenunciet ſuæ Voluntati, accedat ad Sacramentum, ſuumq; corpus & animam, hoc eſt, Voluntatem, amorem, intentionem, cunctosq; ſensûs Deo ſuo offerat; ſic enim in cunctis ſuis Viribus perſentiet divinum auxilium. Paulò antè facta eſt mentio de fructû hujus Sacramenti, cujus reſpectu fideli properandum eſt ad uſum Sacramenti, & dictum eſt, fructum hunc eſſe communionem Dei & hominis. Hic fructus continet in ſe 12 nucleos ſapidiſſimos datos deguſtandum cunctis iis, qvi Sacramento dignè fruuntur. Dona ſivè pignora hæc non ſunt omnibus æq; cognita, qvia ſpiritualia, ſpectant enim potiſſimùm internum (ſpiritualem) hominem. Ut ergò ſedulò conſiderentur & obſerventur, expedit hîc ea recenſere.

1. Homo à Virtute hujus Sacramenti acqvirit poteſtatem deſerendi

ferendi Creaturas tanquàm nimis imperfectas, qvia disgregatas & caducas, de qvarum Vanitate alibi dictum est.

2. Homo à Virtute Sacramenti sumit incrementum Bonorum cœlestium; siqvidem Deus trahit hominem â Viâ Creaturarum, eumq; deducit in cognitionem & amorem summi Boni, qvod Deus est.

1. mediante Clementiâ suâ.

2. mediante promissione Vitæ æternæ, qvam præparavit Deus amantibus se.

3. mediante passione dominicâ.

4. mediante exhibitione Corporis & Sangvinis dominici.

3. Anima hominis elevatur super omnes Creaturas & res desiderabiles, qvæ Deus non sunt, qvarum sunt Voluptates tàm Corporis qvàm spiritûs, qvin etiam anima rapitur à Deo in divinam suavitatem, per qvam non solùm extinguitur naturalis animæ voluptas, verùm etiam per qvam supprimuntur cuncta, qvæ obstant animo, quo minus divinâ fruatur dulcedine & obtutu veritatis divinæ. Nam quantò res spirituales sunt nobiliores corporalibus, tantò suavior est animæ è spiritualibus hausta oblectatio, proindè cupit etiam eâdem claritate & suavitate frui in perpetuum, imò gravatè abhinc avertitur, cum qvasi per vim ad Corporis contubernium reflectitur.

4. Deus potentias hominis, maximè vim memoriæ avertit à Speciebus caducis & humanis, easq; tàm perfectè roborat ad cogitandum & memorandum spiritualia, ut homo rerum tantùm cœlestium avidus obliviscatur etiam naturæ suæ, & tunc naturæ operationes insunt qvidem ei, ast sine scitu & sensu ejus, hactenus qvoq; nec utiles nec nocivæ eidem. Verùm oblivio hæc (inadvertentia) inducitur triplici medio.

1. qvidem est ipsa Dei gratia. Nam ut homo cogitando consideret magis spiritualia qvàm corporalia, idq; non coactè nec studiosè, sed velut suaptè naturâ (instinctu ipsius naturæ seu inadvertenter) id est indicium inversæ & spiritualisatæ naturæ. Hanc autem angelicam puritatem nulla unqvàm Creatura potest

teſt in homine cauſare, ſed qvod ſolus Deus invertit naturam reddendo eam habilem ſuæ Clementiæ; id ſoli divinæ gratiæ eſt adſcribendum.

2. Temperantia, qvæ hominis opus eſt. Per eam ſupprimuntur vires corporis & concupiſcentiæ, ſuppreſſis autem cauſis defectûs humanos efficientibus, ſuppreſſi qvoq; ſunt effectus; præterea ſcimus, defectûs humanos tunc magis conſpici, cùm homo intemperanter vivit, ſiqvidem tunc ignis cupidinis nanciſcitur pabulum qvo nutritur.

3. Spiritualium ac cœleſtium negotiorum promta cogitatio. Per eam namq; exercitationem obfirmatur homo in piis cogitationibus ſic, ut poſtliminiò nil niſi bonum cogitet proprio motu, contrarium verò nonniſi per errorem & vim extraneam. Exin conſpicitur Utilitas promanans è bona & ſuetâ exercitatione ſuas invertendi cogitationes, nimirùm qvàm primùm homo advertit, ſe cogitare malum, ſe ilicò convertat ad cogitandum bonum: ſic namq; futurum eſt, ut natura aſſueſcat cogitationem bonam exercere non advertente homine; talis homo tunc verè dicitur naturaliter bonus. Quisquis id à naturâ non habet, per artem ſibi conqvirat, acqviſibilis enim eſt pia cogitatio è ſtudio & aſſuetudine, hinc homo tot pravis cogitationibus à Viâ virtutis abductus priſco tempore mirum qvid videbatur, ſiqvidem qvò plus Vanitatis, hoc minus Veritatis cogitat homo & viceverſâ.

5. Deus illuminat intellectum hominis, ut ei liceat in Speculo æternitatis intueri Deum & Creaturas in eo, qvæ citrà incrementi aut decrementi viciſſitudinem tales ſunt, tametſi in tempore creſcant & decreſcant. Quantum homo cognoſcit cuncta in Deo, tantum perficitur in eo charitas, & qvò potentius Deum amat cognitum, hoc redditur beatior tùm in prægustu, tùm ipſo futuro Uſu. Hoc autem modo ad ſublimitatem evecta anima conquirit è gratiâ id omne qvod Deus eſt de naturâ. Contemplare nunc, ô homo, illuminatum & ſanctum hominem, eumq; tibi propone imitandum, qvi adinſtar ſolis in-

tenebras lucentis, eoq; & bonis & malis familiariter servientis in mundo fulget, paratus cum omnibus promiscuè participandi lumen divinum pro Ratione capacitatis cujuslibet, qvò spectant Verba Christi dicentis: luceat Lux vestra coràm Hominibus: item: tanqvàm luminaria mundi. Solatium hominum est id, qvod dicitur delectabile, hactenùs solantur hominem omnes deliciæ temporaneæ; qvantò magis solabitur animam qvod delectabile est Lumen divinum, qvod in seipso, qva Deus est, omnium suprema delectatio est eoq; unicè desideranda? Imò cùm Lumen divinum cunctis iis Creaturis à qvibus cognoscitur, sit summè delectabile, seqvitur homini pro modio cognitionis ejus esse plus minus deliciarum beatarum, qvia & animæ benè ordinatæ vix unqvam æq; placet aliquid atq; cognitio nudæ veritatis, quæ Deus est.

6. Deus per seipsum accendit amorem sui. Nam qvia Deus charitas, charitas autem Deus est, convenit animæ amare Deum aut Creaturas nonnisi per Deum in ipso Deo, modo scilicet purè divino. Sic hospitatur Deus in Animâ, eiq; adinstar fidi amici revelat abscondita sua consilia. Si qvis dicit: consilia Domini (juxtà Scripturam) esse occulta, ei respondetur; Arcana ea Essentiæ suæ latibula esse nonnisi intimis Dei amicis cognita, ast non sic specialia præhabiti Consilii decreta, qvibus Deus mundum judicat: quicquid ergò in ejus Essentiâ absconditum est, id manifestat animæ pro mensurâ capacitatis ejus, magis vel minus, hoc est, juxtà qvod ad gratiæ divinæ receptionem est præparata. Id qvod exin probatur, quod omnes sancti Viri, quibus aliquandò similis revelatio facta est, nequicquam amplius attenderunt, nisi solum Deum, utpotè qui omnium optimus & constantissimus Amicus est, manens nobiscum in Seculum Seculi, qvoniam quod amat, infinito amore amat.

7. Deus in animâ operatur

1. Perfectionem beatitudinum omnium, quas Christus manifestavit nobis: tanqvàm in qvibus vera consistit Sanctitas. Sanctitatem dicit Dionysius consistere in perfectione, charitate, & liber-

Matth. 5.

libertate, indè ſequitur, eam non habere niſi animam eam, qvæ pura eſt, & nihil commune habet cum ullâ Creaturâ mundanâ ſivè corporali ſivè ſpirituali. Quin etiam ab anima reqviritur eſſe mundam ab omni cogitatu Creaturarum cœleſtium, Angelorum &c. tunc ſcilicet, cùm Deus mentem cum ſuis virtutibus cunctis extrà mundum raptam ſibi adunat.

Alibi dictum eſt, tractum hunc eſſe rarum & brevem, ſiquidem terrena corporis moles pondere ſuo retrahit Spiritum; Spiritus autem legi unionis obſtrictus nactâ veniâ recipit ſe ſuo loco brevemq; morulam coactus ſolvit. Eſt enim beatitatis advena, temporis incola, cujus reſpectu perquàm brevis eſt cœleſtis nundinatio. Liceat ergò æternam beatitatem appellare Speculum clariſſimum paternæ eſſentiæ, in qvâ ſibi Pater format imaginem ſuiipſius, genitum ſcilicet ſuum. Hic eſt Imago illa Patris coæterna, in qvâ & per qvam ficta (formata) ſunt omnia, in qvâ etiam omnia cognoſcuntur, non quidem ſic, uti ſubſiſtunt per modum creati Entis, ſed ſicut transformantur in Deum ipſum, in quo nil niſi Deus eſt. Eo in Speculo obtuetur Mens creaturas, qvid ſibi exin nundinetur, verùm præ claritate Dei deſpicit cuncta velut confuſa nil clarius cernens nec volens præter Deum ſolum, æternum clariſſimum Lumen. Reverſa deniq; ad ſuum incolatum defert ſecum è nundinis cœleſtibus nil niſi omnia, Ideam ſcilicet ſobolis Dei, in qvâ omnis perfectio, Claritas & Sanctitas qvæ in præfato æternitatis Speculo præformata eſt, relucet. Ad breve ergò tempus reverà obtinuit id, quod nequit retinere in tempore niſi per ſpeciem, qvamvis per gratiam Dei diverſis vicibus ſic queat obtinere.

2. Libertatem veram, divinam (qvæ Deus ipſe eſt) & ſic liberatur anima ab omni ſuâ proprietate, quæ antecedenter eam impediebat, qvominus liberè poterat uti divinâ libertate. Libera nunc anima perrupto rerum circulo tranſcendit ea qvæ Deus non ſunt, motuq; libero currit in æternitatem im̃obilem, quæ Deus ipſe eſt, & hoc ità facere poteſt per gratiam & tractũ Dei, qvia & ipſa nunc & usq; in æternùm ſubſiſtit.

7. Perfectam reddit animam mediante divinâ suâ effigie, quæ Filius ejus & noster Salvator est. Anima Deo unita cum vanitate simul amisit varietatem omnemq; diversitatem, non tamen redditur perfecta hactenùs, qvia talis est in omnium absolutissimâ perfectione, qvæ Deus ipse est. Exin cognoscitur, animam qvoad perfectionem tantò reddi Deo similiorem, qvò freqventius effigiem divinam apprehendit; ast qvandocunq; qviescit in unitate silente, Ideales Dei comprehensiones omnes & modos comparandi boni excludente, tunc in summo suæ perfectionis gradu collocata deprehenditur, saltem ad temporis momentum.

8. Deus ditat hominem thesauro Sapientiæ, per quam cognoscat qvid ei agendum, qvid intermittendum sit, ne posteà cujusquàm facti pœniteat. Per Sapientiam cognoscit etiam & intuetur homo Deum in Deo per gratiam: & qvantum hujus sapientiæ habet homo, tantum habet etiam Dei nec plus nec minus, hinc & veraciter talis homo dicitur esse hospitium (templum) Dei. Non majus donum est, qvod Deus homini conferre potest, qvam ipsa hæc sapientia, qvæ est origo beatitudinis, imò beatitas ipsa, quâ SS. Trinitas utitur æternum: ideoq; amat Deus etiam talem hominem, cui suam contulit Sapientiam. Homines qvidem naturatenus sunt cupidi Sapientiæ, sed nesciunt, qvid optant, non enim cognoscunt veram sapientiam, neq; sic cupiunt eam sicuti est: cupiunt autem mundanam naturalem prudentiam, qvæ sapientia non est, eaq; adeptâ contenti sunt, non multum scitantur an præter eam sit alia sapientia necnè? Propterea Deus tradidit eos vanis eorum cogitationib⁹ & mentem reprobam dedit eis &c. Cùm autem vera Sapientia sit ipse Deus, hinc constat, per paucos homines adipisci eam vel ad momentum temporis; qvibus autem manifestatur, iis etiam datur sapientia, sicut sint unum in Deo, & Deus omne in illis.

9. Deus exhilarat animam per bonam conscientiam. Pura & impermixta conscientia affert Cordi constans gaudium, qvatenus spiritus hominis in Deo vivente se semper recreat, hactenùs

nùs in rebus tàm adverſis, qvàm ſecundis perſiſtit lætus & contentus in ſpe æterni gaudii paſſionem tandem compenſantis. Admirabile gaudium hoc, qvod anima à beatiſſimâ Dei in Sacramento præſentiâ concipit, non poteſt ulla unqvàm conferre Creatura, cùm autem à ſolo Deo detur, indubium eſt, qvin longè aliâ ſenſatione percipiatur quàm naturali. Ineſt enim ei infallibilis certitudo ſecuritatis & perfectionis, & homo ſic bono optimo adhærens prægustat ipſam æternam beatitatem, hactenùs gaudium ejus eſt incomparabile qvia perfectum.

10. Deus reddit animam de beatitudine certam ac ſecuram. Hæc autem Vitæ æternæ certitudo triplex eſt.

1. qvidem in fide. Nam per Virtutem veritatis, qvæ fidei ineſt, acqvirit credens certitudinem obfirmantem rei ignotæ ſtatum qvam credit; itaq; ſcriptum eſt: omnia eſſe (videri) poſſibilia credenti: hoc eſt, nil eſſe tàm mirabile, immenſurabile, incomprehenſibile aut exceſſivum, qvod bonus homo non crederet eſſe poſſibile, imò & fortiter credenti ſunt omnia hactenùs poſſibilia juxtà robur (Virtutem) fidei, qvid qvod reſpectu ejus exaudiuntur orantes, & poteſtate ejus ſunt olim ſigna & miracula facta à ſanctis hominibus.

2. in revelatione rerum futurarum, quas Spiritus velut præſentit. Conſtat namq;, qvibusdam hominibus rarò accidere qvicqvam, qvod per modum Revelationis non præviderint in Spiritu. Id qvidem qvia contingit per medium Idearum interpoſitum inter Deum & animam, non eſt ipſum Bonum optimum, tametſi utcunq; bonum ſit.

3. in ſummâ cognitione Dei, in amore & adunatione ſpirituali, cujus ratione veraciter dici poteſt: Abbah Pater! Et: qvis ſeparabit nos à charitate Dei *&c*? Hæc certitudo eſt ipſa Beatitudo, qvæ incipit in tempore, & deſinit in æternitatem, & uti humano merito non conqviritur, ſed à ſolo Deo datur; ità non datur niſi ei, qvem Deus elegit, hoc eſt, qvi ſeipſum unà cum cunctis Creaturis abnegando deſeruit.

11. Deus confert homini pacem perfectam, æternam, cujus

gratia dicitur, Regnum Dei advenisse in tempore & inter nos imò in nobisipsis esse, siqvidem in eo Regno est pax beatissima, pax qvæ ex ipso Regni adventu cognoscitur hîc incipere & in æternitatem durare. Pax ea est itidem triplex

1. Ea scilicet qvam homo habet cum proximo suo quantum in se, & sine qvâ non habet pacem cum Deo : hujus qvidem certum indicium est, si hominis familiares amant Societatem ejus; sed qvia pax ista non tantùm ad charos & familiares, verùm etiam ad hostes aut magnâ ex parte ei adversos extenditur, parva qvidem res est jucunda familiarium conversatio, utpotè qvorum paritas est causa pacis, è contrario verò res plurimum laudabilis est habere pacem cum imparibus & adversariis, utpotè quod ejus nulla alia causa est præterqvàm amor divinus.

2. Ea demum, qvam pura conscientia obtinet, utpotè qvæ pace fruitur internè & externè. Ea verò conscientia pura est, quæ unitatem Dei hominisq; supponit.

3. Ea, qvæ absq; defectibus est & perfecta dicitur. Pacem hanc habet solus Deus, qvi neminem offendit, & vicissim à nullo unqvàm oppugnari potest. In qvantum homo hujus pacis particeps fit, in tantum conqvirit per gratiam & utitur eo in æternum, qvod Deus est de naturâ.

12. Deus adunat sibi animam indissolubiliter. Per hanc divinam adunationem,

1. perfunditur anima supremâ omnis perfectionis Virtute, quæ Deus ipse est, sic ut jam particeps omnis perfectionis desiderabilium nil aliud unqvàm concupiscat.

2. habet anima Deum & cunctas Creaturas Deo unitas cum summâ earum perfectione, idq; absq; modo, mensurâ aut tempore, qvia in ipsâ æternitate qvæ Deus est.

3. obtinet anima omnem perfectionem eam, qvâ omnes Creaturæ beatæ in Deo æternum frui ac uti debent.

4. Sentit anima prægustum adhuc in tempore gratiæ (quæ est principium divinæ adunationis) prægustum scilicet omnis futuræ Beatitudinis, qvam sine fine in Deo gustabit.

Hi

Hi ſunt 12 fructus ſeu nuclei ad deguſtandum dati homini Evchariſtiam dignè ſumenti, quorum facit mentionem Apocalypſis C. 12. nimirùm: Lignum Vitæ (in ſanctâ Civitate plantatum) fructus duodecim afferens &c. & folia Ligni ad ſanitatem gentium; indè diſcimus Utilitatem, imò beatitudinem, qvam anima è Sacramento haurit, Verbis nunqvàm poſſe dignè exprimi.

Tantum de deſiderio ſimul & Uſu Sacramenti Evchariſtiæ, hiscè demum expedit paucula verba adjicere de gratitudine. Quisquis gratias agit Salvatori pro admirabili deſcenſu ejus in carnem humanam miſeram, in paſſionem & mortem acerbiſſimam, comprimis ſi cunctas paſſiones ità conſiderat ac ſi veraciter eas intueretur, & ſi deſiderat hæc aut ſimilia cum Chriſto pati (ſi qvà poſſibile) in eo habitat Chriſtus ſicut Rex in ſuo palatio.

Cùm fundamenta (principia) artis ſeu diſciplinæ noſtræ nunc tradita ſint, qvæ commodè in Scholâ S. Spiritûs incluſa ſunt Lectioni quotidiè exercendæ, reſtat nunc plura adjicere, qvæ circumſtantias ſpectant & ordinem attinent, qvi ad hoc pietatis Exercitium videtur eſſe neceſſarius adeò ut ſine eo impediatur progreſſus. Tu ergò ſi qvid deſideras interroga.

Q. Quot genera ſunt Chriſtianorum pietatis exercitio deditorum? R. Tria: unum eſt egredientium ſivè incipientium, alterum progredientium ſeu creſcentium, tertium ingredientiũ ſivè perfectorum. Hæccè Chriſtianorum diſtinctio, proh dolor! hodiè inter multos Chriſtianos tàm denſis eſt involuta tenebris, ut complures eorum, quibus pietas curæ cordiq; non eſt, quàm minimè ſolliciti ſint, qvaliter ad pietatem perveniant, cùm nec quid pietas ſit pernoſcant, tantominus ejusdem initium, progreſſum atq; profectum perquirant: quid quod perfectionis nomen tàm eſt exoſum iis, atq; venenum lethiferum, qvod etiam hâc ratione condemnant.

Cùm autem juſtificatis ad ſanctitatem tàm neceſſarium ſit hoc pietatis exercitium, ut ſine eo nonniſi impius ſit homo, injuſtus ſivè

sivè justitiæ per Christi meritum, gratiam, fidem & sacramenta adeptæ nonnisi prodigus dissipator, convenit cuilibet christianæ fidei Confessori tùm scire tùm exercere pietatem non tantùm gratitudinis debitæ, verùm etiam divinæ gloriæ,& voluntatis, obseqvii & boni exempli causâ.

Q. Qvis homo incipiens? R. Is dicitur incipere pietatis exercitium, qvi veræ pœnitentiæ dat seriam operam.

Q. Qvid incipienti Christiano ad veram pœnitentiam perduci se passo est faciendum? R. Initiantem oportet diligenter explorare internum fundum, cunctos scilicet animæ suæ, qvæ thalamus Dei est, angulos, eoq; advertere, num inibi latentem hospitem (caducam qvandam creaturam) inveniat, qvæ desiderium ejus ligavit. Quicquid autem in animâ fuerit repertum, ejiciendum est foràs, nullâq; miseratione dignandum. Triplex actio hæc, perqvisitio scilicet, inventio & eliminatio comparari potest rudimentis literarum, cùm se ad animum habeat ut Alphabetum A b c ad parvulorum memoriam. Enimverò quemadmodum sine notione literarum nemo pervenit ad syllabarum, verborum, & periodorum structuram, ità etiam sine præfatis primis animi actionibus nemo pervenit ad pietatis constructionem: indè constat, eas esse perqvàm necessarias, nequaqvàm negligendas, experientia qvippè docet earum neglectum parere confusionem & in extremo Vitæ tractu jacturam fidei sæpè irrevocabilem.

Q. Quodsi mala consvetudo, naturæ vitium, hebetudo, pigritia, tarditas, insensilitas vel aliud qvid obstet, qvominus homo præstet id opus difficultate plenum, qvid tunc existimas faciendum? R. Tametsi non promptè aut pro voto succedat opus, nemo despondeat animum, neq; desistat, qvin imò toties repetendo incipiat, donec quæ antè neqvibat mittere, post linqvat, & qvæ antecedenter facere non poterat, tunc faciat. Id confirmatur ab exemplo puerorum, qvi Lectionem prælectam toties relegunt, donec eam exactè noscant recitare. Toties quoq; tenetur pietatis Tyro redinchoare suum cæptum, donec tandem

dem toti mundo perfectè abrenunciaverit & cum Christo è mundo sublatus ad Patrem iverit simul ambulatum cùm cœli Civibus Deumq́; glorificatum. Ut autem tantò felicius qvis qvod optat, obtinere possit, necessum est quotidiè, quamprimùm à somno evigilat, in lecto suspiret ad Deum dicens: Domine Deus mi, hoc ipso momento incipiam de novo meipsum & omnia linquere propter te. Quamvis hoc non sufficiat, cùm sit necesse, ut toto die hanc lectionem recitet, id est, ut toties quotidiè seipsum derelinquat, quoties seipsum invenit, id qvod & facilè pernoverit, si diligenter scrutatus se fuerit. Quominus qvis operatur, magis autem seipsum linquit, hoc plus fecisse censetur, qvia qvô difficilior est abrenunciatio, hoc magis ad actionis rationem atq́; censuram, refertur.

Q. Ergonè tanti interest incumbere actioni, cujus hodiè cura est minima? R. Magni certè interest, qvin totum pietatis negotium consistit in hoc exercitio, qvalitercunq́; id aliqvis comto dicendi genere obtexerit, inverterit aut perverterit, nil prosunt ea intentata, cûm ipsa res, qvæ plana est, causam pro se dicat: qvid qvod sit ambulandum, currendum, laborandum, certandum, ipsa Scriptura planum facit. Non currit nec qvidem ambulat, non certat, nec qvidem laborat, qvisqvis ad exercitium præfatum non omnem movit lapidem. Nam sicut pietatis Cura & Studium ex ordine adhibitum difficultates multas tollit, ità neglectus ordinis parit vel confusionem (crassitiem) vel superstitionem, opiniones vanas & difficultates, sic ut non mirum sit, si de perfectione nunc sentiant absurdè non solùm improbi sed etiam apparenter probi, qvi bonum operati sunt, & qvi in ministerio Sacrorum consenuerunt qvidem, ast nondum observârunt, qvod tanto intervallo distent finaliter ab evangelicâ perfectione qvanto sub initium: taliter imitati peregrinantes Israëlitas oberrant per ambages & circulato gressu tandem principium repetunt. Quicunq́; obaudiunt illud Apostoli: ut semper in melius proficiant: sunt incurii, vanâq́; Vitæ regulâ recti, idcircò tota eorum Vita est eadem, ipsa scilicet alteritas & irregularitas.

laritas. Nam qvale certamen eſt, cùm Caro & Spiritus deſtinatis horis ad æqvum alternant? qvalis emendatio, ſi antiqva & nova Creatura pari jure gaudet & privilegio? Noñè ſic duobus Dominis ſervitur inſaniente perpetim animo? Hujusmodi homines, utut ſibi aliisq; videantur perfecti, nihilominus tempus, impenſas & operam perdiderunt omnem, qvia nusqvàm progreſſi per Vitam ſimilarem hærent adhuc in limine.

Q. Annon id, qvod ab initio eſt neceſſarium, ad tempus tantùm vel ſemper æq; neceſſarium eſt? & qvid eſt illud neceſſarium? R. Seipſum abnegare mundumvè deſerere eſt ab initio omnium neceſſariiſſimum, & hoc ipſum eſt per omne tempus æq; neceſſarium; ſiqvidem hoc obſervato proficit homo in melius de die in diem, cùm nequeat fieri, qvin ſemper reperiat tantoplus deponendũ, qvantòplus depoſuit relinquendo. Quatenùs autem per totum Vitæ curriculum ſemper aliqvid invenitur, qvod deponendum (relinquendum) eſt, indè patet, hoc abnegationis exercitium eſſe principium & fundamentum ſemper neceſſarium, Axem ſcilicet circà qvem univerſæ activitatis chriſtianæ ſphæra volvitur. Sed hìc à plerisq; peccatur vel in defectu vel in exceſſu: qvoniam nonnulli hoc ipſum fundamentum tanqvàm inanem conatum penitus dedignantur, alii verò jacto ſemel fundamento ſubſiſtunt vanâ opinione capti, tanqvàm ad eos non ſpectet illud plus ultrà ſivè progreſſus tantominus ejusdem modi obſervatio, qvo qvis exactiorem, ſubtiliorem (ſtrictiorem) abnegationem ſui tenetur intentare. Priores homines ſunt è numero reproborum, qvia ſeipſos poſſident per totam Vitam, hinc & ipſi tandem cum omni poſſeſſione eorum rapiuntur: eqvidem poteſtas mortis magna eſt, dira & indeclinabilis, nimis ſerò autem tales agnoſcunt id qvod invitè tunc deponendum eſt, fuiſſe ſuâ ſponte antecedenter deponendum & qvod cum fructu liberè perditur cum damno aſſervari in prædam. Poſteriores verò qui mundũ non usq; adeò amant, cui potius reſignârunt, dividuntur in tres Claſſes, qvorum prima eſt, qvi inceptâ reſignatione ſeipſos reaſſumunt modo ſecreto: ſecunda

cunda eorum eſt,qvi factâ reſignatione ſeipſos redaccipiunt modo animali: tertia eorum, qvi factâ reſignatione ſeipſos reqvirunt modo Luciferiano.

Q. Secretus modus reaſſumtionis ſuiipſius qvis? R. Natura humana etſi malitioſa ſit ſeipſam qværens in cunctis rebus occultè, aſtutè, velociter, facilè tamen deprehenditur ejus dolus, ut ſi qvis eſt eorum, qvorum nota eſt reſignatio, qvi ſuos defectûs blandis Verbis, ſuoq; modo palliat vel excuſat communiter qvidem utendo tritâ illâ blandiendi formulâ, videlicet: tamen bono feci animo: ex animi Candore (integritate, ſimplicitate) factum eſt. Quale, quæſo, Verbum eſt, qvod duplicem uniet animum? qvalis formula, qvis modus rectificabit iniquam animam? an qvod umbra occuluit, lux non illuminabit? qvod palea operuit, ventus non deteget? Idem namq; efficit, qvod obſtat ſivè leve ſit ſivè grave, ſivè molle ſivè durum, læve (blandum) aſperum: per minima oculo illapſa impeditur viſus, ità animus invidus æq; minimâ atq; magnâ offenſione proditur, qvid ergò de iis cenſendum eſt, qvi qvidem orant, ſed tamen inter orandum levi de causâ offenduntur, leviori accenduntur, leviſſimâ ut canes rabidi in cholerâ ſtomachantur? Utut ergo bonus & integer tibi videatur animus, utut excuſatum te habeas, eſt tamen neceſſarium ſincerè abrenunciare caducis rebus omnibus, utut nobiles ſint aut utiles. Qvid qvod hoc loco præponendum eſt Exemplum Chriſti, qvi non obſtante, qvod Dominus eſt dominantium, Vindex & Judex ſummus, pertulit opprobrium patienter, cumq; per convitium ſeductor, traditor, bibo &c. vocabatur, os ſuum non aperuit, ſed obticuit. Annon tenetur Homo ſpiritualis ad minimum imitari exemplum Sacerdotis ſummi tantâ reſignatione, ut ſi Colapho offenderetur, maxillam alteram præbeat feriendam tantâ modeſtiâ, ut qvicqvid ei tolerandum occurrat, benignè perferat, velut cadaver demortuum, qvod nec laude nec vituperio afficitur?

Q. Modus animalis redacceptionis ſuiipſius quis? R. Hîc prius ſupponitur excludi eos, qvi volenter juxtà Carnem vivunt

criminosè pro more brutorum, qvibus malum & bonum discernendi ratio non eſt, tanto minus gratia atq; dehinc profecta potentia ſectandi decorum & juſtum, qvæ data eſt hominibus. Solùm eos ſpectat quæſtio hæc, qvi ſummum Bonum (Deum) deſiderant modo (affectu) naturali. Hic modus animalis (naturalis) eſt, cùm homo bonus actiones ſuas perficit pro ratione ſui deſiderii ſeu naturalis propenſionis. non autem (qvod ſolùm reqviritur) ex propoſito (voluntate) Deum amandi & laudandi integrè. Qvod ſi qvis inſtet quæſitum, qvaliter juxtà debitum propoſitum vivendum & agendum ſit, hunc remittendum duco ad ea loca, ubi ſatis copiosè reſponſum ſibi inveniet; ne tamen gratis hîc videatur quæſiviſſe, nôrit oportet, id eſſe vivere & agere juxtà propoſitum Deum laudandi & amandi integrè, cùm inter dormiendum, comedendum, bibendum, loqvendum, tacendum, vel deniq; inter qvamcunq; actionem, qvam qvis vel agit vel agendum præſumit, ſupprimit brutalem ſuam inclinationem (concupiſcentiam) non aliter capiendo victum, nec aliter qvicqvam operando niſi juxtà rationem & juxtà veram charitatem: orandum enim ſic ſemper eſt aut cogitandum: Clementiſſime Domine, non mihi ſed tibi edo, bibo, dormio, vivo, operor, patior, accipio & offero, tibi relinqvo omnia.

Q. Cùm plerorumq; Chriſtianorum cœcitas tanta ſit, ut iſtiusmodi & alia neceſſaria requiſita non ſentiant aut penitus ignorent, añon hinc certum redditur, eorum Opera qvæ pro lubitu fucant mangonio philautiæ, placiti, arbitratûs, obſtinationis &c. vana eſſe, indigna & abjecta? R. Sic eſt, proh dolor! imò haud parum abeſt, ne Deum circumvenire cogitent, cùm ſuis viribus confiſi nimis diu propriæ immorantur Voluntati, vix unqvàm perpendentes, qvàm multa poſtulet ad Vitam perfectam neceſſitas. Eqvidem non propriis ea conquiritur Viribus, non actionum copiâ, non varietate modorum, verùm inter omnia qvàm maximè notandum eſt, eam acquiri abnegatione, mortificatione & amiſſione ſuiipſius juxtà ſenſum Scripturæ: indè

indè seqvitur, summum, qvod in tempore acqvisibile est, Bonum, non habere eos, qvibus inest aliqvid, qvod nondum devictum, subjectum, mortiq; (annihilationi) traditum est. Id confirmatur ab exemplo & verbo Apostoli dicentis: vivo jam, non Ego, vivit autem in me Christus. Certocertius & qvàm certissimum est, Deum O. M. nunqvàm perfectè vivere in homine, qvamdiu qvicqvam vivit in eo, qvod Deus non est sivè sit ipsa Voluntas, Opinio, Philautia, vel deniq; aliud qvid, qvod in proprietatis suæ penu qvis observatum reperit.

Q. Modus Luciferianus requisitionis suiipsius qvis? R. Cùm homo eo fine operatur bonum, ut suis Operibus seipsum conservet ac beatificet, suum quærit: ad eum autem modum lapsus est Lucifer, lapsi qvoq; primi parentes, qvi eo ipso momento fuerunt perditi, quo conservationem, exaltationem & permanentiam intentabant consequi. Eva qvippè amore Vitæ mortem metuens inconsideranter credebat gratissimo Serpentis desiderabilem Vitam persuadentis nuntio, & taliter in eam qvam timebat mortem præcipitata est, qvaliter & Lucifer detrusus est in abyssum, ubi celsitudine æternæ Majestatis qvam ambiebat, caret pariter & pulchritudine ei concreatâ. Tam noxia est exoptatæ Vitæ cupiditas, ut per eandem perdatur, qvod sine eâ innoxiè possidetur. Indè enim qvod incessanter caduca Vita sollicitè petitur à mortis necessitate, donec tandem in merum Nihil transeat, patet, homini Vitam desideranti incumbere, ut voluntariæ studeat resignationi seu imperterritæ resolutioni cedendi fatis liberè, sic ut dum se cupit esse, velit non esse anteqvàm sit, sic namq; cuilibet sua moriendi necessitas (mortalitas) imposuit.

Q. Annon in hoc supposito latet aliqvid fundamentalis doctrinæ? R. Imo ipsum beatitudinis nostræ fundamentum est suiipsius abnegatio (mortificatio) qvatenùs homo non est sui juris, eò qvod spectat ad eum, à qvo per Creationem factus est. Antiqvi solebant dicere: Quisquis id, qvod non est, esse cupit, resignet eidem qvod est, nempè sibiipsi.

Q. Undè cognoſcitur hominem non eſſe proprii ſui juris, cujus defectu ſubjacet reſignationis debito? R. Exindè, qvia ſummum Bonum, qvod Deum vocamus, non eſt in alio, ſed in ſeipſo, Ens permanens, ſubſiſtens ſibi in ſuâ eſſentiâ: homo verò & omnes Creaturæ non ſubſiſtunt ſibi nec permanenter, ſed ſunt ac ſubſiſtunt in alio, omnes ſcilicet in uno, eodem Ente permanente, Bono ſummo, ea propter ſunt ejus, qvi faciendo ea inchoat, complet ac terminat. Sunt autem ejus juris omnia, cujus ea ſunt propria, non ſibi competunt, qvæ aliundè procedunt, ſed per Deum ſunt omnia Dei. Is eſt omnium Creaturarum Parens, origo & Actus primus, qvo cuncta movente moventur, cujus cuncta bibunt fontibus: nos verò nonniſi ab illo & in illo ſumus, movemur & vivimus. Cùm autem exindè conſtet nos nihil juris habere in nos ipſos, ſeqvitur, nos eſſe mera organa receptiva, ſervilia & impotentia, qvibus hâc ratione competit diligens obſervatio, obſeqvium, humilitas, ſinceritas: rebellis autem inflatio, imperioſa Voluptas &c. indicant corruptam Voluntatem, hæc autem nullo modo congruit cum reqviſitis præfatis, dehinc ſeqvitur, decantatam toties reſignationem emanare è cognito, libereq; ſuſcepto obſeqvii debito, & ſic in talem evadit hominem is, qvi nullam poteſtatem ſe nullumvè proprietatis jus habere fideliter agnoſcit.

Q. Eſtnè ſui abnegatio qvibusdam reſtricta limitibus? R. Neutiqvàm, imò debet eſſe infinita. Fingamus aquæ abyſſum carere fundo, an non eſt concludendum, injectum aquæ lapidem ſemper lapſurum? ità cùm Deus ſit infinitus, noſtraq; ſubjectio hinc infinita, rectè concluditur ſuiipſius abnegationem oportere eſſe ſinceram, perpetuam, infinitam: is verè prolabitur (illabitur) in Deum, quem nulla moratur calamitas externa vel interna, levis vel gravis.

Q. Quid ſi homo à naturalibus defectibus impeditur? R. Cùm naturales defectus ad Calamitates non immeritò referantur, qvos Deus ideò permittit ſæpius, ut homo erudiatur & caſtigetur, neceſſum eſt ei, ut obſervatis iis recolligat vires, & cum iisdem

dem unà seipsum in abyssum Divinitatis tanto profundius mergat, cavendo ne fundum suum intendat attingere, qvoniam solus Deus quærendus est infinities, qvi præter Deum quærit aliud, is Deum non quærit.

Q. Si solus Deus quærendus est, annon hinc seqvitur, omne hominis desiderium, arbitrium, affectionem & actiones respectum iri Deum, sic ut nil uspiam reperiatur in mundo, cujus causâ licitè qvid præstet homo sine respectu Dei? R. Id ità omninò esse Verbum Christi testatur dicentis: non quæro gloriam meam, sed ejus qvi misit me Patris. Joh. 8. Alibi verò dicit Christus: Tuum enim est Regnum & Potestas & Gloria &c. Indè liqvet, cujus sit Gloria. Quodsi Potestas & Gloria Deo competit, cui omnia subjacent, hactenùs ei subjacet etiam Voluntas & Fides nostra, qvas temerè sibi usurpant malè instructi Christiani, qui & hâc ratione defectus suos nunqvàm deponunt, nec qvidem queunt superare, qvi nôsse deberent licere nunqvàm oblectationem, utilitatem, mercedem vel evectionem sui quærere saltem hâc ratione, qvia Fides, Affectio, & Voluntas sunt ejus, qvi nobis ea indidit.

Q. Quomodò potest homo perseverare in pietate? R. Si relicto seipso attendit voci Patris, quæ intus personat, & si audit Matris vocem, Ecclesiæ scilicet, quæ foris alloquitur, nam qvisqvis eas voces, qvæ una Vox sunt, non audit, peribit. Paterna Vox fatur per maternam, jubendo Deum amare ex toto, totâ, totis & proximum sicut seipsum: dicit etiam, qui se humiliat, extolletur. Quod si quis veram charitatem ex toto scilicet, & de totis in suo fundo non reperit, qvam Vocem, qvæso, sequetur? si autem omnis gratia, Bonum omne custoditur atq; à corruptione præservatur mediante humilitate & parvitate, annon his qvi Vocem mandatæ humilitatis non percipiunt, alia Vox aures demulcebit, nimirùm desperationis, vel falsa Vox, id est, falsorum Doctorum, qvi veram hanc doctrinam nuncupant falsam, suam verò falsam pro verâ venditant? Cùm parvitas, humilitas & charitas Dei ex toto, totâ, totis sit verum omnis boni fundum, indu-

indubium eſt, qvin hi, qvi non deſcenderunt in profundum, qvi ſuo potius relicti arbitrio oblectantur in ſuis acutis ſenſibus & ratione veloci, ità decipiantur, ut iis id omne videatur falſum, quod verâ de pietate docetur, ſiqvidem vivo carent fundo quia falſo iñituntur, ſic multi currunt hinc indè negotiatum cum ſenſibus intacto fundo.

Q. Ad probos autem redeundum eſt, qvi exercendo pietatem ſuum quoq; fundum perſcrutantur, de his dic, qvid facere debeant, ſi, qvod haud raró aliter fieri nequit, in hoc ipſo fundo aliudquid deſiderant, vel etiam à Deo expetunt? R. Id rurſus mediante pœnitentiâ eſt deponendum.

Q. Poteſtnè id facilè fieri? R. Facilè, dummodò qvis deſcendat quotidiè ſuum profundè ſcrutatum fundum, ut noſcat, qvid ibi fiat, vel quid lateat in eo ſepultũ, num quid in id illapſum vel injectum ſit ſub furentis Concupiſcentiæ tumultu, quo fundum aut vitiatur, aut repletur: ſi nihil reperitur, agantur Deo gratiæ, qvicqvid autem inibi reperitur, ejiciendum eſt foràs. Eò incumbat homo cunctis viribus, ut eam ſcrutationem ritè perdiſcat, quoniam in eâ conſiſtit ſuiipſius cognitio, & taliter poteſt Deo ſuam pœnitudinem declarare in humilitate ſecretâ, imò ſic naſcitur in eo Cordis puritas, timor & obſervantia.

Q. Quid eſt Fundum hoc? R. Fundum dicitur, qvia in puncto profundo à paucis obſervato repoſita eſt Mens, ideò & nobiliſſimum dictum hoc fundum, quia Mens ſub concentratione ſui exprimit ac ejicit omnia aliena raptim ſibi aliundè comparata, ſic ut in illo abditionis actu ipſa Voluntas tota diſpereat non qvidem virtualiter ſed actualiter. Haſcè minutias reſervat ſibi Dominus in populo ſuo, qvales olim Propheta querulâ Voce Deo commendabat, qvales etiam Chriſtus inter publicanos & peccatores quærebat.

Q. Dic qvaliter iſtæc querela coràm Deo rectè inſtituatur? R. Taliter, ut qvis humiliter ſe ac timidè tradat judicio divino projectus ad pedes Domini tantiſper, donec omnes querelæ ejus incendio amoris ac miſerationis divinæ conſumantur, nec ſui veſtigia in conſcientiâ relinquant.

Q. Quid

Q. Quid si non penitus consumantur, sed quædam in conscientiâ cicatrix permaneat, vulnere scilicet non exactè purgato & solidato, dic qvid sit faciendum tunc? R. Tunc expedit id in humili timore sic tolerare tanqvàm à Deo profectum memoriale.

Q. Cùm multi homines hoc verum fundum posthabeant atq; in falsum delabantur, dum quærunt solatium & voluptatem suam in rebus caducis, qvò suis satisdent cupiditatibus, annon possibile est, ut & cœlestia simul curent, siqvidem hoc falsi fundi signum in plurimis hominibus observamus, qvi nihilominus beatitudinem ex fide firmiter persuasam sibi habent? R. Falsi fundi falsam esse persuasionem non dubitandum est: qvodsi enim diversa Bona temporalia in uno eodemq; Corde non simul hospitari queunt amicè, dic qvaliter æterna & transitoria Bona se poterunt compati? Nullo dices modo, cùm sit notorium, solatium è Cœlo non demitti, imò si adest, non permanere ingenio voluptati & gaudio mundano indulgenti, adeò sunt sibi opposita caduca & æterna, utut se qvis profiteatur spiritualem, utut cantet, legat, oret &c. si hæc omnia sub amicitiâ creaturarum.

Q. Quodsi qvi dixerint, refecto Corpore oportet recolligere Vires, cùm multum soletur hominem Satietas, cùm & oratio, devotio & qvæ his conjuncta sunt opera tunc hilariori perficiantur animo, annon seipsos fortè decipiunt hoc vaniloqvio? R. Omninò tales ipsi decipiunt se, cùm aut nesciant, aut obaudiant dictum illud Pauli: si loquerer linguis Angelorum &c. Charitatem autem non haberem, nihil sum. Dicant autem vaniloqvi, qvali amore proseqvantur Deum, qvi nullo jure Creaturis se dedunt cum desiderio & complacentiâ, qvæ in solo Deo sic erant usurpanda: dicant, an fundum eorum non sit exactè falsum; nam verum est tantùm ibi, ubi se Deo captivum tradit animus. 1. Cor. 13.

Q. Quotuplex est hominis Captivitas, cujus hîc mentionem facis? R. Duplex, una qvidem interna, altera externa. Interna est mentis, cùm scilicet potestates ejus omnes ad Deum erectæ, & sic devinctæ sunt ei, ut nullius rei causâ queant revocari. Externa autem est, cùm homo externus passione valdè durâ af-

ficitur, utpotè amiſſione Amicorum, Facultatum, Famæ &c. id qvod tantoperè cruciat, ut natura trepidet, clamet & provocet Deum, Cœlum, & omnes Creaturas.

Q. Ergonè inevitabilis neceſſitas eſt, ut omnes Amici Dei qvoad animam pleni ſint Deo, qvoad Corpus autem pleni afflictionum? R. Id ita eſt, non tamen magni intereſt, dummodò internum fundum firmatum ſit in Deo & Voluntate ejus.

Q. Cùm autem internus homo graviter tentatur per ſuperbiam, iram, invidiam, avaritiam & impuritatem &c. tuncq; onuſta natura ab ignaviâ, ſomnolentiâ, omniumq; bonarum rerum incapacitate ſubſternitur, qvid ad hæc dicis? R. Utinam id probè obſervaretur ab hominibus in Captivitatem & ſubjectionem ſe ſponte tradentibus, nimirùm qvò patienter à Deo recipiatur id, qvod à Deo eſt ſtatutum ab æterno, ut ſic ſit & non aliter: nam minima qvæq; res qvæ homini accidit, eſt prævìſa, imò & deſtinata à Deo longè antè qvàm fit, hâc ratione competit homini gratias Deo agere pro qvolibet ſuo infortunio, qvatenus diriſſimam paſſionem Deus permittit cadere ſuper hominem, qvem omnium amantiſſimè diligit.

Q. Annon eſt Chriſti diſcipulus, qvi talem ſuſtinet Captivitatem? R. Imò verus Chriſti diſcipulus eſt, hinc debet confiteri Veritatem, qvoniam ipſa Veritas liberabit eum ab omnibus Captivitatibus. Sub eâ ſui oblatione præparatur unà Corpus per Dei gratiam ad omne bonum, redditurq; verè liberum uti ipſe Spiritus.

Corpus qvod naturatenus refragatur Spiritui, previâ præparatione redditur tandem molle & obſeqvioſum, ſic ut cum Spiritu unà lætanter pareat ad æqvum; adeò tenereſcit per culturam, qvod anteà durum & exuccum erat ſic, ut quæ implantantur eidem omnia fructum ſuum ubertim proferant. Et tunc impletur Verbum Apoſtoli: qvi dixit: Ut & Corpora veſtra reddantur ſancta; qvod fit, ſi Corpus æq; atq; Spiritus deſiderat bonum atq; divinum.

Q. Cùm materia de Exercitio Pietatis ſit latior qvàm qvæ Capi-

Capite uno queat includi, annon præstaret eam dividere sic, ut qvod supereſt nôſſe qvid homo in suo Vitæ stadio exercere debeat, qvo probus fiat aptusq; præparari in Spiritu sive ad Vitam spiritualem, seorsim tradatur in Capite seqventi? R. Fiat.

Cap. XIV.

De Vitæ humanæ Curriculo.

Q. De Vitæ curriculo rectè instituendo qvid habes? R. Vita qvæ juxta Spiritum est, debet tribus modis institui. Primo modo instituat homo Vitam externè cum semetipso partim, partim etiam cum proximo suo. Secundo modo instituatur juxtà Exemplum Christi. Tertius modus formâ caret.

Q. Quod ad primum modum dic, qvales sint qvi Vitam benè instituunt? R. Tales qvi non colendo seculum vanæ gloriæ cupidi non sunt, qvam S. Paulus vitandam præcipit, eò qvod S. Spiritus non venit in Corda eorum, qvi diu noctuq; inhiant potiundæ mundanæ gloriæ: nam & Christi membra non sunt, qvi taliter faciunt, qvia excisi hactenùs ab ejus Corpore. Neq; eorum Vita ducitur juxtà Spiritum, qvi sub specie spiritualis habitûs gestant mundana corda, venantes gloriam in cunctis rebus, puta in amictu, amicitiâ, conversatione &c. idq; eò pejus qvò diutius, & qvod Spiritus S. non est in illis, hinc in majori versantur qvàm credere possunt periculo.

Q. Dic qvid est hoc loco vana Gloria? R. Est omne id, qvo qvis ab aliis cupit extolli, malum aliàs satis vulgare & nimis propè in verbis, factis, modis & negotiis; ità ut sit necessum vigilare Deumq; orare, qvo hominem custodiat, ne gloriæ sit cupidus sed vivat juxtà Spiritum.

Q. Qualiter vivit qvis rectè cum proximo? R. si (qvod probè

bè addiſcendum eſt (ſibi cavet, ne in Cordis amaritudine excipiat proximum verbis duris, nec turbet nec in mœrorem conjiciat, ſed potius tractet eum in Spiritu manſuetudinis ſeipſum obſervando.

Q. Cùm ſæpenumerò minimus defectus exaggeretur adeò, ut nedum Verbis acutiſſimis exprobretur, ſed nec oblivioni tradatur unqvàm, qvid ſentis deſuper? R. Ubicunq; hoc fit, ibi non eſt S. Spiritus. Tenetur enim unusqvisq; corrigere alterum cum manſuetudine, alter alterius onera portare, ut fratres ſint unum Corpus in Chriſto; qvin & experientia docet, duros homines manſueſcere adhibitâ manſuetudine.

Q. Ad alterum veniendo modum dic qvaliter qvis vivat juxtà Exemplum Chriſti? R. Si Vita Chriſti tanqvàm in Speculo præponitur, ad cujus formam pro virili cuncta facta ordinentur. Sic eſt conſiderandus Chriſtus, qvàm patiens, manſuetus, qvàm benignus, ſilentioſus erat, qvàm deniq; fidelis, juſta & verax emanans Charitas & omnis Vita ejus: id autem fiat modo oratorio, hoc eſt, cordicitus roget homo Deum provocando ad immenſam ejus Clementiam, qvatenùs ejusdem viæ imitationem largiatur, cùm homo à ſeipſo nihil præſtare valeat.

Q. Et quid prætereà eſt faciendum? R. Conferatur hominis ingens diſſimilitudo cum ſimilitudine Dei, expenſo quàm procul ſit remotus ab iſtà pietatis Viâ, cujus reſpectu opus eſt, ut cum devotione cœleſti Patri offerat Filii ſui ſimilitudinem pro humanâ diſſimilitudine, innocentes ejus cogitationes, verba, facta, virtutes, vitam & amaram paſſionem pro omnium hominum culpâ. Nam adeò magna eſt ejus Clementia facileq; exorabilis, ut dummodò libenter roges, omnia qvæ habet accipere poſſis. Si qvis ex animæ fundo ad Deum ſe converterit, ab eo facilè abſterguntur omnes defectus, media & diſſimilitudo, imò & perditum recuperatur tempus.

Q. Poteſtnè homo à ſeipſo habere eam converſionem? R. Deus dat & operatur eam, ideò tenetur homo Deum quotidiè humilimè rogare, ut eam operetur, ſed & diligenter attendere,

re, ut cùm monetur, remotis cunctis obstaculis intus eam expectet.

Q. Siccinè exoratio seqvitur orationem internam? R. Imò & ideò penetrat Cœlos, quia sic ambulat homo in Domini vestigiis, hanc Viam spectat omnis doctrina Doctorum post S. Petrum, qvi scripsit, qvod Christus pro nobis passus est relicto Exemplo, ut seqvamur ejus vestigia. Neq; tàm altum debet homo petere, ut Christi vestigia deserat; sed quovè sublimius fertur, eò profundius figere pedem tàm operativo quàm usurpativo modo. 1. Pet. 2.

Q. Dic qvid ignavi exorant, qvi suum corpus cum cupiditatibus non crucifixerunt & tamen impedimenta accusant, qvod scilicet dormituriunt cum volunt orare, qvod nullam solatii suavitatem degustant, cùm eam desiderant? R. Eorum ignavia, hoc est, quod solùm seipsos quærunt in omnibus modis, verbis & factis, procul elongando eos abducit à Christi vestigiis. Mirum quàm velint suavitatem indè quærere & accipere, undè eorum Dominus intolerabili amaritudine afficiebatur. Non est quærenda delectatio ullâ ratione, quin potius cum lachrymis debet intus homo humiliter Exemplo Christi subjectus contemplari suam exiguitatem, quatenùs tantum extollitur quantum se humiliat. Statuat ergò suum Nihil in supersubstantiale Bonum considerando quàm tale Nihil factus est Dominus propter hominem & deprehendet quàm falsò opinetur naturam suam victam esse, ut quæ longè fortiori insultu est oppugnanda.

Q. Quid tibi videtur de fortibus (virilis ætatis) hominibus, qvi nondum victi sunt quia animales adhuc, ideoq; qverulantur de tot incidentiis, motibus & imaginationibus? R. Hæc illis fiunt, qvia nondum exactam perqvisitionem instituerunt, hinc si quà bajulant Crucem, coactè id faciunt & non ex charitate. Quodsi à Deo gratiam impetrare cupiunt, necesse est intrent longè aliâ Viâ. Qvamobrem tenentur in omnibus gestis se cruci & Crucifixo submittere ex charitate, sic ut somnum

capiendo crucem ſubſternant deſiderando pro Lecto ſinum, pro cervicali Cor, Brachia Chriſti extenſa pro tegumento & refugio in neceſſitatibus internis & externis: edendo, bibendo intingat buccellam in Vulnera ejus cruenta, qvoniam ſic ſe conformat Chriſto & Chriſtus formatur in eo. Ad qvid ergò prodeſt, ſi quis dicit, orare ſe orationes Domini, nî ſimul cum Vitâ ſuâ ſequatur ejus exemplum, taliterq; penetret. Hæc ſunt quæ de Vitâ juxtà Exemplum Chriſti inſtituendâ notanda fuerant.

Q. Explica nunc tertium inſtituendæ Vitæ modum, quem exemplo ſeu Ideis carere dixiſti? R. Hæc Via eſt merè ſubtilis, anguſta, obſcura, ignota & miſera, qvam Hiob fortè deſcri-
Job. 3. pſit, cùm dicit: Via Viro occulta eſt, & Deus eum tenebris involvit. Non pertinet ad initiantes, ſed ad progreſſos & ſpirituales. Hæc fœminas convertit in Viros, & Viros Deum non imitantes redigit in Nihil. Eſt autem merè obſcura ideò, quod quæ antecedenter dicta ſunt humano deſiderio excidunt Sapore amiſſo, hinc finem ſeu Viam dum qværunt aliam, quæ prorſus ignota eſt hærent in tenebris. Enimverò cùm fieri queat, quod Judex magis exacerbetur iis rebus, qvibus placari putatur, hujus certè ignorantiæ Commemoratio parit anxietatem non exiguam, id quod Salomo ſeqventibus Verbis indicavit di-
Proverb. 14. cens: Eſt via quæ homini videtur recta, ſed finis ejus mors eſt, hoc eſt æterna.

Q. Si via usq; adeò obſita tenebris eſt, quis, quæſo, poterit ambulare per eam, ne qvà ſubſiſtat potius aut retrogradiatur? R. Quisquis ſubſiſtit, ſcopum non attingit, qvi verò retrograditur, declinat in viam latam, qvæ ducit in perditionem. Eundum ergò eſt per viam anguſtam non obſtante qvâdam obſcuritate: hic opus eſt acuto viſu & attentione, qvoniam in hâc anguſtâ ſemitâ occurrunt duo ſcopuli (offendicula) qvorum per medium rectà contendendum eſt, putà Cognitio & Ignorantia, Securitas & Periculum, pax Spiritûs & pugna naturæ. Proſpiciendum hîc eſt, ne uspiam impingat & à latere hæreat, ſed medium accuratè pervadat mediante ſincerâ fide qvoad primũ,

qvoad

qvoad ſecundum ſanctâ Spe, qvoad tertium purâ reſignatione. Sic obſervatâ anguſtâ ſemitâ pervadit homo humiliter qvotiescunq; fiduciam inſignem ſolvit timor importunus. De ignorantiâ præfatâ notandum hoc eſt, qvod tantùm ſpectet internum mentis fundum, qvatenus opus eſt, ut homo externus (ratio cum reliqvis ſenſitivæ potentiis) noſcat, qvid tractet, qvomodovè verſetur.

Q. Cùm ignorantia ſit in homine, eaq; non ſolùm debeat ſciri, ſed etiam non ignorari qvaliter, ne immergatur, eam declinet, multi verò neſciant eam, qvi aliàs eximiâ pollent ſcientiâ, dic, quæſo, numqvid in damnum deſit eorum ſcientiæ? R. Imò vel maximum deeſt iis, qvod ſcilicet ſeipſos non cognoſcunt, etſi præter hoc ſcirent omnia, qvod propudioſum eſt, emergens indè damnum non eſt exiguum. Nam hoc debet ſcire homo, qvod per eam viæ anguſtiam tutus redditur à timore horribili & à turbatione, qvam incutit ignorantia, tùm etiam ab elatione animi, qvam cauſat ſcientia, qvoniam nuſpiam debet adhærere neq; affigi mens in iis qvæ poſſunt objici. Eſt potius humiliter ſubmittendum ubiq; in verâ reſignatione. Delinquat opus eſt in proprium Nihil, & in ſanctam fidem cum ſpe vivâ, imprimis autem cavendum ſibi eſt ab impurâ deſperatione, qvatenùs natura bona cum gratiâ Dei progreſſum valdè promovet, ſicut id etiam juvenilis ætas & ſtatus conjugatorum tùm & nobilium in magnâ perfectione non raro teſtatum reliqvit.

Q. Cùm autem facilimè errare ſeq; ipſos negligere qveant, qvicunq; in Viâ tàm obſcurâ ambulant, annon exiſtimas, converſationem cum iisdem eſſe plenam difficultatis? R. Tria ſunt qvæ licet obſervare in actionibus ejusmodi hominum, nempe 1. qvod Deus operatur in iis qvæ faciunt Opera, qvamprimùm ſe Deo mancipârunt & hactenùs ſunt bona 2. quod totâ mente ad Deum converſi cooperantur cum Deo in charitate & reſpectu, id quod etiam bonum eſt. 3. quatenùs autem cum affectatione (appropriatione naturali) convertunt ſe ad oblectationem indè

aucu-

aucupandam, id valdè malum eſt, qvia obſcuritas dehinc aucta prolongatur, à quâ naturæ anxietas & inqvies dependet.

Q. Num tanti momenti eſt iſtæc anxietas? R. Tu ipſe judicato, quàm anxium ſit muris utrinq; incluſum eſſe, pari anxietate afficiuntur, qvi ab uno latere ſtipantur Ideis, ab altero iisdem penitus fruſtrantur. Sicut enim qvæ mediante ignorantiâ alternante Menti totaliter elabuntur Ideæ, non poſſunt oblectare amplius, ità qvoq; non invenitur, qvod oblectationis causâ quæritur ibi, ubi non eſt. Hem qvanta anxietas! Unus currit huc, alter illuc quæſitum, neuter invenit. Præ impatientiâ ergò recurrunt alii ad imaginationem, alii ad rationem, & hi labuntur; ſed qvi hanc miſeram Caliginem tolerant ad finem usq; fiunt prænobiles homines, qvia qvoad naturam infinities mortificati: oportet enim firmiter ſtare in Chriſti veſtigiis.

Q. Ecqvis eſt finis tenebroſæ hujus viæ? R. Is finis eſt, qvod Dominus ſubitò (ex improviſo) venit in hominem revelatum occultam veritatem in lumine qvod intus in fundo fulget, tunc cognoſcunt, ubi & qualiter Deus conduxit eos per vias triſtes in Lucem, ubi eſt finis tantæ expectationis & paſſionis.

Q. Miſſo nunc eo modo qvi huc non pertinet, redeundum eſt ad homines, qui initiantes ſunt adhuc, eoq; exercitio occupati, qvo vivant juxtà primum modum, dic ergò, cùm DEUS tam magna requirat ab homine quæ faciat, quæ vè intermittat ſic ut videatur ei eſſe impoſſibile, annon dehinc conjicitur in exceſſivam triſtitiam pariter & naturale dubium, quaſi non valeat id, qvod DEUS ab eo requirit, facere? R. Caro infirma eſt, Spiritus autem promtus, qui omnia poteſt cum DEO; idcircò Conſilium bonum tradit S. Paulus, cùm inquit: confortemini in Domino: qvia qvod à ſeipſo non poteſt, cum DEO & in DEO poteſt homo. In DEI dominio, poteſtate & omnipotentiâ quærenda eſt omnis humana potentia intus, funditus & inceſſanter, ſic ut omnis virtus humana ſit in DEO Domino noſtro.

Q. Quid autem qvod ſunt complures homines, qvorum peccata DEUS non punit dum ſuam occultat potentiam, hi taliter gerunt

gerunt se acsi vellent ipsi Deus esse, superiorem potentiam & dominium non agnoscunt in suis actionibus, & qvilibet suâ firmatus potestate vult major & melior esse altero? R. Istiusmodi peccata Deus non diu fert patienter, certum autem est, nî seriam egerint pœnitentiam, fore tandem, ut tanqvàm severus Judex Deus judicet unumqvemq; eorum. Frustrà ad pugnam incitantur, qvi nec arma qvibus se tueantur, induere cupiunt, humilitatem scilicet & mansuetudinem, arma, qvæ Christus ipse porrigit, cùm inter cuncta alia nil tàm sit necessarium homini, qvàm ut discat semper pugnare contrà assultum Diaboli: intentatione discit homo seipsum cognoscere, qvid sit, qvid possit. Qvid qvod multi hoc bellum non experti, utut præclaros eos reddidit insignis virtutum exercitatio, tandem sub sarcinâ gravium adversitatum prostrati succubuerunt. Exin colligere licet, qvàm utiles sint tentationes & sæpè virtutibus æqvipollentes. Quàm necessaria homini est gratia, tàm necessaria qvoq; est tentatio. Virtus ut in tentatione incipit, ità perficitur in eâ, hoc enim oportet esse, si Virtus debet essensificari. Sic si homini benè provisum esse debet, oportet eum tentari in omni modo, ad qvem vocatus est foris ac intus, sicut ait qvidam: Uti Caro sine sale non potest corruptionem effugere, ità homo non potest placere Deo sine passione. Deus qvoq; seipsum potest æq; benè conferre homini per gravium tentationum qvàm per virtutum medium, nullaq; hominem tentat passio, qvæ ab æterno non esset prævisa in Corde divino.

Q. Dic ad qvid præterea sunt utiles tentationes? R. Ad id, qvod per eas maculæ & radices peccati cognoscuntur, eradicantur & expurgantur. Indè qvoq; nascitur prænobilis humilitas & timor divinus & homo sub iisdem admonetur, ut à Deo opem flagitando pugnam Deo imponat, ejusq; insuper auxilio confidat, qvod omnia vincere potest.

Q. Quid arma, humilitas scilicet & mansuetudo efficiunt hîc? R. Quisquis munitus hiscè est, tentationes superat omnes, nec superest aliqvid in Creaturis qvod eum possit vincere; contrà

qvi caret his, à quâvis ferè tentatione vincitur. Severitas obsistit mansuetudini nasciturq; ex impatientiâ & proprietate. Superbia resistit humilitati & nascitur è philautiâ & levitate, eas non habet humilis, qvi pauper est Spiritu; habet autem Deum, qvi est Caput & Fulcrum & Operatio ejus &c.

Q. Corda his armis munita ubi invenies, cùm nil freqventius sit qvàm Verbum durum, imò vel unicum solet excipi decem durioribus? R. Id ubi est, crescit occultè sed properè maligna radix, qvæ surgit in apricum: & contrà alterius malitiam homines dira mordicus mutant Verba ceu Canes invicem se allatrantes & mordentes. Arma præfata non induunt homines, qvi tali modo æmulantur Canem rabidum, eò qvod vitio suo hominem alium reddunt iracundum & vitiosum.

Q. Cùm autem, uti dicis, tentatio virtutem approbat efficiendo; ut virtus ei reddatur propria & essentialis adoperandum pro Dei gloriâ, qvid putas solere fieri, cum passio eum pertentat? R. Cuicunq; Deus Salutem devovet taliter, ut propter Deum pati debeat sivè extus sivè intus, hoc verum Signum est divinæ Charitatis. Ideò contemtum & afflictionem propter Deum illatam debet homo tàm lætabundus accipere, ut se indignum passione eâ reputet, imò ut confestim se vertat humiliter in fundum suum longeminus de se tenendo, qvàm qvod alii faciunt; siqvidem per mansuetudinem hanc futurum est, ut alterius exstinguat iram sanato vulnere ejus, ipse autem non vulnerabitur. Hujusmodi defectus debet homo bonus superare semper mediante oratione Spiritûs, in qvâ & usq; ad finem perseverandum est. Continuam hanc pugnam contrà peccatum horrent multi, cùm vident velut in acie perpetuò standum esse & observandum callidissimi Spiritûs laqueos: attamen hi pertimescunt nihil, qvi suam pugnam & victoriam Deo imponendo hostilia tela excipiunt Scuto mansuetudinis & humilitatis, siqvidem tali modo vincunt cuncta impetuosa objecta, animoq; hilari suscipiunt propter Deum sustinenda tanqvàm nihil essent ea. Hæc arma sunt, qvibuscum resistunt insultibus diabolicis pariter & vitiis

tiis naturalibus, cum qvibus pugnandum eſt. Eſt autem non contrà Carnem & Sanguinem pugnandum, ſed contrà Principes & Poteſtates tenebrarum hujus temporis, contrà Spiritus malitiæ ſub Cœlo, ubi per parentheſin addendum eſt aliqvid contrà malè intellecta hæc verba, qvibus ſeducuntur, qvi miſeram Carnem ſpontè cruciant ſine diſcretione, pravâ interim fundi radice non evulsâ: hi ſimiles ſunt iis, qvi capite ſuo præſumunt muros arietare, cùm è contrario deberent ſua vitia pravasvè conſuetudines exſtirpare, non carnem occidere immodicâ caſtigatione.

Q. Cùm Principes tenebrarum Diaboli ſint, cum qvibus dimicandum eſt, dic annon Author noſter proferat qvoddam ſimile comparandi temporis & mundi perverſi Causâ? R. Habet aliqvid, qvod velut perquiris, ſimilitudinariè hisdem conferri poteſt, qvà dicit: mundanas Poteſtates ideò in eminentiori loco poſitas eſſe, ut optimates ſint, qvorum ad Exemplum totus componatur orbis: compertum contrà eſſe, qvod plures eorum ſint aliis pejores, referentes mulos & equos, ſubjugales Equitum infernalium. Dicit inter eos eſſe, qvi electos Dei filios tormentis afficiunt, qvi pacem tollunt & quævis adverſa Orbi terrarum ſuperinducunt nimio ſcilicet eorum faſtu, impuritate, injuſtitiâ, violentiâ, variisq; aliis Vitiis quibus indulgent clàm palàm, propter quæ ira Dei effunditur ſuper terram, nam propter peccata gravia permiſſu Dei cumulantur omnis generis calamitates in noſtram perniciem. Tenebras porrò extremas dicit Author noſter occupare quosvis mundi ſtatûs, id qvod ex vitâ tàm ſceleratâ pernoſcere licet, eò qvod pagani & Judæi, utut cœci ſunt, ſuo modo minus culpatè vivunt qvàm nos Chriſtiani, quos horum omnium nil pudet, nec pœnitet, quantumvis Chriſtiani tàm multiplici gratiâ & auxilio divino abundè gaudeant, quò vita reddatur pia, ut taceam pulcherrimam inſtructionem, ſanctam ſcilicet Fidem, doctrinam evangelicam, puram Vitam Domini Jeſu Chriſti & omnium Sanctorum. His non obſtantibus manemus cœci & vani, non intendimus nec amamus

mus Deum ſincerè, prout decet & par eſt; idcircò tandem futurum eſt, ut in noviſſimo judicio judicemur unà cum ſociis infidelibus, qvi cæci fuerunt in totâ Vitâ ſuâ.

Q. Annon & hoc judicium incipit in qvibusdam adhuc in tempore? R. Judicium ſuum experiuntur multi in tremendâ agoniâ eorum, cùm gratiâ expertes tunc manifeſtè ſentiunt, qvàm frivolè neglexerint fundum & ſtatum ad qvem à Deo vocati ſunt. Quodſi qvis ex adſtantibus judicium & angorem talium perſpicere poſſet, non ſuſtineret aſpectum etiamſi omnium cordatisſimus eſſet. Indè judicare licet, non eſſe Chriſtianum, cujuscunq; ſtatus ſit, qvi de emendandâ Vitâ non eſt ſollicitus. Nihilominus nil cernimus freqventius, qvàm qvod homines in Vitâ periculis plenâ tàm leviter perſiſtunt in peccatis mortalibus.

Q. Cùm autem contrarios his dari homines dixeris utut paucos, qvi ſcilicet evaſerunt has peccatorum tenebras ac Cæcitatem, qvi tàm à ſeipſis qvàm à cunctis aliis rebus totaliter averſi & in lumen Dei converſi ſunt, merſi qvoq; in ſuum fundum ſuamq; Originem, in internum ſilentium (qvietem omnium animæ potentiarum) per hoc ipſum præcipitando mentem ſuam in tenebras divini deſerti, qvod ſuperat omnem angelicum intellectum, ubi amittitur omnis cognitio, diſcretio, ubi nil aliud ſcitur, qvàm merus ſimplex Deus, ubi unum, Bonum eſt absq; ullo errore, dic, quæſo, qvid indè reportant, cùm Spiritus eorũ redit ad munia naturalia, num ſic à tentationibus pro futuro ſint penitus liberati? R. Ad primum noſcas, qvod hi, qvamprimùm ad rationis actum iteratò pervenerint, nil anteactorum cognoſcunt, quatenùs divinus hic tractus à ratione non poteſt comprehendi, qvia deſtitutus Ideâ, neq; hoc intelligere poteſt homo qvod eſt ſuprà omnes ſenſus, ſuprà rationem & intellectum, & ſuper omnem humanam Capacitatem. Ad ſecundum noſcas velim, per hoc non liberari eos à tentatione, qvibus familiare eſt armaturâ ſemper inſtructum eſſe ad dimicandum contrà Spiritûs malignos, qvorum ſubtiliores cæterisq; ad decipien-

cipiendum agiliores, cùm è qvibusdam ſignis, cognoverint beatos hoſcè homines fore in Vitâ æternâ occupaturos locum eorum, hactenùs ad ineffabilem invidiam ac odium contrà eosdem inflammati nullâ interpoſitâ morâ ſemper hoc agunt, qvò homines tàm ſublimes ad lapſum præcipites dent corporaliter & ſpiritualiter. Quod cùm non poſſint pro Voto efficere, inſpirant homini ſuperbiam ſpiritualem, cauſam ſcilicet lapsûs diabolici, qvò puter ſe eſſe Deum, & certè ſi qvis huic inſpirationi conſentiret perſeveranter, laberetur omnium periculoſiſſimè.

Q. Cùm & his eatenus Vigilantiâ opus eſt, dic quid tùm factu opus eſt, ne tàm profundè labantur, qui jam ſublimè conſcenderant? R. Oportet eos Scuto Sanctæ fidei eludere tela Diaboli, & galeâ Salutis, cincturâ juſtitiæ divinæ, Thorace Virtutum, gladio Verbi divini tanquàm firmiſſimis armis ſe muniendo tutos reddere, quoniam ſic eſt futurum, ut pugnâ validè inſtitutâ maligni hoſtium inſultûs retundantur, ipſiq; re benè geſtâ tandem proſperè eluctentur cùm dies mali appropinquabunt, quos certò adventuros noſcimus, cùm fundamentis mundi motis extremâ ruinâ cuncta miſcebuntur. Tunc tuti erunt, qui omni malo devicto reperientur abſconditi in Dei abysſo, cujus intuitu fit, ut iſti homines in ſuâ Vitâ quotidiè properent in hanc abysſum, alioſq; ſibi commendatos ſimul eò trahant. Ambulant, dico, permeando & remeando in momento pro totâ Chriſtianitate, hoc eſt, mox extrorſum ad exercitium Charitatis properando, mox iterum in ſuaviſſimam Dei abyſſum ſe præcipitando; ità qvicqvid accipiunt, reddunt ſuæ Origini cui debetur id omne, nec ſibi affectatò retinent aliquid. Hinc tales homines ſunt & vocantur Columnæ, quibus inſiſtit tota Chriſtianitas, & propter quos nobis magnis peccatoribus miſericordia impertitur. Et ideò quisquis labitur aut proſternitur, ſurgat, millieſq; de novo incipiat, donec in Veritate firmetur & ad æternam Salutis diem conſervetur. Is benè vigilavit, qvi ſemper benè incepit, & beatus prædicatur

homo quem Dominus vigilantem invenerit. Præparandus eſt homo ad adventum Domini, imò magis magisq; præparandus, cùm ſemper indignus ſit tantâ beatitudine: præoccupanti morti eſt obviandum omni qvâ poteſt præparatione. Qvaliter autem & poſſit & debeat, declarabitur paulò poſt.

Eſt autem præparatus homo, cujus interna ſpecies reſpondet externæ & viciſſim, magisq; præparatus, cujus interna in ſimplicitate ſuperat externam formam, qvam Deus ſcrutatur & contemplatur. Si Deus tremendus atq; timendus eſt, oportet nos ſanctos, puros & Angelis Dei ſimiles apparere. Huic interponit medium hominis propoſitum dimetiendo actum & potentiam adeoq; effectum qvemlibet ſi non mandato ſaltem viribus parem. Indubium ergò eſt fluxum progreſſûs & incrementi ſeqvi propoſitum velut initium cauſale. Qui cupit emendationem, indiget induſtriâ, induſtria autem qvà Vires ſolvit, multis ſubnoxia eſt obſtaculis: proindè ſit firmum propoſitum & quotidiè renovatum, qvo homo excitet ſeipſum & appetat Exercitium in Spiritu velut Stomachus cibum. Experrectus à ſomno ſolvat ſe à vinculo ſenſuum, tranſcendat cunctas potentias & ſuper omnes Ideas ſe levet, Deum reſpiciat & amet, curas, negotia, resq; alias tum & peccata cunctosq; defectûs conjiciat in occultam divinam Voluntatem, eiq; ſe committat ſimpliciter. Hoc qvidem opus internum eſt, ſed ſi ſub ejus occupatione neceſſum ſit exhibere opus charitatis, hoc eſt, infirmum juvare &c. tenetur facere hoc relicto opere interno, cùm poſſit fieri, ut Deus ei propinquior ſit in opere externo qvàm in contemplativo. Sic etiam facere debent, poſtquàm ſe noctu vel manè qvodammodò in eâ inverſione exercuerunt, ut ſubſeqventer in pace peragant qvod agere debent juxtà divinam Vocationem, aſt nihilominus debent obſervare Deum in opere externo, cùm certum ſit, ſub ſimili opere uni præ altero plus boni accedere, hujus reſpectu jubet Paulus laborare manibus, ut proximo egeno opem ferre queamus. Qvi taliter ſeqvuntur Deum qvocunq; eos trahit ſivè ad operandum ſivè ad quieſcendum,

dum, hi sunt qvi semetipsos abnegârunt, & jam non incipientes sunt sed progredientes. Qvisqvis autem est inter incipientes qvi se exercet, caveat sibi necessû est, ne tædium aut pigritia avertat animum ej⁹ ab exercitio, id namq; culpabile est ac detrimentosũ; econtrà curandum est sedulò ut certi qvid habeat qvod exerceat pro emendatione suâ, qvodsi pro exercitio defuerit tempus aut occasio, perpendat defectum, aliàs qvod manè proponit agendũ expendat Vesperi num expediverit necnè: quodsi considerer Verba, facta, imò & cogitationes, quibus diem transegit, comperiet se Deum pariter & proximum offendisse. Ei autem qui suam Vitam ad Dei gloriam transigere cupit, inprimis necessum est, ut singulis diebus manè accingat se gladio & armis contrà insidias maligni Spiritûs: nam sic futurum est, ut facilè vincat quascunq; Carnis cupidines; huc & inservit otii devitatio, cùm inter legendum, scribendum, orandum, meditandum, laborandum pereunt Ideæ libidinis, motusq; primi impetuosi supprimuntur. Quantum ad opera officiosa, ea sunt cum industriâ & sine dolo perficienda, quod restat temporis devotioni privatæ impendendum. Hîc etiam respiciendum est ad occasiones tàm sub officiis quæ variant, quàm sub servitiis Dei, cùm & in his quælibet exercitatio suum tempus habet, quo utilius, qvàm alio instituitur; idcircò quædam fructuosius peraguntur festis diebus, quædam non festis. Tempore quadragesimali est alia boni hominis exercitatio, alia natalitio, diversa quippè meditatio, diversa devotio ritum suum seqvens. Sic afflictionis (tentationis) tempore longè alia est hominis occupatio quam tempore pacis, cùm semper se immisceat humana dispositio cum perturbatione quidem si mœstus est, cum perfectione verò si lætus est in Deo. Tempore publicæ devotionis est seriò proponenda devotio: cùm in solemni festo celebrantur Ritus est renovanda Exercitatio & charitatis versus egenos exhibitio, de festo ad festum etiam est homini intendenda emendatio Vitæ ad normam perfectionis directæ. Hæc & sequentia spectant externum incipientem hominem.

Q. Qvo-

Q. Quomodò debet se gerere homo in officio aut opificio constitutus, qualiter etiam versari inter homines? R. Cùm quivis homo teneatur observare tempus & occasionem, quæ tùm expensioni beneficiorum Dei tùm etiam veræ pœnitentiæ inserviunt, est operæ pretium, ut malas devitet occasiones sicut & otium, quibus intercipiuntur piæ meditationes, & econtrario causantur stultiloqvia, verba scurrilia, joci, indeque decurrentes prævaricationes. Nam novitatis rerumq; in mundo gestarum aviditas, multiloqvium, exorbitatio &c. uti malum in se sunt, ità tempus rapiunt piarumvè exercitationum remorantur commoditatem. Hâc de causâ abstinebant prisci Sancti à conversatione, per quam compertum erat divinum Cultum intercipi atq; internam quietem, quæ summè necessaria est, perturbari. Nec hodiè deest ista Experientia, cùm in loquaci homine minimum divinæ servitutis observetur, observat etiam qvilibet seipsum non auscultare Deo, cùm homini confabulatur, qvin in colloqvio futilitatem deprehendet, si experiri cupiat. Cùm autem divinus cultus sit cunctis agendis præponendus, qvi nuspiam tutius peragitur præterqvàm in silentio & occulto, hâc ratione convenit devoto homini secedere à turbâ in desertum, hoc est, divertere debet in domum suam atq; silere, ibi nec ad Verbum, nec ad factum, cujus reddenda ratio sit, permovetur. Silentium & tranquillitas est occasio ad progressum & incrementum sine quâ non; siqvidem ad perdiscenda Scripturæ mysteria requiritur pax & tranquillitas: inprimis Deus ipse & sancti Angeli accedunt ad habitandum cum eo, qui à Consortio hujus mundi abstraxerit se, qvod ipsum longè beatius est qvàm patrare miracula sub salutis neglectu. Verissimum ergò conclusum est decere probum hominem rarius è domo prodire & conventicula pravorum hominum cane pejus & angue fugere. Turpis enim est oculorum cupido, qvia est incentivum tàm libidinis quàm superbiæ: præterea Voluptas oculorum est summa Vanitas, cùm citò ruiturus sit mundus, & qvicqvid in eo est & fit. In vanum aspicere cupimus, qvod

qvod vetitum est atq; damniferum, qvod vel exindè liqvet, qvod satiato appetitu fessoq; vagantium oculorum sensu mox tædium, cordis distractio & conscientiæ molestia subsequi soleat. Exempla sufficientia constant tristis lætitiæ exitûs: id enim affectus mutati in contrarium est gaudii mundani proprium. Quicquid in mundo pulchrum est, finitur inchoando: hinc stulta animi ad transitoria applicatio est & iterũ stulta, cùm non plus restet commodi post speciem conspectam, qvàm si eam Canis vel Asinus spectâsset, incommodi autem plurimum. Qvis est qvi non observet, se factum irrequietum qvotiescunq; rebus inutilibus aures præbuerit? Hodiè vel maximè negliguntur, qvæ antè omnia erant observanda. Sunt autem antè omnia observanda mandata Dei, observanda qvoq; est pœnitentia seria & continua, religanda qvoq; sensualitas extravagans, habitatio Dei est everrenda & expurganda, verbiq; filiatio in eâdem est sub silentio expectanda, qvæ omnia fieri nequeunt, dum homo mundana cogitat & sensibus otia linquit. Hodiè ferè omnia qvæ sensus demulcent, genioq; arrident, venduntur passim sub etymo Solatii neglectâ interim pœnitentiâ. Notandum verò ac ietrum notandum est, mundanum Solatium esse vanum, simulq; cum mundo abjiciendum, cùm tantùm imperfectis liceat expetere solatium eoq; solùm divinum. Notandum qvoq; est, nullum hominem esse unqvàm divino Solatio dignum, præterqvàm eum duntaxat, qvi pœnitentiam (animi contritionem) acerbam diu multumq; exercuit. Si qvis ergò est, qvi veram cupit pœnitentiam, eum oportet scrutari conscientiam, & qvà jam pridem quassatus est tempestatem mundi fugere. In cordis solitudine invenitur dulcis Vitæ vena, in nimiâ externâ occupatione nil nisi vitæ labor & dolor. O miseram, qvam accusare solemus, & tamen insontem Vitam, qvæ cunctis iis, qvibus conscientia curæ est, qvivè proficiunt in pietatis exercitio, præstat amicitiam solatio perqvàm utili, & hactenùs ipsa hostis est contrarium facientibus. Sanctorum pietas tribuitur Vitæ, qvæ ob id nobis imitanda proponitur, ne vitam inculpemus, qvam

Sancti eâ Voluntate conservabant, qvâ eam tradebant urgente necessitate. Quodsi consideramus statum nostrum, invenimus nonnullis Vitam sat gravem esse ac tædiosam ob metum futuri mali, aliis contrà gratam & levem ob falsam fiduciam: superbia & temeritas pravos reddit securos & qvidem modo tàm perverso, ut sibi in summâ malitiâ persuadeant abundantiam pacis, qvietis & securitatis non obstante exemplo eorum, qvi pro optimis piisq; habiti tandem tamen omnium gravissimè lapsi sunt, nempè ob eam causam, qvod sibiipsis nimium fiderant. Ecqvis enim eormm est, qvi nimium sibi fidunt, qvi non in horas singulas peccet? Etsi hoc, cur de qvo fidit sibi? Experientiâ sæpesæpius comprobatum est, qvotiescunq; aliqvis de suâ vel securitate vel progressu, quamvis ad proximi emendationem instituit sermonem, toties paulopost ex improviso graviter lapsum esse & qvidem tali peccato, de cujus evictione fidenter gloriatus est, ea qvippè erat pœna gloriationis. Nemo ergò sibi fidat, utut benè speret, cùm sit prospiciendum ne cadat. Ruinæ & offendicula per totam vitam circumdant hominem, & os inferni ubiq; hiat, & qvis scit, qvaliter adhuc vivente se tàm suus qvàm mundi status sit permutandus, cujus mutatione vel ipsa natura hominis mutari solet, imò & animus alienari. Uti exempla probant, sanctos olim nonnullos in senio lapsos fuisse; ità indubium est, & nostri seculi Sanctos possibiliter lapsuros esse, qvotiescunq; Deus manum protectricem subtraxerit iis. Undè ergò fiducia tantæ temeritati adjuncta? Nunqvid è codice sacro eruta? Haudqvaqvàm! nisi dicas ex malâ sensûs intellectione. Utut prisci Sancti Deo fidebant hilari animo, nihilosecius tamen semper timidi apparebant & qvò plus gratiæ obtinebant, eò plus timoris habebant, & juxtà Scripturam Deo in timore & tremore serviebant. Quod multi tentationibus affliguntur, ea ratio videtur subesse, qvod temerariè fidunt & in falsâ securitate vivunt, his utile est, si sæpè tentantur, ne nimium securi labantur in superbiam, nevè pro more suo levi de causâ Solatium externum quærant. Is namq; conscientiam servat

&

& pacem, qvi postpositâ transitoriâ lætitiâ mundivè curâ, Spe verò in Dominum positâ nonnisi divina contemplatur.

Q. Nunc porrò ostende, qvaliter qvis suo officio fungatur licitè? R. Idipsum docet justitia, æqvitas, fides, obedientia & humilitas, siqvidem harum virtutum & didicisse & excoluisse fideliter artes supponendum est. Enimverò si Regnum Dei & Justitia ejus anteponendum est cunctis mundanis rebus, in his virtutibus autem hoc Regnum constituatur, clara dehinc redditur debita officii administratio simul & ejus censura; siqvidem toto officii tempore intendere oportet, ne extrà sui officii reqvisita cogitet qvid aliud præter divina, id qvod etiam in ejus actionibus est observandum. Et quamvis multi ogganniant dicendo, hanc regulam non posse observari, lubrica tamen objectio eorum est, qvà potius testantur se nec unqvàm voluisse ne dicam incepisse ejus Observantiam. Nùm autem sint possibilia, aut impossibilia, qvæ sunt proposita, redditur planum per subseqventes observationes

1. Observatio. Homo Officio aut Opificio implexus tenetur actiones suas merè conformiter peragere mandato divino & humano, nec sub mancipio virium suam obedientiam obligare ad ea qvæ justitiæ, mandato seu Voluntati divinæ contrariantur, id qvod facere & non facere potest pro libero arbitratu suo: qvatenùs autem id liberè facere potest, tenetur etiam de jure humano præstare qvod potest, idcircò finitâ actione incumbit ei statim introrsũ se conferre, imò festinanter, ne curæ alienent animum & ad prava cogitandum proponendumvè seducant; sic namq; fugiet occasiones, qvæ intrà & extrà proventum Idearum promovent & speciebus onerant memoriam. Imò probè notanda est seqvens præcautiò, ne actionum suarum Ideas retineat in memoriâ, tantominus recolligat eas, utpotè in qvibus naturæ sensualitas se abscondit, novamq; suarum actionum licentiam & excusationes molitur, qvas S. Scriptura vocat excusationes in peccatis. Sunt autem hæ ubiq; nunc familiares admodum, qvod nemini potest esse incognitum. Nam visum

hominem mox in ſeipſum inverſum deridet alter, qvi & ip- ſuum neglectum blandè excuſat potiſſimum hâc ratione, q- alterum inſimulat ſuperſtitionis. Ab hoc peccato deſiſtere po- terat unus & alter, ſi mandato Dei præſtare obſeqvium, ſibi prudenter conſulere voluiſſet. Si glorioſus cogitat modum qvo ſuum poſſit dilatare dominium, ambitioſus, qvo ſuam extol- lere gloriam, avarus, qvo cumulare divitias, alius, qvo mune- rum acceptatione ſuum firmare ſtatum, mercator, qvo merces corrumpere, & proximum defraudare, alius qvomodo æs ali- enum contrahere, opifex qvomodo manufacta ſua extenuare, oblinire ac perpolire ſic queat, ne fraus maniſeſtò deprehenda- tur, vaniſſimè ſua excuſant facta, qvæ omnia in univerſum po- terant intermitti vel modo contrario perfici. Verùm tot ma- lefactis obſervatis penſitet aliqvis, qvàm malè in univerſum co- gitatum fuerit, ſi opera nonniſi in mente prius adumbrata ſivè delineata cognoſcimus: qvodſi à cogitatibus Voluntatem de- pravantibus abſtinuiſſent, tot actiones pravæ infectæ manſiſſent. Nunqvid autem à cogitatu tàm pravo animum revocare pote- rant necnè? Utiq; poterant, ſi mox à juſti operis actione, aut ſal- tem mox à pravi cogitatûs obſervatione ad Dominum intrò ſe contuliſſent. Verùm cùm animus ſemper agat aliqvid, quæri- tur meritò, qvid eo tempore agatur, qvo animus ad Deum in- trovertit, ad hoc reſpondet

2. Obſervatio, quicquid introverſus animus meditatur, fit in expectatione placidâ, deſiderio immanente, timore humili, an- nihilatione ſuiipſius & ſuppreſſione rationis, ſic & modus hujus conſuetudinis eſt conſtans ac permanens ſimplex, conatus verò arduus ac ſerius: enimverò ignavus animus non poteſt ratio- nem variiſſimis modis onuſtam ſubigere. Cùm autem & eos ten- tet ratio, qvos illuminatio interna nonnunqvàm præparat, con- fert nôſſe, qvaliter ſub hâc tentatione ſe gerere oporteat, ne quod in illis boni eſt præparatum, deſtruatur per ignorantiam, illis inſervit

3. Obſervatio, nimirum Cautio, ne multum attendant illumi- nationi

nationi neq; ſcrutentur num gratiæ an naturæ lumen ſit, ſed ſint contenti cum ſolo Deo ignoto cui innitantur. Diſputatio namq; errores cauſatur & tentationes, qvas homo prudens devitat cùm poteſt. Purus amor Dei ſecurus eſt ab omni falſitate, qvia ſincerus, diverſitatis incapax, & qvamdiu homo manet in hoc ſolius Dei amore, tàmdiu nil nocet ei, neq; excurſus, (eruptio) neq; præcipitatio mentis apparenter talis, quæ ſunt meditabundi animi accidentia. Non cures qvid hoc qvid illud ſit, & ſi per vices vitas ſollicitudinem, aſſueſces tandem Conſtantiæ & liberaberis ab excurſivo motu inſtabilitatis priſtinæ. Viciſſitudo ad tempus durat, ſi verò animus permanet in Dei amore, remittit tandem viciſſitudo, ſic ut conſtanter perſeveret in Viâ virtutis. Viciſſitudo hæc infirmitatis humanæ indicium eſt, & qvia talis eſt, non negligenda ſed probè obſervanda eſt.

4. Obſervatio, undè generatur ipſa veritas (mentis ſanitas). Nam ſicut febricitans habet ſuos paroxyſmos, qvibus vel ſingulis vel alternis diebus infeſtatur; ità & infirmus animus patitur morboſas ſuas acceſſiones qvibus alteratur & alienatur. Verùm tamen ſicut Calor febrilis exſiccat Corpus, idq; à ſuperfluis recrementis expurgat, undè acquirit firmiorem Sanitatem; ità qvoq; animus ab alternantibus vitiis motibusq; contrariis ſic exercetur, ut mundus tandem fiat inq; veritate obfirmetur: hoc ipſum autem per media & modos facilius procedit, nimirum, ſi homo continuat renovationem ſuam convertendo ſeipſum ſæpius & qvidem motu concitato cum omnibus viribus facto ſivè cum ſivè abſq; naturâ, hoc eſt, ex totâ animâ cum poteſtatibus ſupernis ſimul ac potentiis infernis.

Quod Chriſtus Petro reſpondens dixerit, remittendas eſſe fratri (proximo) offenſiones 77 vicibus, nil aliud per id indigatum conſtat, niſi nova gratia, lumen, virtus, ac puritas peccatoris toties renovata, qvoties peccator ab agnito peccato converſus pœnitentiam egerit. Idcircò ajunt aliqvi, viciſſitudinem hanc ſi millies de die facta fuerit, non eſſe contemnendam, ſed potiùs approbandam, cùm non ſolùm ad pugnam diſponat ſed

ad amorem incitet, tandemq; victorem efficiat Spiritum. Oportet autem istam Conversionem non esse ex Usu solùm aut ex Consuetudine. cùm sic nonnisi fallax esset, debet ergò esse in firmo proposito, hoc est, ex corde simplici, modo simplici, in fide simplici, in ipso Deo simpliciter, sine appetitu solatii, sine observatione illuminationis, id est, purè simpliciter. Nam eò respicit infantiæ simplicitas & ignorantia, quam Christus suis interminavit fratribus, siqvidem qvod infans nil curat, non opprobrium, non respectum, non suum non aliorum proprium, sed ludit suis crepundiis absq; discrimine nunc projiciendo pretiosũ, nunc capiendo minus pretiosum, nunc abjiciendo cuncta sibi porrecta, nunc quævis arrepta aliis dando juxtà Voluntatem nutricis nullo rerum pretio captus ad reservandum sibi aliqvid: infans prætereà non sibi prodest, non aliis nocet, neminem offendit, nulli blanditur, sed sicut intus ità foris, prout foris, ità intus est, absq; passione, affectibus aut concupiscentiâ, hoc est, simplici suâ quadrâ vivit.

Naturalem hanc infantilis ætatis simplicitatem proposuit Christus æmulandam, & propter rei gravitatem commendavit eam alio exemplo, cùm dixit: estote simplices sicut columbæ. Futurum enim est, ut ista Cordis simplicitas tàm egregia & tàm mira Bona producat in hominibus, qvæ jam in tantâ rerum perversitate nec comprehendere nec enarrare valemus. Tantò autem majus censendum est bonum è simplici corde prognatum, qvantò humanus animus per prudentiam redditus est aptior & potentior. Huc enim spectat altera citati dominici dicti pars, nimirum, estote prudentes sicut serpentes. Non rejicit Sapientiam Christus, cum exemplum infantis inducit, quasi ad meram puerilem ignorantiam sit deflectendum, qvin ea propter supposuit humanam prudentiam, cui sit superstruenda infantilis simplicitas Cordis, qvam deprehendimus absq; fuco, sine curâ quæstûs imò sine vitiorum è concupiscentiâ oriundorum inclinatione esse. Nam fieri nequit, quin per prudentiam simplex inclinatio ad rectum, justum & bonum sub Voluntatis bonæ

bonæ regimine deducatur in Actum ſuæ Cauſæ parem. Ut autem hæc à fidelibus Chriſti imitatoribus facilius queat perfici, opus eſt animum ſuum dirigant ad ſeqventem

5. Obſervationem, qvæ eſt, ut cuncta Opera, qvæ de neceſſitate ſunt expedienda, ſuſpendantur usq; ad id temporis Spatium, qvo natura ad altiores meditationes ſivè ad exercitia, quæ ſunt externis Operibus meliora, non eſt æq; apta, ſivè ſint de Officio legentis, ſcribentis, ſivè aliudqvid operantis, & ab his Operibus deſiſtendum eſt, quamprimùm neceſſitas ea non flagitârit. Tunc namq; confeſtim introrſum eſt properandum ad Deum. Sed in externâ Operatione non eſt poſtponenda.

6. Obſervatio, cùm homini incumbat attendere, qvantum & qvid ſibi à Domino permiſſum ſit operatu. Ut enim in omnibus modis & operibus humanis peccari poteſt; itâ proſpiciendum eſt diligenter, ne ſicut ſcriptum eſt apud Prophetam, qvis opus ſuum faciat fraudulenter, qvin potius ubiq; & ſemper divinam Voluntatem expectando conſideret, nec unqvàm eam deſerat nedum eidem reſiſtat. Qualiter id poſſit fieri, docet

7. Obſervatio. Homo eſt Chriſto obligatus antè omnia conſiderare quotidiè paſſionem Domini, é qvâ redemtio mundi, eoq; cavendum eſt, ne fiat modo uſitato, ſed evolutivo, devoto, in ardenti ſcilicet amore & deſiderio Dei profundo. Nam per paſſionis dominicæ evolutionem ſuccenditur amor, per amorem elevatur animus ad Deum, per elevationem cauſatur depreſſio (immerſio) eamq; ſeqvuntur rerum agendarum obſervationes. Dicat ergò aliqvis, num homo poſſit id facere aut non facere, ſaltem qvi naturalis aſt informatus eſt, ne dicam per DEI gratiam adjutus. Si qvis autem objiciat, hoc deſiderium non diu durare, ſed præ imbecillitate remittere, amorem qvoq; evaneſcere, ei qvid tunc ſit faciendum, oſtendit

8. Obſervatio. Si homo remiſſo amore velut ſomnolentiâ obruitur per modum viciſſitudinis, recolligendæ ſunt Vires in amore pro amoris renovatione, ſiqvidem futurum eſt, ut homo inverſo modo ſeipſum iterum abjiciat & in amorem Dei de-

demergat corde ſimplici. tunc Deus in eo amat ſeipſum per amorem ſuum, ſi homo præ imbecillitate nunc atq; iterum amare ceſſaverit.

9. Obſervatio. In hâc interni Actûs viciſſitudine patienter tolerandum & accipiendum eſt id omne, qvod Deus dederit ſivè ſit Lumen ſivè obtenebratio, cum vel ſine ſenſatione, per tractionem vel per impulſum, ſivè per ſilentium ſivè per nihil, tantumq; huic Verbo innitendum: operare Domine ſecundum Voluntatem tuam.

Q. Cùm elevatio & depreſſio, quæ modi ſunt ſibi oppoſiti, hîc identificè prædicentur, annon hoc fit cùm ſummâ rei confuſione, cùm & periculum ſit tantò grandius, qvantò profundius eſt intervallum ſupremi & imi? R. In naturalium ſphærâ id ità ſe habet, non ſic in ſupernaturalibus eſt: qvia infinito non datur terminus finiti. Utimur autem etymo elevationis & humiliationis in ipſo animi actu inverſivo & extraverſivo à ſimilitudine deſumto, tametſi talis animi motus ſit ſupernaturalis. Quocunq; enim ſe movet animus ſivè extrorſum ſivè introrſum, impellit Deum, imò in eo perſiſtit citrà modum in ſummâ tranquillitate: motus autem prædicti non ſunt confuſi ſed diſtincti, attamen ſine intervallo, cùm Mens ſit intrà ſuos limites ſemper concluſa, ut ſivè exerat ſivè concentret ſuas poteſtates, nunqvàm tamen ex alieno loco in ſuum reſultet circulum, nec extrà eum feratur, qvia in qvo deſinit Deo, in eo incipit non obſtante tugurio Corporis locum ei deſcribente. Hoc modo poteſt eſſe, ut homo ſtatim ac ad ſummum imperii Thronum elevaretur, deſideraret ſubmitti homini abjectiſſimo, idq; deſiderium nec ſpatio loci nec temporis indiget intervallo: qvin & hoc genus deſiderii confeſtim linquere poteſt, & acceptare externam exaltationem cum debitâ gratitudine ſimul & cum animi gaudio, qvod & ipſũ rurſus linquere poteſt, conſentiendo ſoli voluntati divinæ in omnibus qvæ Deus adjicit ei. Hâc de causâ conſtans & immotus ei eſt animus ſub rerum viciſſitudine, pariq; affectione perfert dignitates, opprobria, lætum vel triſtę accidens, nimirùm in

ſibi

sibi gratissimâ Dei Voluntate. Præfati motus Voluntatis non tollunt constantiam animi, qvoad sunt sibi conformes, subseqvutivi, qvi assimilantur scintillantibus solis radiis tranqvillo æquore hinc indè subsultare visis. Ad hunc modum præparati esse debent animi omnium fidelium, qvantumcunq; suis prætextibus insistant obstinati.

Q. Dic qvaliter se gerere deceat hominem tunc, cùm in eo consurgit desiderium operandi qualecunq; Opus bonum aut celebrandi ritum, si tamen deest ei potestas, tempus aut facultas agendi? R. Eò qvod non est ei facultas operandi, considerandum est ea opera non esse potestatis seu proprietatis ejusdem, sed esse DEI, imò sic DEI, cùm ea videt per alium facta, acsi ea ipse peageret: quapropter sicut actuali operario convenit peractum opus Deo adscribere, idq; rursus ei cum timore & gratiarum actione offerre; ità desideranti convenit, quamprimùm sentit negatum sibi esse qvod optat, id est, operis boni tractationem, ilicò desistere ab optatu, suamq; voluntatem tradere divinæ. Enimverò si homini complacet manere in eo loco, tempore aut opere ad qvod à Deo se destinatum sentit, indubitatò credat, per bonam Voluntatem, comprimis si ea perfecta sit, se cuncta coràm Deo perfecisse, qvæ facere desiderabat. Qvodsi homo optat operari bonum multum & magnum, quamvis nullâ aliâ de causâ id expetat, præterquàm ex desiderio actionis propriæ, qvis non pervideat hoc desiderium esse occultam ambitionem aut aliqvam sui meriti æstimationem, qvatenùs sine hâc non est tàm grata cujusdam operis molesta patratio: verùm cùm omnis proprietas longè abesse debeat ab homine inverso, longius adhuc debet removeri optatus cujuscunq; boni creati, qvod Deus eidem non contulerit, etiamsi aliundè conqviri poterat. Nulli prorsus Creaturæ est locus concedendus in mentis gremio, cujuscunq; generis sit sivè masculini sivè fœminini, nisi in quantum Deus ibi invenitur. Unum eligat homo necessum est, & alterum rejiciat; si Deum recipit, evacuet animum à modis sibi assuetis. Adhæc inservit

R. Obſervatio. Quandoqvidem homo nullum ergà Deum in ſe ſentiat amorem, tenetur tamen diſcere amorem per media eò conducentia, diſcat amare Deum totâ mente, hoc eſt, ex intimo fundo vero, bono, nec hoc ſolùm, verùm & ſub externâ continentiâ, quæ hodiè eſt valdè abjecta & obſoleta: hæc cùm adeò exola eſt mundo, necnon à ſolis egenis & ſpiritualibus Viris præſtatur, convenit hîc eam commemorâſſe, ſi fortè memoria ejus moveat aliquem veram humilitatem mundanarumq; larvarum contemtum exerere ſimul per externum Corporis habitum, per veſtitum, geſtûs, inceſſum, per Verba & actiones, quatenùs futurum hinc eſt, ut Lumen Virtutis elucens per ambitum ejus illuminet alios ſemipræparatos, qvibus nonniſi cultura deeſt atq; doctrina ab exemplo deſumta. *Enimverò* nonnunquàm exemplum humilis veſtitûs, geſtus, *inceſſus* pro more manſuetudinis plus docet & corrigit, quàm ipſa verbalis diſciplina. Exemplaris iſtiusmodi forma eſt ſacerdotio concredita, eoq; in hodiernum diem adhuc conſpicua ex parte, ex parte dilapſa. Qui bonus eſt, cuncta convertit in bonum, vel ſi non valet convertere, ſaltem ſeqveſtrat prudenter verum à falſo, bonum à malo.

Q. Superiùs feciſti mentionem damni incomparabilis, qvod emergit ex hæſitatione ſivè progresſuũ neglectu: nunc dicas velim, qvid cauſæ ſubſit impedientis, qvo minus homo intentet progreſſũ, eoq; (ut in multis obſervamus) tàm vanus & vacuus maneat, tantoq; fruſtretur theſauro, qvi Cœlum terramvè pariter ſuis adimplet divitiis? R. De causâ impediente probè notandum eſt, eam conſiſtere in merè quotidianis defectibus, qvi frigori comparantur æſtum charitatis reſtinguenti, ſic namq; diſpergitur Cordis meditatio, pellitur devotio, Solatium S. Spiritûs adimitur, amicitia Dei amittitur. Et quamvis defectus tales ſint tantùm qvotidiana venialia peccata, qvibus Dei gratia non prorſus ejicitur, nihilominus tamen ingens damnum inferunt, qvatenus non levem anſam præbent perdendi gratiam & in peccata mortalia relabendi.

Q. Quo-

Q. Quotuplex sunt tales defectus? R. Duplices: sunt enim vel perseverantes vel accidentales, omnes autem æq; valdè impedientes, qvomin9 Esca cœlestis, Deiq; im̃ensæ divitiæ acqvirantur.

Q. Nominatim trade, quid sentias de perseverantibus defectibus? R. Defectûs perseverantes ajo esse eos, cùm homo volenter scienter deditus est Creaturis, adhærendo iisdem cum sensu Voluptatis, cum desiderioso corde, cum perceptione Sufficientiæ, qvibus scilicet afficitur ad exultationem usq;: defectus hi sunt peccata quotidiana, qvæ Doctores his exprimunt Verbis dicendo, cunctas cogitationes, Verba & Opera, quæ non prius à rationis judicio ordinantur, esse peccata quotidiana. Ut autem id qveas distinctè intelligere, scito, sic esse eos defectûs, qvod homo non vult propter Deum deserere Creaturas & quæ ab iisdem procedunt suavitates. Sic autem Creaturæ occupant in homine præcipuum locum qui Deo consecratus est, qvâ ratione DEUS non vult in eo habitare & operari. Diligenter hinc observandum est, ubi in se qvid deprehendat, annon & ipse sit factus talis possessor per ordinem naturæ inversum, per amorem ergà amicos, ergà suam substantiam, per complacentiam sui moris & instituti: Qvis, qvæso, patiatur hodiè, si quid objectum sit in contrarium, qvod potius comtis Verbis non excuset? Quid qvod inter eos, qvi Christiani volunt esse, freqventius nil conspexeris, qvàm quod qvaliscunq; statûs & conditionis homines sint penè insatiabiles, eò quod non contenti sunt cum eo, qvod Deus largitur iisdem, qvin potius nervum animi eò intendunt, ut corradendo multa multis augeant. Prætereuntibus dictorum fidem faciunt exstructa palatia, quæ insuper fingendo, pingendo varimodè exornant juxtà varium eorum qvi ædificant desiderium; sed quid indè pendet? Nova sensuum discriminatio: si pocula deficiant & aliâ Vasa argentea, deerit proportio rerum. Sed & mos modusvè reqvirit pulchras Vestes, diversas, pretiosas, qvidsi deficerent fercula magni pretii, gulæ deliciæ? Sine his non esset Voluptas consum̃ata, qvæ tamen quotidiè in cunctis rebus qværitur.

Q. Dic qvid indè seqvitur? R. Per hæc & similia fortificant peccata qvotidiana velut cincturâ antemurali. Cogita qvàm procul distent hujusmodi defectûs à gravioribus mortalibus peccatis internis & externis, qvæ aliàs hominem ex improviso corripiunt, qvi anteqvàm observet, labitur in ea. Et nihilominus non verentur ea palliare, sivè glossando defendere, cùm dicunt, status meus exigit, ut talia habeam, qvalia habent mei similes, ne me ridendo spernant, non puto tàm facilè nocitura esse, qvia non impediunt qvominus Orem & Missam qvotidiè audiam. Quasi nihil impediant gulæ, oculorum, ventris illecebræ, ludi, joci, confabulationes, familiaritates, choreæ &c. dummodò in Dei conspectu lectæ sint orationes sub intermixtis curis de tempore post pastum terendo, jucundavè sodalitia eligendo.

Q. Si hæc à teneris ad senectutem usq; scienter, volenter, exercuerint, dic, quæso, an facilè non noceant, an nihil impediant? R. Imò hæc est qvam impedimentis pandunt Via, qvæ tantò liberius intrant in eos, qvod stratam inveniunt Viam, nactâ ibi perpetuationis occasione fiunt tàm intima iis atq; essentialia, ut omnem desuper excludant conscientiam. O qvàm fortificant sic & exaltant propugnacula, undè fit, qvod Opera Dei nunqvàm iis veniant in conspectum, qvalitercunq; se exerceant. Benè ergò notes velim, qvod qvantum id est, qvod Creatura implet, tantum oportet Deum recedere cum suâ gratiâ.

Q. Jam, qvæso, dicas etiam, qvid comprehendis sub titulo defectuum accidentalium (fluxilium (qvi non sunt perseverantes, sed citò transeuntes? R. Tales eorum sunt hominum, qvi Creaturis non serviunt nec sunt ab ullâ earum obsessi (capti), qvi potius paratos se semper inveniunt deserendi id omne, qvod intus cognoscunt esse relinqvendũ juxtà Dei Voluntatem, qvicqvid demum sit sivè homines, Amici, sivè bona &c. Hi tamen non sunt tàm circumspecti prout esse debent, hinc etiam accidit, ut facilè vincantur à propriâ naturâ & naturalibus defectibus, ad qvos referuntur ira, superbia, acedia, Verba frivola vel nugatoria &c. sic qvamprimùm fortè horum causa data fuerit, confestim

festim fit transgressio sivè ea fiat in qvalibuscunq; Verbis minacibus, immodicè reprehensivis & aliis, sivè in victûs plenitudine, nimio Cibo ac Potu, sivè in hilaritate sivè nimiâ sollicitudine, sivè qvacunq; aliâ vitiosâ moralitate.

Q. Quodsi è recensitis defectibus sint aliqvi (qvod nonnunqvàm solet fieri) qvi in gravitate præponderant defectibus perseverantibus, de qvibus antecedenter dictum est, dic annon his plus impediant illi? R. Dummodo sub infirmitate, aut aliàs ex improviso naturaliter erumpant, ità ut puro fundo id malum accidat (quamvis præmentionatis sint graviores) longè tamen minus impediunt, eò qvod citò desinunt. Nihilosecius tamen & hi obsistunt plurimum acquisitioni cœlestis Escæ, putà qvoad modum Unitionis, præterea qvoq; minuunt fiduciam ergà Deum, ne dicam, qvantum dispergant animum, qvi dehinc suavissimæ influentiæ clarissimi Luminis incapax redditur.

Q. Dic qvaliter id qvod subitaneo sub impetu deficit si non tàm noceat, in integrum restituatur? R. Id potest fieri mediante instantaneâ amaritudine (contritione) Spiritûs, siqvidem per eam purificatur & ceu limâ rubigo defectuum magnâ ex parte abraditur.

Q. Annon in malè ordinatâ Naturâ, puta in somno & nimiâ satietate consistit aliqvid impedimenti? R. Imò multum: nam uti à copiosis ingestis oneratur natura, ità ab hâc oneratur Spiritus. Annon Vinum facit amentes? ità & Cibus immodicè ingestus aggravat Corpus, mutat mores, Somnus longus reddit sensus torpidos, mentisvè aciem obtundit. Et qvis hæc omnia impedimenta in Vitio naturæ sita non ipse perspiciat? Deceret itaq; hominem, cùm cibum sumit, simul trutinare, qvantum liceat edere, ne natura gravetur, qvoniam hoc sapientis est, qvalis homo aliàs esse debet. Hæc sunt obstacula, qvibus cœlestis cibus, divina influentia, summus thesaurus impeditur, quominus patenter adsit. Omnia quippè Vasa, qvibus Deus ineffabilem suam sanctitatem infundere debet, debent esse mundissima: qvoniam & mirabilia, quæ Deus in limpido, mundoqvè

fundo operatur, item qualiter purificatus homo suprà seipsum, & suprà omnem humanum modum trahitur in Deum ad Unionem, superant humanum & angelicum pariter intellectum. Et cuncta hæc miranda & mirabilia possemus cum eo & in eo invenire, dummodò introversi qvilibet ad seipsum observaremus gratiam Dei in nobis.

Q. Cùm autem id non faciamus, sed potius extraversi animo & sensibus excurramus, & spatiemur nunc hoc mox illud cupiendo aut faciendo, annon pusillis hinc & imprudentibus, non Viris & Sapientibus assimilandi sumus? R. Id certè hîc fateri oportet, quod adhuc pueri insipientes sumus, qvi tamen sapientes Viri debeamus esse. Viri, dico, debemus esse robusti, qvoniam oportet se gerere viriliter, hoc est, collecto omnium Virium robore, oportet se viritim seu violenter & liberè avertere à cunctis Creaturis conversione simul ad Deum Creatorem factâ, sic ut in totâ nostrâ Vitâ respiciamus Deum tanquàm finem novissimum, & ut vivamus Deo, non nobis & creaturis. Sumusnè tales? Nil minus: pueri sumus, si nondum Viri sumus, qvi qvasi Zelum Dei habere videntur. O qvàm exhilarabis tales, si quid mundus novi habet, ocyus communices eis, si prodas qvid hic quid alter dicat, qvid qvod ipsi non desistunt garrire, & qvid hic qvid ille faciat effutire. Annon hæc & similia inferunt pravas imaginationes in sensus, mentemvè obnubilant, ex Viro puerum, è sapiente stultum efficiendo? Tu ipse pro me respondeto. Quidquod pusilli tales, qvi nihil Virilitatis obtinuerunt, non possunt tolerare alios, qvi abjectâ tàm pravâ consuetudine potius Dei curam habent, qvos insuper oderunt ac perseqvuntur aut sicut stultos contemnunt. Potestnè esse qvid abominabilius, quàm qvod tàm temerè gratiam Dei profanamus?

Q. Quotidiana experientia docet, omnes qvi volunt in Christo piè vivere, perseqvutionem pati debere, dic ergò, qvid his conveniat facere, ne seducantur? R. Oportet probos homines fugere eos, qvi sunt iisdem tàm contrarii, mundani, Osores; qvin & oportet vitare loca, ubi eosdem inveniant. Tecum habita

bita in tuo conclavi expectando Deum ejusq; sanctissimam Voluntatem, cui obsequaris.

Q. Quodsi Voluntatem Dei homo nesciat, dic ubi eam noscere discat? R. Si velit potest per se discere eam sine Magistro, dummodò hactenùs meum sequi velit consilium qvod tale est. Multa objiciuntur homini Opera tùm facienda tùm intermittenda, id qvod etiam de modis intelligendum est, ubi dum homo sæpè nescit, qvid eligendum sit, (faciendum vel intermittendum) sistitur in bivio. Necessum ergò est, quotiescunq; contigerit hoc, observet seipsum statim, qvia tunc sentiet unum naturæ esse acceptum, alterum inacceptum, aut si non adversum, erit tamen ad minimum unum acceptius altero. Fiat ergò conclusum hoc longè verissimum, Quodcunq; naturali inclinationi vel maximè contrarium est, tutissimum est; econtrà ad quod natura vel maximè propendet, id minus securum est. Hinc qvo qvis magis vivit juxtà naturæ desiderium, hoc minus vivit Deo & Voluntati ejus, & qvo minus vivit juxtà naturæ desiderium, hoc magis vivit Deo & Voluntati ejus. Mors naturæ est vita Spiritûs: ut ergò Spiritui magis possis vivere, discas naturæ magis magisq; emori, id qvod Apostolo est, non obedire naturæ cupiditatibus.

Q. Quot genera inveniuntur hominum proborum? R. Duo: Unum est eorum, qvi à naturâ tàm benè ordinati sunt, qvin etiam mediis occasionalibus per Vitam suam sic adjuti, ut penè nullos vel admodùm paucos patiantur defectûs, hinc vivunt ab omni conflictu liberi & tranquilli: Verùm præmium talium hominum non est æquè pretiosum atq; eorum, qui dimicando pro gloriæ diademate devicerunt tentationes heroicâ Virtute. Alterum genus eorum est, qvi à defectibus externis ceu causis occasionalibus tentantur ac moventur ad iram, libidinem, avaritiam, ambitionem &c. Verùm hæc omnia sunt carnis Vitia, quæ superant per Spiritum, dum ignem concupiscentiæ suffocant Virtutum altiorum adminiculo: hi, quatenùs à Carnis potentiis non permoventur ad consensum, ideò etiam detestantur

tur

tur iram, superbiam, & alia omnia peccata. Nunquàm voluit ea patrare ullo modo, ideoq; ab hâc Voluntate carni adversâ procedit conflictus Spiritus & Carnis, cùm tentantur, non obstante peccato qvod in naturæ statu pronascitur antequàm Voluntas assenserit, & tunc non imputatur iis peccatum eò quod citrà assensum fuerit; qvin potius Victoria iis manet ob animi Virtutem, quâ repugnârunt animæ sensitivæ potentiis Spiritum potenter ac rabiosè invadentibus. Tametsi sic peccatum inhæreat Carni, non tamen potest contagio suo Spiritum alienare. Tales homines placent Deo, quatenus nobiliorem exerunt virtutem præ reliquis, virtutem scilicet perfectionis à conflictu provenientem, qvam Scriptura dicit in imbecillitate, id est, pugnæ perfici.

Qvi lenocinio Carnis pelliciuntur, non sunt solliciti de hâc Victoriâ, inprimis Verba pugnæ, meriti & perfectionis devolvunt ad solum Officium Redemtionis, qvasi jam sit defuncta sequela Vitæ Christi aut prorsus merito Christi præjudicans, & hinc prætexunt solius Fidei efficaciam in contradictionem perfectionis & in protectionem Carnis, quo respectu aut procul à tentationibus esse aut luxui Carnis indulgere malunt, nunqvàm tamen cupiunt tentationis quidditatem, necessitatem & utilitatem cognoscere. Verùm divinus homo periculosæ huic atq; damnabili opinioni in totum contrarius est, ut qvem sensatio erudit nôsse, qvid sit tentatio, is quoq; è gloriâ coronationis agnoscit utilitatem tentationis, necessitatem verò è præscriptione certaminis, imò ex ipsâ conductione inpugnam. Nam quia non coronatur, nisi qvi legitimè certaverit, neq; Victoriâ potitur, nisi qui conflictatur viriliter, per id haud difficulter probatur tentationis necessitas. Inprimis propudiosum est expetere coronam sine certaminis Operâ, periculosum verò pugnare absq; armis: nostra verò Vita comparatur militiæ, qvatenus ea tentationum plena est, idcircò cùm sæsæpius tentationes nobis videantur excedere modum & mensuram virium nostrarum, est operæ pretium, non solùm nosipsos, verùm etiam observare media,

media, qvò Deo coadjuvante vincamus tentationes. Noſcat autem qvilibet neceſſum eſt, toties glorificari Deum, Angelos qvoq; ſimul exhilarari, qvoties pugnando Victores tentationum evadimus: nam qvantumvis multi ſeipſos illaqveant per id, qvod vident hominem naturatenùs tentari à Cupidine & inclinare ad pravum qvoad ſibi dehinc prætextum ſumunt dicendo, ſe nunqvàm poſſe immunes à Peccato eſſe, hâc tamen ratione non eſt Peccatum ea naturæ inclinatio: nam hi decipiuntur ab inſcitiâ & indiſtinctione, qvatenùs non conſiderant inclinationem ad Peccatum qvà talem non eſſe ipſud Peccatum, ſed naturalem & non imputatum defectum, Peccatum verò eſſe vel actum vel aſſenſum peccati, qvapropter eſt magnum diſcrimen inter cogitationem & cogitationem, ſiqvidem cogitatio immunda (iniqua) Peccatum eſt potentiale ſi Voluntas conſenſerit ſub actu propoſiti, econtrà ſi Voluntas non aſſenſerit ei, non eſt Peccatum, nec diu moratur in animâ, cùm viſo auſtero hoſpite adventum ejùs averſante ſtatim recedendo evaneſcat, ſecùs qvàm fit, ſi hoſpiti ſe gratam deprehendit, qvia non cedit tunc, donec conceptus ad enixum pervenerit.

Q. Annon ſunt qvædam cogitationes v.g. impuritatis, odii, ſuperbiæ &c. qvibus non diu im̃orari poteſt anima ſine Peccato, tametſi homo non inclinet ad patrandum cogitatum opus pravum, cùm ipſa cogitatio una plus minus aliâ alienet animam irritando ad pravam inclinationem, moxq; ad aſſenſum? R. Id qvidem ſic eſt, & hâc ratione hortatur Scriptura fideles, qvo ſe examinent proſpiciendo, dum ſtant ne cadant. Qvi jejunio, vigiliis & orationibus fatigat Corpus, pravitates cogitat rarius, qvodſi qvid fortè cogitat, non diu ſubſiſtit cogitatus præ animi ſeverâ inſpectione, cujùs ope ſuffocatur ilicò: hoc fine non ſolùm ſuaſum eſt jejunium à Chriſto & Apoſtolis, verùm etiam ab Eccleſiâ inſtitutum; ſecùs comparatum eſt cum iis, qvi genio ſuo utcunq; indulgendo ventrem ſaginant, tantum enim abeſt ut abſq; peccato diu cogitent impuritates, ut potius continuò peccent continuò cogitando prava. Nam ſatiato ventre non ſolùm

vigent sensus, qvibus mediantibus intromittuntur in animam Species objectorum (uti in primâ hujus libri parte ostensum est), verùm & intus cuduntur infinitæ Ideæ animum alienantes ob inordinatum ac procellosum motum, qvem Vigor Imaginativæ causatur. Et sic qvidem variat Judicium de Cogitationibus juxtà diversissimum vivendi modum, hinc dicere solemus, de occultis non judicat Ecclesia, qvatenus secretus vivendi modus soli Deo & homini cujus est, cognitus est, qvia nemini aliàs: ast S. Ecclesia sano suo & cunctis utili consilio suasit qvid facere qvis debeat qvid intermittere, ut à Peccato liber sit. Si carni molestiam inferre nolumus, eas Caro nobis reddit gratias, ut simus inepti ad pugnam, ut carnis potestati semper maneamus subjecti, indè fit, qvod si qva propter peccatorum multitudinem & injustitiam culpamur, blandiendo nobis falsò præteximus Carnis imbecillitatem, efficaciam Fidei & multam Dei misericordiam, cùm è contrario Caro sit fortior qvàm esse debet, nimirum satis potens ad captivandum Spiritum. Verùm si Carnis potentiam qvalicunq; modo debellamus, sivè subtractione alimenti, sivè refectione Spiritûs &c. longè aliter loqvimur tunc, inprimis confitemur lapsus & defectûs, qvos corrigendos proponimus, veniam petimus, meliora cogitamus, pugnamus & qvæ pugnando non possumus vincere, allato pede fugimus. Uti peccatum aliud alio majus est; ità & cogitatus alius alio perniciosior, cui deest remedium, ei concessa fuga est. Qvamprimùm enim homo advertit cogitatum pellicere Voluntatem, opus est, ut omnem adhibeat operam, qvo suffocetur ocyus, & tunc consultum est ei, cùm victor evasit præveniendo hostem à longè conspectum. Sed hîc observet aliqvis seriò, qvod omnium nocentissimus hostis est cogitatus libidinis, qvem nemo facilè vincere potest, qvantumcunq; pugnet; sed cape artificiũ: potest æquè benè vinci atq; ullus alius & semper & ubiq; vinci potest ab homine circumspecto non qvidem armis ac animositate vel fortitudine, sed sine his omnibus, solâ fugâ. Quamprimùm hunc hostem à longè conspexeris ad fugam te recipito, qvia

qvia si propius eum patiaris accedere improvidè, ligabit te fascino, imbellemq; capiet indubitanter, id qvod probè notandum est, qvia à multis multo cum damno compertum. Cuncta vitia possunt pugnando superari excepto solo hoc: qvapropter si homini liceret liberum esse à tentatione & inclinatione carnali, non esset cur id desideret, qvoniam qvi non tentatur incurius est in suis actionibus sine metu sineq; periculo, & hactenùs coronâ eâ, qvæ conflictanti solùm proposita est, caret. Econtrà is est fortissimus Heros, qvi vincit seipsum per subactionem peccati. Sed alibi dictum est de Utilitate, qvam sibi homo sapiens etiam ex vitio & peccato extrahit, qvod hoc loco videtur repetendum. Nam per inclinationem sivè per primum motum ad vitium ex opposito sistitur Virtus in animo, cujus valentiori vi excitatur homo ad capessendam observantiam Dei & suiipsius majori cum sollicitudine, qvod probè observandum est: nam accuratissima observatio pravæ inclinationis obfirmat hominem in Virtute, sicut neglectus ejus obfirmat incurium hominem in vitio; qvisqvis autem se nimis infirmum reperit in observando tàm vitiosam propensionem qvàm devictionem tentationum, is tantò magis observet opus est gratiam Dei, per qvàm impetret qvod deest ei. Nam tantò nobilius est habere potentiam ab ipso Deo, qvàm à seipso, qvia taliter subsistimus in Voluntate ejus, non in nostro optatu. Nunqvàm autem tutior est aliqvis, nisi cùm Dei est, qvia tàm tutus est tunc atq; ipse Deus, eoq; & ipse Deus est tali homini magis proprius qvàm ulla Creatura qvam unqvàm possedit.

Q. Nihilnè habes amplius de defectibus, cùm tamen paucissimi homines vivant absq; iisdem? R. Si vis considerare plura, plura hiscè habeto. Defectuosi sunt vel internè tantùm vel etiam externè tales: Horum defectus extrorsum protruduntur, qvà convertuntur ad vanas Voluptates & mundi gloriam: hi omnium vanissimi homines sunt, eoq; relinqvendi suo prognostico. Quorum autem defectus occulti sunt ac interni, hi sunt considerandi juxtà defectus, qvorum

eſt magna diverſitas. Tres tamen ſunt omnium graviſſimi, dehinc præ cæteris perpendendi, eò qvod reliqvi omnes non ſunt his æqui parandi. Primus eſt malè ordinata triſtitia, quâ homo per intervalla tanto mœrore afficitur absq; cauſæ notitia, ut qvò ſe vertat, vel qvid faciat, neſciat. Triſtitia ea non eſt profecta ex animo, ſed è vitiosâ Corporis diſpoſitione, & causâ pravâ naturali ſivè congenitâ ſivè acquiſitâ: afficit tamen & ipsũ animum per accidens impediendo hominem ſic, ut à propoſito bono deſiſtat. Quodſi verò animus adverſus afflictiones paratus Deoq; deditus eſſet, ſub cauſæ morboſæ præſentiâ pateretur Corpus immoto ſtante animo, intrepido atq; in Deo conſolato. Remedium ejus hyperphyſicum eſt contranitentia animi, animoſaq; inſultantis hoſtis expugnatio, reſumto ſcilicet vigore virium expaſſione Domini ſibi applicatâ.

Alter defectus eſt immoderata puſillanimitas, cujus cauſa eſt manifeſta, qvà ſcilicet homo noſcit diſcernere inter cauſam & effectum ejus, qvà & agnoſcit ſe non eſſe præparatum juxtà Voluntatem Dei, ideò volvit ac revolvit meritum, pœnam ac paſſionem à Deo transmiſſam homini. Verùm iſta perpenſio eſt immoderata ſeu modum excedens, id qvod non debet eſſe, quatenus concuſſus per eam animus vileſcit.

Tertius eſt inexpugnabilis deſperatio, eſtq; gravior, ac intolerabilior tentatio, qvàm ab ullo inexperto credi poſſit aut concipi. Miſerrimi ſunt hominum, eoq; omnium compaſſione digni, quoniam, quamprimùm durisſimâ ſub pasſione parum reſpirare cupiunt ad Deum converſi, afficiuntur adhuc acerbiori paſſione, id eſt, pravis adverſus Deum cogitationibus. De hâc tentatione prædicatur gravitas vel magnitudo ob immenſam torturam, quâ anima cruciatur, non autem quà animam perdit, quatenùs animæ nocere neqvit, dummodò ſeqvatur Victoria. Id genus tentationis quadruplex eſt, primum ſunt ſcrupuli ſeu dubia in fide, ſecundum eſt diffidentia in Dei miſericordiam: tertium ſunt incidentes adverſus Deum & ſanctos ejus cogitationes: quartum eſt tentatio enectionis ſui. In horrendas

rendas hasce tentationes possunt incidere homines, quibus non est sufficiens cognitio 1. Dei 2. peccati 3. pœnitentiæ, de qvibus suis locis tractatum est. Remedium ergò tales capiant è sufficienti instructione, quæ Lucis adinstar est, quà se è suis tenebris evolvant, dummodò eorum animus sincerus sit. Quisquis enim cognoscit, quis qvalis Deus est, non potest desperare. Est autem evidens talium hominum defectus qvintuplex, utpotè

1. quod non sunt absolutè recti (integri) & hinc in talibus casibus non credunt nec fidunt iis, quibus tenentur credere, undè etiam augetur eorum suspicio, sic ut potius credant quæ augent Suspicionem, quàm quæ solatium afferunt. Id omne provenit à multiplici cordis afflictione, qvâ incessanter afficiuntur, communiter ergò sibi quærunt familiares quibus miseriam suam revelent, si fortè per alienum auxilium liberentur ab eâ. Verùm id tacuisse præstaret, cùm non in homines rectos semper incidant, & candidos, qvorum insuper, si invenirentur, conatus non sufficit proferendo necessario auxilio, indè patet causa quâ fit futurum, ut in majores recidant anxietates, dum passioni fortius resistunt. Id autem illis incumbebat facere, nimirùm quærere Virum sanctum, Deum timentem, & sacrarum Literarum peritum, qvem norint officium pastorale curæ cordiq; habere, huic se tenentur concredere, fidere & obedire.

2. quod earum rerum certam quærunt scientiam, qvarum nulla datur, hoc est, cùm volunt immunes esse à peccatis mortalibus, scire conantur, num careant iis. Is verò conatus vanissimus est, cùm nullus hominum tàm beatus tamq; doctus existat, qvi certò norit asseverare, se esse vel non esse in gratiâ Dei, nì fortè sibi sit revelatum à Deo. Sufficit unicuiq; seipsum diligenter explorare, undè in Cognitionem quandam veniat occultorum suorum peccatorum.

3. quod sunt impatientes, recalcitrantes, & Deo refragantes præ nimiâ eaq; continua passione, ad quam perveniunt sine exercitio, qva propter & passioni se opponunt cum indignatione tamdiu resistendo ei donec lassati concidant, mitescant, tandemq; passio-

nem à Deo humiliter suscipiant. Cùm autem nec tunc cessat, verùm etiam subindè augetur, dolent maximoperè, qvin & patiuntur eventu dubio cum scrupulis & dubiis, donec Deus viso labore, dolore & patientiâ eorum tandem respiciat, eosq; exindè eripiat. Deus autem solus novit qvam optimè tempus & horam utilis hujusmodi castigationis & liberationis, indè patet quid homini intereà sit faciendum, nimirum nil aliud quàm quod seipsum humiliter subjiciat passioni juxtà Voluntatem Dei auxilium & assistentiam ab eo flagitando.

4. quod in nullâ re magis desipiunt, qvàm qvod pravis cogitationibus & instinctibus credunt, quod fit, cum iis pro & contrà perpensis velut quâdam discretione & resistentiâ respondent: id quod nullatenùs fieri debet, cùm sit res omnium abjectissima, vanissima, consideratione prorsus indignâ, præprimis si insuper sit noxia vel resistentem tantò validius trahens & prosternens, qvalis est, in cujus conflictu repugnantes absq; auxilio succumbunt. Idcircò probè notandum est remedium, cujus ope solet homo circumspectus liberari, id quod consistit in seqventi cautelâ, nimirùm, ut postpositâ resistentiâ animum suum celeriter avertat à pravo instinctu, eumq;, qvamprimùm malam cogitationem observat, ilicò obvertat ad quamcunque rem sibi objectam & adsensus & sensationem, imò si nil sit, qvod audit vel videt, reflectat se statim ad primam rem sibi passim occurrentem; quoniam Ideâ novâ mediante supprimuntur præsentes aliæ nefariæ in momento, sic ut evanescant, qvasi nunquàm adfuissent. Hoc est optimum, certum ac indubitatum remedium, cui insuper Verbum vel solùm cogitatio seqvens addi potest: O pravum atq; damnabilem instinctum, cui nunquàm animus consentiat, pereat aut redeat ad eum cujus est, mea nihil refert cùm propter suam pravitatem indignus sit responso. Sic enim emorientes perversæ cogitationes tantò minus afficiunt, qvantò plus contemnuntur. Et hoc Alexiterio se muniant necessû est infirmi, ut toties eo qveant uti, qvoties tentantur:

5. qvod tantum invalescit eorum afflictio, qvantum eorum ani-

animus intendit ad Deum converti, ſic ut nec ullam oratiunculam valeant Deo transmittere abſq; Diaboli inſtinctu. Indè qvidem ſæpius cadunt in tantam puſillanimitatem, ut intentionem orandi prorſus abjiciant putantes orationem planè imundam nec qvicquàm proficuam eſſe. Neſciunt ergò quàm malè ſe gerant hactenùs, cùm è veſtigio ſeqvantur præeuntem Diabolum, qvi vel ſolo hoc modo ſeductos eos ab exercitio ſpirituali repellit: nam quò diutius homo deſiſtit ab oratione, eò longius proſeqvitur veſtigia. Capiant autem qvendam modum Deo gratisſimum, qvi puſillanimitati huic contrarius eſt: conſiſtit is in oratione pravis inſtinctibus & cogitationibus noxiis pollutâ, dummodò fortuiti ac præter eorum voluntatem & ſcitum irruentis accidentis verâ Pœnitudine capiantur. Ut autem hanc rem tantò melius intelligant, tantovè clarius diſpiciant, noſcendum eſt juxtà Gregorii effatum, humanum animum ſæpenumerò tantâ corripi ſollicitudine, ut proprio motu ſe nequeat indè eripere, cùm illo tempore afficiatur præſenter afflictione, qvin & ſubactus detineatur usq; ad ejus remiſſionem: is itaq; non luit hactenùs culpam ſuæ impotentiæ, pro cujus causâ ipſa afflictio (tentatio) victrix Deum implorat. Iſta quoq; imploratio coràm oculis Dei clarificat obſcuram hominis paſſionem, cogitq; Deum, qvo ſe approximet homini vel ſolâ hâc ratione. Ab obſervatione ergò pravi inſtinctûs nec temporis momentum eſt negligendum, nè qvà gratificetur homo adverſario, imò nec oratio nec ullum bonum Opus poſthabendum eſt, cùm hoc ipſo procedendi modo qvam optimè reſiſtatur Diabolo tanqvàm cui is modus omnium magis adverſus eſt. Id namq; puritatis qvod orationi adimitur, reparatur per eandem hujus paſſionis præſentiam ſub commodo divini beneplaciti, quatenùs Dominus Deus infirmus atq; luctantes tàm benigno reſpectu exaudit atq; ipſos triumphantes victores.

Q. Cognito nunc defectus hoſcè eſſe innoxios, qvia ſine peccato, quæritur nunc: Cur Deus tàm clemens debiles homines ſinit tàm graves ſubire tentationes, qvibus corporalis paſſio nulla

nulla comparari poteſt? R. Antequàm ad quæſtionem hanc qvod par eſt, reponatur, indicandum prius eſt, qvod taliter tentati, imò & alii plebeji, ſimplices, qvi nec ſcientiam ejus ullam nec experientiam habent, opinantur propriâ ſuâ culpâ ſibi obvenire eas tentationes, quod tamen falſiſſimum eſt, cùm ſatis conſtet per multos quoq; ſanctos hujusmodi tentationibus ſubnoxios eſſe, & qvod indies experientia probat, teſtatur ſimul ipſa S. Scriptura, præter id quod homines impuros invenimus à tali paſſione immunes. Nôſſe tamen inſuper debent afflicti, qvod ſi ponatur, duram eam tentationis pœnitentiam eſſe homini vel juxtà opinionem vel veritatem impoſitam propter peccata vel qvalemcunq; ejus culpam, non poſſe aliter eſſe, quàm qvod ſit valdè ſalutare, eoq; incumbere homini, ut Deo laudes grato animo dicat, cùm teſte Scripturâ manifeſtum divini amoris ſignum ſit, ſi peccatum qvamprimùm commisſum eſt, punitur & ſine morâ interpoſitâ expiatur pœnitentiâ: omnis qvippè paſſio humiliat ſuperbum hominem, eoquè profundius ſternit, qvò eſt atrocior paſſio.

Qvod autem Dominus noſter aliquandò affligit hominem tentatione deſperationis. (qvæ paſſio excedit cunctas alias, noſtrisquè Viribus impar videtur) id ejus beneplacito adſcribendum eſt, cujus cauſa humanum captum ſuperat, eoq; ſecreta eſt, ſic tamen excipienda atq; alius qvisq; Correctionis modus, cujus ratio eſt Deo animum, corda & renes hominum ſcrutanti. Ad qvæſtionem autem nunc reſpondetur ſic: A Deo id taliter permitti ſummi boni causâ, quod ipſum duplici commodo indè profluente probatur.

1. Per id namq; fit, ut homines non vulgari ſuperbiâ naturatenùs affecti nullo alio modo melius qvàm præfato poſſunt flecti ac in humilimum ſtratum dejici: humilitas autem eſt initium cunctarum reliqvarum Virtutum. Aſt homines ſuperbi neq; ſeipſos, neq; peccatum agnoſcunt, cùm inſuper putent gravitatem peccatorum habere ſe proportionaliter ad gravitatem tentationum ſeu cogitationum incidentium & hactenùs

eos

eos peccare tantominus aliis. Verùm iſtorum error tantò gravior eſt, quantò peccatum ſuperbiæ cunctis aliis lapſibus prius eſt ac periculoſius, cùm ſit poſſibile, ut ſola unica philautia reddat hominem impuriorem coràm Deo quàm mille cogitationes praviſſimæ, cujus exemplum præbet lapſus Luciferi. Idcircò per-quàm bonum eſt ſuperbo homini,ut dum monitus nec ſe, nec ſuas ſuperbas cogitationes agnoſcit, per paſſionem compellatur ad ſui agnitionem. Tunc namq; ſolet fieri, ut faſtuoſus homo arbitretur, juſtè ſibi demum inferri pœnam talionis, qvoad commeruit,ut qvi paulò antè præ ſe contempſit omnes alios, nunc contemnatur ab illis. Hîc ſaltem cognoſcat homo utilitatem paſſionis utut graviſſimæ, qvoniam uti ſolet dici: duro nodo qværendus eſt durus Cuneus: & immedicabile Vulnus enſe recidendum eſt. Sic namq; & apparenter reprobis paratur Via ad Dominum, & humiliatus homo non manet in perditione. Proindè debet talis homo infinitas reddere gratias pro paſſione admiſsâ,qvæ tàm ſtrenuè Virtutes excutit,ac inſuper è barathro in Cœlum evehit. Qvid qvod à lapſibus carnalibus, imò & à multis peccatis internis præſervat eum, ſi non aliâ ſaltem hâc ratione, qvod dum paſſione occupatur, reſtingvitur interim concupiſcentia ſic ut Vanitati ſuperſedeat.

2. promovet paſſio Viam ſternendo ad omnis generis Virtutes, qvatenùs in magnâ paſſione tantoperè dolent homines, ut ſuâ ſponte remedium virtutum quærant, & cùm non detur paſſio gravior, qvàm quâ cruciantur, hinc facilè alia cuncta peragunt, nec impoſſibile iis videtur qvidpiam, qvod non præſumerent facere, dummodò per varias actiones obliniatur aut ſupprimatur eorum paſſio. Hem qvantum bonum ex malo hîc provenit, congeſtio ſcilicet bonorum Operum,adeoq; quantacunq; ſit eorum diligentia, permittuntur tamen adhuc notabili temporis intervallo ſub hâc Cruce, eo ſcilicet fine, ut cumulatis ſpiritualibus divitiis promoveantur de virtute in virtutem, utq; completo operum acervo efficiantur Vas plenum gratiæ atq; virtutum. Iſta eſt Sapientiæ divinæ diſpoſitio, quæ cuncta ſic

 dirigit,

dirigit, ut dum putant se perdidisse multum, reportent grande Lucrum. Nam cùm se putant esse peccatores omnium miserrimos, efficiuntur in Dei conspectu Martyres multis aliis majores, id est, in comparatione diuturni eorum & brevis Martyrii aliorum. Concluditur ergò, tentationes majores esse documentum Amoris divini, imò talem præparationem esse, qvam gratia & familiaritas magna consequitur, dummodò cùm patientiâ humiliter perferuntur.

Q. Quænam Exercitatio est ad remissionem peccatorum utilissima homini probo seu Exercitio Pietatis dedito? R. Ea, qvâ passionem Domini magnâ commotione animi, compassione & gratitudine commemorat, singulasq; torturas Domini in Corde suo volvit ac revolvit. Hæc ad remissionem peccatorum, simul ac ad gratiam & virtutem impetrandam Via brevissima atq; tutissima est, imò unica semita qvæ ducit ad Christum: indè discimus, memoriam passionis dominicæ nunqvàm esse posthabendam. In hâc Viâ omnes Sancti Cœlum conscenderunt.

Q. Qvodsi Dominus noster admirabili miseratione dignatus est mundum, seq; pro eo amanter subjecit Crucis martyrio, annon & hìc decet Christianos, cùm non habeant quod Domino reddant, per modum passionis imitari & venerari Salvatorem? R. Imò vel maximè: tenentur exultare super tantâ Dei Clementiâ, qvâ Deus mortales dignatus est eodem honore, nempè ut eâdem passionis Viâ, qvâ Filius Dei præivit, imitentur & similes reddantur ei.

Q. Ecqvod genus doctrinæ resultat è freqventiori crucifixi Domini Contemplatione? R. Doctrina beatitudinis hauritur indè, qvæ est diremta in 8 species, qvas communiter vocant beatitudines:

1. Q. Qvænam est prima doctrinæ Species, qvæ è sanctissimo Corpore Domini prolucet? R. Ea est paupertas voluntaria.

Q. Qvo signo cognoscitur ea? R. Eo, qvod Dominus Cœli nudus Cruci affixus est. Tam pauper enim gloriæ Dominus factus est propter nos, ut non obstante ejus potentiâ & gloriâ

non

non retinuerit tantùm, qvantum tunc operiundo Corpori sufficeret. Oportet ergò in tali paupertate sitam esse quandam beatitudinem: qvid qvod ipse Dominus dixerat: Beati pauperes Spiritu, qvoniam eorum est Regnum Cœlorum.

Q. Qvo sensu pendet é paupertate Beatitudo seu Regnum Cœlorum? R. Sensus hujus pronunciati patet è seqventibus: Beatus procul dubio est, cujus est Regnum Cœlorum vel ideò, qvod Regnum hoc Thesaurus est omnium maximus. Beatus qvoq; est Pauper Spiritu, qvia plus habet qvàm cupit: quod habet satis est, paupertas divitiæ sunt ejus, qvi semper nimium se putat habere. Et hactenùs verè beatus est, qvatenùs habet eam qvam cupit paupertatem (defectum) hoc est, passionem propter Christum. Beatus qvoq; est ideò, qvia nihil habenti nil potest auferri, nec lædi patientia, sicut econtrà cernimus impatientes esse, qvi bonis vel furtim vel violenter privantur. Beatus insuper est ideò, qvia partem cœlestis libertatis habet, qvatenus sufficientia in paupertate imitatur cœlestem copiam.

Q. Cùm autem hujusmodi homines didicerint paupertatem ab Exemplo Christi, hoc est, ab Ideâ sanctæ humanitatis, martyrii & paupertatis ejus, qvas Dominus noster cunctis diebus Vitæ suæ sustinuit, qværitur qvid eam seqvatur Observationem? R. Qvi tales sunt, conqvirunt imposterum Regnum Cœlorum, mercedem beatitudinis.

Q. Qvænam est secunda doctrinæ species prolucens è Corpore Christi sanctissimo? R. Ea est perfecta Charitas. 2.

Q. Quo documento probatur id? R. Eo, qvod placuit Domino crucifigi in medio duorum Latronum ad sufferendum culpam eorum. Quodsi pro suis Amicis passus fuisset, hæc magna Charitas fuisset: quod autem pro malis ac inimicis suis passus est mortem & torturam sui corporis membrorum omnium vehementissimam, ea Charitas longè perfectior est. Perfecta ejus Charitas est nobis exemplo, quo imitemur eum, nostramvè Charitatem per dilectionem hostium perficiamus. Quodsi Deus Rom: 5.
teste Scripturâ motus solâ Charitate expiavit mortalium homi-

num peccata, interveniente Sanguine, Passione & Morte ejus, suosq; hostes Patri suo reconciliavit, qvantò majori charitate excipiet suos Amicos, qui eum fideliter imitantur?

3. Q. Quænam est tertia doctrina prolucens è Corpore Christi sauciato? R. Ingens Misericordia.

Q. Quo documento probatur ea? R. Eo, quod Dominus noster eo momento, quo Hostis ejus maledicus, malefactor & latro petebat gratiam, impertiebat eam ei benignè & qvidem petitâ uberiorem, siqvidem commemorationem saltem expetenti promittebatur ipse Paradisus.

Q. Quo Sensu traditur verus Paradisus? R. Verum ac vivum Paradisum nuncupant Doctores ipsam Dei faciem seu Essentiam, dicendo: Paradisum esse ibi, ubicunq; Dei gloria revelatur.

Q. Quo Sensu dicitur Latronem fuisse cum Christo in Paradisum conductum? R. Descendente defuncti in Cruce Domini animâ Divinitati unitâ in infernum ad liberandum è Carcere credentium animas perveniebat etiam anima latronis in Cruce similiter mortui ad Dominum, ea dicitur hâc ratione cum Christo venisse in Paradisum, quâ ratione erat in Dei gratiâ visura Deum in Deitate. Non solùm enim meminit ejusdem Salvator, verùm etiam concessit ei contuendum divinam ejus naturam, qvæ divini aspectûs concessio nonnisi gloriosa est ac deliciosissima: qvis ergò neget eam esse Paradisum? Quodsi DEUS tàm immensæ misericordiæ suæ documentum præstitit manifestis hostibus ejus, qvantò majori misericordiâ dignabitur suos Amicos, qvi ejus imitati Exemplum exhibuerunt misericordiam non solùm Amicis, sed & Inimicis.

4. Q. Quænam est quarta doctrina? R. Perfecta seu devota obedientia.

Q. Qvo signo cognoscitur ea? R. Signo duplici: Uno quidem perfectæ obedientiæ, quod animam tradebat in mortem, altero verò puræ devotionis, qvod caput inclinabat. Qui enim Patri ad mortem Crucis usq; obediens erat Filius, consummatâ passione tradebat devotè Spiritum. Hæc ejus obedientia atq; devotio exem-

exemplo nobis est, ut eam non solùm sæpè trutinemus, verùm etam exerceamus, cùm sit certissimum, eos omnes qvi carent sanctâ obedientiâ non habere partem in Christi obedientiâ. Non solùm ergò reqviritur obedientia, sed etiam devotio, ut scilicet qvæ præcipiuntur cum mansuetudine perficiantur, devotio qvippè mansvetum reddit animum.

Q. Qvali devotione colendus est Deus? R. Tali, ut qvod jubetur, libenter ac studiosè expediatur adnexo Voto, qvo Deus dignetur clementer accipere bonam eam Voluntatem ac obedientiam in sacrificium laudis & gloriæ ejus. Et talis obedientia est sic devotè producenda usq; ad mortem.

Q. Quænam qvinta doctrina est? R. Reverentia. 5.

Q. Qvo documento probatur hoc? R. Eo, qvod Dominus noster adstantem & vehementer dolentem Matrem nolebat disconsolatam manere non obstante tanto crucis Martyrio. Enimverò qualiacunq; præ immenso Vulnerum dolore in conqvassatis, eluxatis, perforatisq; membris aucto poterat brevi ac debili voce pronunciare verba, erant tesseræ amoris & Reverentiæ, tutelam simul procurantes. In omni suâ passione ad mortem usq; non obliviscebatur matris, qvam ideò sub depereunte Vitalitate commendabat Johanni, misertus qvoq; maternæ compassionis sine modo persensæ substituebat filium adoptivum. Gladio qvippè scindebatur Cor maternum viso Rege Cœli à terrâ levato, ligno acclavato, dilaniato, sangvineo grumo incrustato, Deo sacrificato, nativi elementi exule. Id nobis exemplo est, qvo imitemur Christum reverentiâ & observantiâ parentum aut superiorum, quò dignè vivamus super terram.

Q. Quænam est sexta doctrina? R. Perfecta Patientia. 6.

Q. Quo signo cognoscitur ea? R. Eo, qvod Christus summâ Patientiâ se patiebatur affigi Cruci, tametsi injusti nihil comiserat unqvàm. Liberè se omni torturæ exponendo nil mali dicebat vel cogitabat, solùm hæc Verba effatus: Pater, ignosce illis, qvia nesciunt qvid faciunt: præterea Os suum non aperiebat juxtà Prophetiam, quæ certè Patientia summa fuit nobis

in Exemplum,qvo imitemur eum patiendo injuriam,vim & violentiam innocenter sivè nocenter, omnia scilicet qvæ sub examine & exercitio Deus admittit vel imponit.

7. Q. Quænam est septima doctrina? R. Constantia seu perseverantia.

Q. Qvo documento probatur id? R. Eo qvod Dominus noster pedibus suis firmiter acclavari voluit in signum perstantis sui ad Crucis mortem animi: firma namq; fuit ejus ad mortem usq; obedientia,firmum qvoq; talis obitûs propositum. Mira ea constantia est nobis exemplo, qvo imitemur eum virtuosâ Vitâ, jugi tolerantiâ tùm Crucis tùm pœnitentialis & spiritualis agoniæ, item perpetuâ dominicæ passionis expensione imò concupiscentiæ atq; defectuum Crucifixione. Ea namq; divina prædestinatio est,ut homo judicetur juxtà qvalitatem sui obitûs, ut nimirum peccata remittantur ei, qvi cùm Christo crucifixus denascitur, retineantur vero ei, qvi vel unicâ ante mortem horâ descivit à Cruce vel declinavit à Sanctitate multis retrò annis habitâ.

8. Q. Qvænam est octava doctrina? R. Oratio freqvens.

Q. Quo documento probatur id? R. Eo,qvod Dominus noster, etsi peccatum non patraverat unqvàm, anxiè orabat sub summâ in Cruce passione, ne qvà desereretur à Patre. Hæc Oratio est noster terror, hoc desiderium pavor est; qvodsi enim Filius Dei qvi non peccavit, jam moriturus oravit tàm solicitè, acsi per totam Vitam suam fuisset prævaricator, qvid nobis moribundis convenire censendum est, qvorum non solùm propria Crimina, verùm etiam aliis in perditionem suggesta scandala sub mortem vindicantur? Idcircò exemplo nobis est oratio Christi, qvo imitemur eum orantem in horâ mortis nostræ simul & omnibus nostræ Vitæ diebus, ut Corda nostra omni conatu tollamus ad Deum oratum, profundâ cum humilitate ineffabili ejus miserationi fidendo. Hoc namq; orationis opere pellitur Diabolus, ne partem inveniat in animâ misellâ, qvam

qvam unà cum Legionibus ſuis circà mortis articulum ſollicitius impetit.

Hæc eſt fructuoſa doctrina paſſionis dominicæ, cujus contemplatio eſt Exercitium ad remiſſionem peccatorum, in hoc ſe ſedulò occupare debent incipientes probi homines, qvi Vitam inculpatam ducere cupiunt, ut gratiam acquirant non ſolùm pietatem rectè exercendi juxtà ultima duo Capita, tùm & qvæ in cunctis hujus Sectionis Capitibus pertractata ſunt noſcendi & obſervandi, ſed etiam progrediendi in Viâ qvæ ducit ad Vitam ſpiritualem. De hoc progreſſu ſub quo præparantur probi ſeu exercitati homines agit tertia Sectio, quæ ſequitur.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

N primâ Sectione ostensum est, qvaliter Homo possit evadere in Virum Spiritualem, Sanctum, Amicum scilicet Dei; Cùm autem nullus conatus possit cum successu institui, nî prius per diuturnum exercitium pietatis in probum hominem mutatus sit aliqvis, ideò qvæ ad hoc noscendum & instituendum faciunt, sunt pertractata in secundâ Sectione, sic ut jam sistatur homo probus ac devotus qvi doceatur in tertiâ Sectione, qvaliter debeat progredi & præparari ad perfectam usq; puritatem. Tractat ergò

Cap. I.

De progressu proborum hominum.

Dictum est antecedenter, dividi probos Christianos in incipientes, proficientes & perfectos. Alia itaq; est doctrina Sapientiæ christianæ, qvà modi atq; conatus explicantur iis necessarii, qvi incipiunt, ut & hi in Viam Veritatis deducantur, & hæc doctrina est tradita in præcedentibus. Alia autem doctrina est, qvà proficientes erudiuntur in Viâ perfectionis; alia item quæ finem perfectis ostendit.

Q. Incipientibus qvid dictum est? R. Oportet incipientes abradere omnes crassos, impuros Capillos peccatorum, puta superbiam, luxuriam, avaritiam, iram, omnemq; mundanam Cordis Vanitatem cum cunctis deliramentis voluptuosis, qvæ solent homines quærere in Creaturis. Hîc ergò breviter est ob-

observandum, cunctos (sine exceptione) homines, qvi sese non ad Deum liberâ Voluptate menteq; elevatâ convertunt ità ut Deum in suis intimis ament, antè omnia respiciant, imò in mortis articulo taliter reperiantur, non fore perventuros ad Deum, tametsi tot bona Opera facerent qvot cuncti viventes, etiamsi tantâ pollerent prudentiâ, ut videantur linguis angelicis loqui & qvod restat, Corpus patiantur uri, cunctaq; bona distribuant pauperibus. Id cùm ità veraciter sit, qvî possunt suum amorem ad Deum convertere, qvorum Corda sunt liberâ Voluntate conversa ad Creaturas, cùm tamen certò sciant, qvod aliis elocent locum, qvem Deus sibi condiderat occupandum? Non curat Deus eorum Opera, qvorum amore carere debet.

Q. Sufficitnè incipientibus densos præcidisse Capillos? R. Non sufficit præcisio, qvia nec dum villorum sufficit abrasio, etiamsi chalybeo facta sit rasorio, hoc est, cum Zelo ardenti, acuato non solùm per strictam Dei justitiam, (ut qvæ nec Verbum vanũ nec voluptatem exiguam transire sinit inultam) verùm etiam per occulta horribilia Dei judicia, qvatenùs nemo scit qvò secum cedat num dignus gratiâ sit an supplicio! Itaq; incumbit incipienti, qvamprimùm peccata (vitia) ab initio sic abraserit, ut subseqventer observet etiam pilos succrescentes minores, per qvos hoc loco indigitantur desideria, delectationes, quæ ob diuturnam pravamq; consuetudinem in fundo manserunt ostentando se tanqvàm virtutes essent, cùm tamen nil sint nisi falsa apparentia qvæ nutrit superbiam eam, qvam dudum putant devictam. Annon huc pertinet splendidus amictus &c. qvem venditant sub titulo puritatis? Annon huc pertinet Cibus & Potus & alia, in qvibus voluptatem quærunt & exhibent, sub specie necessitatis eam exculpando? Annon huc pertinet furor & feritas hominum, qvi unumqvemq; leviter judicant causâ discretionis & justitiæ factum excusantes? Annon & acedia, pigritia, qvam debilitatem vocant & infirmitatem? De his & reliqvis omnibus verè dicendum est fore, ut, si qvis manserit in uno eorum gloriatus de sano suo arbitratu, de prudentiâ & qvæ his adjacent

jacent elatis verbis & modis, cùm venerit ad finem Vitæ, abducat secum Diabolus animam ejus, qvæ tunc nil minus qvàm hoc cogitabit, cùm salvam se putet. Et hoc qvàm maximè iis obvenit, qvi sunt obsessi occultâ superbiâ habente speciem humilitatis & modalis prudentiæ; nam tales de jure conscripti sunt subter vexillum Luciferi, idcircò qvo altius se putant ascendisse in suo arbitratu, hoc se profundius sentiunt præcipitatos in orcum.

Q. Mirum qvàm tu exaggeras ea, qvæ alii tàm parvipendunt, annon id nimis severè fiat videto? R. Utut velis, tu ea accipito; sufficiat dixisse, non parvâ sed magnâ consideratione digna esse, qvæ hic non obiter, sed de industria dicta sunt. Neq; enim puto qvenqvàm vilipensurum esse, si qvà in calido cubiculo diu noctuq; inclusus teneretur, ne dicam, si in barathro infernali ardere debeat in æternum: qvod ipsum qvi leviter duxerit, certò sibi pernoscat affuturum. Ideò debet homo divertere in seipsum, qvia in eo est Regnum Dei. De iis quæ gessit ac gerit, scrutinium cum circumspectione instituendum est, ut noscat qvò perrexerit, ubi adhuc hæsitet, eoq; discat progredi: perqvirendum est fundum atq; inclinatio ad omnem pravam consuetudinem, ut adhibeatur sanationis remedium. Nam prava consuetudo non est res parva, qvia grande obstaculum, magnus obex, qvod si qvis perstet in Vitio per annum unum aut duos, id sentiet tàm in se radicatum profundè, ut ullo suarum virium adminiculo vix unqvàm possit eradicari. An ideò pravam Consuetudinem parvipendis, qvod se tàm ægrè patitur exstirpari? Expediret ergò adhuc sub adolescentiâ se diligenter custodire, ne se profundius firment vitia, qvod fieri potest, si à principio cordatè restiterint iis, dum faciliori negotio sunt superanda qvàm subseqventer.

Q. Cùm adeò firmiter persistis in tuo præconcepto effato, dic, quæso, qvibus adminiculis se queat homo incipiens, Juvenis scilicet custodire & observare, quò sit progressus necnè? R. Id potest facere summo cum ordine, dummodo sequentia damna

damna omni ſtudio obſervet in ſuis ſenſibus ac potentiis, in qvibus perquàm noxii naſcuntur pili. Damnum

1. Eſt oblectatio in rebus ſenſibilibus, qvæ conſiſtit in facultate concupiſcibili. O qvàm plerumq; in ſuam perniciem abutuntur eâ homines, ſicut, quàm mira hactenùs patrent, nemo queat vel cogitare vel dicere. Quin & hi qui libenter boni eſſent neſcio qvid non audent & ſenſus usq; adeò non obſervant, acſi carent iis, & ideò non perſiſtunt in nudâ Veritate. Neq; in ſeipſos redeunt, cum ſenſus pleni ſint rerum ſenſibilium, hinc mens eorum manet clauſa & tanqvàm res exotica peregrè diſtans valdè. Non ergò mirum eſt, quod fixo greſſu nihil proficiant, ſed ſibiipſis cedant potius ſic ut neſciant qvomodò ſit comparatum.

2. Alterum damnum ſitum eſt in facultate iraſcibili, qvâ abutuntur homines absq; ullâ ordinis obſervantiâ, cùm tamen foris uſurpari non debeat, niſi tantùm in iis rebus, quæ Deo ſunt adverſæ. Sicut autem facultas hæc eſt in ſeipsâ laudabilis, ità in eâ creſcunt ſæpenumerò maligni pili, eò qvod iracundi homines ſuâ vehementi invectivâ ſe ad qvamcunq; rem inordinatè præcipitant, qvod inſuper falsâ Juſtitiâ cupiunt aliorum modos & opera judicare, hâc ergò commotione ac ſtrepitu verborum corroſivorum ſeipſos unà & alios perturbant.

3 Damnum ſe prodit in ratione, cui quamplurimi homines immorantur valdè periculosè, dum ſuſtinent & gloriantur de ſuâ prudentiâ, cùm nihilominus interveniente totâ ſuâ rationabili Veritate amittant vivam eſſentialem Veritatem, & ità poteſt quis Veritatem cognoſcere, non item poſſidere. Sic homo ſeipſum decipit, cùm putat ſe verè poſſidere id, qvod ſuæ ſaltem rationi præludium facit, etſi infinitè diſtet, quapropter ſub falsâ eâ ſpecie amittit prænobilem theſaurum profundè mergentis humilitatis coràm ſeipſo & coràm aliis hominibus.

4 Damnum eſt interna delectatio, quamqvis in Spiritu capit, hæc dominatur in multis hominibus. Aſt hi decipiuntur à ſpecie apparenter bonâ, quâ eos plus trahit delectatio qvàm amor

 divi-

divinus, dum enim sic eligunt, sumunt pro Deo Voluptatem, qvodq; putant esse Deum, non Deus est, sed delectatio eorum, id qvod hinc evadit perspicuum, qvod cessante hâc delectatione cessat qvoq; conatus & diligentia. Annon qvis judicet hîc circumspectione opus esse non mediocri? Nam sæpè videtur aliqvid provenire ab amore divino, qvod tamen plura habet accidentia, adeò, ut sufficientia, degustatio, grataq; perceptio plus trahat qvàm quis existimet. Et tale qvidpiam causatur nonnunqvàm à novis motibus, ab inclinatione, à terrore inferni, aut etiam à desiderio Salutis æternæ, qvam homo naturatenùs desiderat. Notandum igitur circà hæc est, qvod ubi intentio ad Deum non cordialis est, ibi nec Deus erit finis ac merces. Hæc qvæ jam exposui, sunt externi crassi defectus, qvos omnes oportet diligenter abradere cultro rasorio acuato, nimirùm cote judiciorum divinorum & immutabilis justitiæ, qvæ nihil permittit in ultum.

Q. Abrasis hiscè defectibus, dic an tunc nihil remaneat? R. In fundo remanent inclinationes simul & Ideæ præteritarum Consuetudinum, quæ & ipsæ sunt exstirpandæ mediante vitâ Domini nostri Jesu Christi, cujus Ideæ debent magno devotionis ardore imprimi, ut omnis inæqualitas tollatur penitus. Remedium hoc est validissimum: qvid si Deus plantis & lapidibus indidit tàm magnas virtutes sanandi infirmitates; ecqvid tenendum est, quæso, de maximâ eâ potentiâ, quæ Filio Dei est pellendi morbos animarum? potentissima ergò sunt remedia sanctæ passionis, acerbissimæ mortis & suavissimorum exemplorum ejusdem.

Q. Cùm verò homo nil possit à seipso, quid faciendum est? R. Oportet hominem facere Exercitium sanctæ passionis per modum orationis sic ut humilimè se projiciat antè pedes Patris cœlestis rogando per Filium, & per singula puncta passionis ejusdem, qvò eum adjuvet, cùm sine eo nihil queamus facere. Intereà assuescat sic venerabili passioni & exemplo Domini nostri Jesu Christi, ne unqvâm è Corde elabatur, nevè Ideæ exoticæ

ticæ locum in eo inveniant unqvàm. Quod seqvitur, oportet mentem levare ad sublimem gloriosam Deitatem, qvæ contemplanda est cum modo desiderioso & in timore humili. Ast qvoniam ei tàm obscura, misera ignorantia Dei proponitur, tunc intelligit quod Job dicebat: Cùm Spiritus præcedebat, terrebantur omnes Capilli Capitis mei. Job. 4.
Nam cunctæ animales potentiæ cedunt, cùm mens præcedit, laborat, dirigit, atq; sub hoc prægressu sentit homo in se turbationem (magnum tumultũ). Spiritûs ea antecessio (præoperatio) qvò clarior, veracior ac simplicior est, hoc opus, impulsio & conversio hominis facilior, fortior, celerior, veracior, imò & agnitio humanæ tarditatis sincerior est. Tunc derepentè venit Dominus illuminatum fundum eo fine, quo propositi operis ipse operator existat. Undè tenetur homo, qvamprimùm observat adventum Domini, relinquere Opus, Dominoq; vocare, silere debent & conquiescere omnes potentiæ, qvoniam tùm opera tùm cogitationes utut bonæ impedimentum inferant tranquillitati: sic homo patitur Deum & Deus tantùm operatur. Adverte autem, postqvàm homo sibi relinqvitur sic ut nil Operis divini persentiat amplius, opus est, ut sancta sua Exercitia de novo seriò perficiat. Alternatim se habent sic labor & quies, prout à Deo impellitur & admonetur homo, qvilibet juxtà qvod sentit se qvàm opportunè suscitare, versus Deum moveri & inardescere sivè in opere sivè in quiete. Quisquis autem est, qvi nequit eò contendere in quiete (internâ vacuitate) is modo activo accedat sanctâ scilicet imaginatione & exercitio, ut radicaliter fundetur in sanctâ charitate, & ut cum sanctis cunctis queat comprehendere altitudinem, longitudinem, profunditatem, & latitudinem.

Q. Istanè comprehensio videtur esse impossibilis? R. Est qvidem impossibilis, sed sic intelligi decet hîc, dici tantum, ut sit in charitate & purâ intentione adhæsio. Mens debet tendere sursum ad sublimitatem hyperusias, superq; cuncta vilia sensibilia transcendere contemplatum, qvàm Deus (qvi omnia potest)

test) non poterat creare aliqvam Creaturam tàm excellentem, quæ altitudinem Essentiæ suiipsius posset cognoscere aut naturali intellectu comprehendere. Siqvidem profunditas divinæ abyssi est cunctis intelligibilibus Creaturis incomprehensibilis. Idcircò oportet inseqvi eam profunditatem cum profundâ humilitate, sicut fecit B. Mater Domini nostri Jesu Christi. Latitudinem Dei debet homo accipere pro communi charitate, qvatenus Deus seipsum exhibet in cunctis locis, regionibus in omnibus modis & operibus qvæ bona sunt. Nam nihil est tàm latum aut vulgare, nec tàm propè in intimo fundo qvàm Deus, proindè qvi Deum quærit ibi invenit eum. Hanc latitudinem debemus sequi cum sincero devoto animo sine Curâ rerum aliarum, ast cum internâ omnium potentiarum oblatione, & hîc cape qvod seqvitur, nimirum: datur spiritui Libertas (cooperatur Deus roborando Spiritum), datur & supersubstantialis gratia, qvalis est transcensio animi super Ideas omnes & formas facta velut perrumpendo & superando cunctas Creaturas. Talis est modus qvo fit elevatio animi ad Deum, qvem Deus largitur homini, & est supereminens Dei gratia. Sic dicit S. Gregorius: si volumus pervenire ad cognitionem rerum invisibilium, oportet transcendere cunctas res visibiles. Per longitudinem intelligenda est Æternitas, qvæ antè se nil, nil post se habet, quatenus ea est tranqvilla immutabilitas, in quâ cuncta præsenter sunt in perpetuo & immutabili intuitu suiipsius & in eo cunctorum præsentia. Hæc longitudo est perpetuò imitanda cum immutabili immergente in Deum animo, ità ut homo abrenunciet prospero & adverso cunctisvè Creaturis, ut etiam in pace manendo Deo solùm fruatur: sic namq; consummatur Verbum, qvod omnia impetrantur & complentur à Deo.

Q. Dic etiam nunc, qvaliter Juvenes & incipientes homines progressum instituere debeant? R. Oportet eos plurimum temporis impendere Deo, internovè eorum Exercitio, donec acqvirant habitum, sine qvo fieri posset tàm excessiva extraversio, ut penitus emaneant. De exercitatis adultis id non est adeò

adeò metuendum, quia si tales nil sentiunt solaminis, aut si sui operis exoptatum progressum non obtinent, jacturam eam patiuntur humiliter, cùm fieri queat, ut plus proficiant in passione & carentiâ qvàm in actione & possessione. Multum autem hîc præstat sanctæ Fidei simplex fulcimentum. Impossibile est dicere, qvalis sit progressus & profectus in singulis Cogitationibus, Verbis & Operibus, exiguis etiam in se & indignis: nam cùm hoc faciunt, crescit valor suprà modum, eoq; plurimùm proficiunt. Huc valdè confert Vita longæva, qvatenùs longum Exercitium tantum efficit, ut permeando cunctas res transcendant & nusqvàm hæreant, dehinc nil impedit eorum progressum qvominus invalescat renovatio, etiamsi eam ignorent & ignorare velint propterea, qvod natura se facilè effert. Si qvis autem eorum est, cui Deus revelat qvàm sit acceptus ei, is tantò profundius mergitur in fundum, quantò magis cognoscit ejus honorem, nec sibi adscribit ullum bonum opus. Talium hominum profectus potissimum situs est in passione, per qvam indies exercentur tùm à Domino ipso tùm ab ejusmodi familiaribus, qvibus proprium est inflari à literâ, qvibusvè commune est præsumtione Critirii venari gloriam, hinc etiam venit, qvod velint omnes per unam viam ductos subter eorum regulam cogere contrà qvàm par est, qvatenus unusquisq; debet habere suum modum, prout vocatus est.

Q. Cùm autem progressus iste instituatur in Viâ perfectionis, digneris, quæso, exponere modum ejus ad finem? R. Dum facio qvod vis, attende. Quotiescunq; summa perfectio commemoratur, intenditur eò qvòd cognoscamus unicum eum scopum, ad qvem obtutum suum dirigant mentis oculi, quovè cognoscamus simul modum, ad quem respiciamus sub revocatione nostrarum cogitationum, qvoties reperiuntur dispersæ, hactenùs à scopo suo abducentes mentis oculos. Hæc namq; excursio cùm sit defectus naturalis non nocet Sanctitati, modò Voluntas bona immota steterit. Unus homo est ad Sanctitatem aptior alio, & qvem vicissitudo in Viâ Sanctitatis tentat ad deflecten-

flectendum, hunc rursus conducit gratia, qvò revertatur in Viam, imò si Vita ejus protenditur, non dubium est fore, ut tandem perspectâ Viæ rectitudine, fraudeq; tentationum constanter persistat in Viâ rectâ. Idcircò tàm Classis imperfectionis qvàm controversiarũ farrago respicit tantùm tempus præparationis & exercitii, quo superato cessat vis argumentorum, cessant defectus & vicissitudines imperfectionis, si non prorsus in respectu Dei, saltem in respectu imperfectiorum hominum. Quocircà quamprimùm exercitatus homo Deo se senserit adunatum, reddat Deo gratias hilariter; cum autem lapsus fuerit, pœniteat gemens in bonâ Voluntate & fiduciâ, statimq; se introvertat. Quod enim dicitur, omne initium grave, id maximè in exercitio Spiritûs obvium est; ast qvalitercunq; grave sit initium, id tamen successivè per gratiam Dei & indefessum studium redditur facile, gratum & suave, cujus Causâ dicit Christus: Onus meum leve est. Is ergò qui aversatur initium, qvî potest dicere finem esse impossibilem, cùm eò nunquàm pervenerit? Vicissim autem is, qvi ab initio fortiter laborat, assequitur finem, ejusq; testimonium tanquàm Magister in arte perhibere creditur. Verùm ut labor ejus succedat pro voto, oportet semper & ubiq; auscultare voci divinæ, quæ mentis vellicat auriculam his Verbis: Introverte, evacua imaginationem ab impuritate Cogitationum, rationem ab Ideis curarum, exonera desiderium à cupidine Creaturarum, memoriam à specierum recollectione, Voluntatem agglutina summo bono, inclinationem dirige ad æternam hæreditatem eo qvidem fine, ut tota mens cum cunctis Viribus in Deum delata unus cum eo reddatur Spiritus. Hoc enim est verum unicum fundamentum perfectæ Sanctitatis, qvam non intelligit homo naturalis, qvi ejus nec sensum habet nec cognitionem, sed quam homo spiritualis intelligit, qui sensum ejus per gratiam, cognitionem autem per revelationem habet. Et qvatenus is noscit habitare in Deo hactenus noscit liber esse à peccato, secus quàm facit naturalis homo, qui non cognoscendo Deum nonnisi peccati servus inve-

invenitur. In Deo qvi habitat, non solum abnegat seipsum, sed etiam Cœlum & Terram, & qvicquid in iis est, qvia nil nisi Deum unicè desiderat. Cognoscit enim se, quà finitus est, finitis (Creaturis) uniri non posse, sicut quidem cum infinito (Deo) adunari potest. Quid ergò commodi ex alieni boni possessione? Intuitu hujus tradit seipsum & Creaturas omnes Voluntati divinæ, ut glorificetur Deus in Operibus qvæ ejus sunt & non alterius, atq; per hanc oblationem sentit se multum provehi in Sanctitate. Ast homini nondum sic præparato opus est, ut sub initium sui exercitii prudenter inqvirat in brevitatem (compendium) ejus, ne nimis diu immoretur primis rudimentis. Qvæ intermittenda sunt cognoscat prius, posteà addiscat etiam, qvæ sunt in praxin ducenda. Vitanda est radix (origo) omnis mali, hoc est vanus sensuum externorum & internorum excursus, cura & sollicitudo, comprimis amicitia & conversatio hominum inutilis, quâ mediante suscitatur concupiscentia & depravatur Voluntas, quæ alioqvin valdè remota ac in se restricta esse debet ab omni Voluptate, amore, curà aut timore rerum caducarum. Et sicut prædicta licentia (Libertas) est origo omnis mali; ità fons & initium omnis boni est contraria ei restrictio sensuum, scrutatio Cordis, defectuum expensio, inutilis consortii devitatio. Qvisqvis enim disciplinæ præparativæ se spontè subjicit, tenetur suæ artis exercitium aggredi in secreto conclavi Ergastuli sui, dum extrà id tàm opportunam occasionem non invenit. Qvi Corpore extravagatur foris, intus quoq; excurrat necessum est: hâc ratione non est negligenda prima occasio præsertim sub initium. Ipsa autem artis Exercitatio aggredienda est juxtà regulas ejus, qvas de industriâ hîc repetere libuit, tametsi alibi inveniantur propositæ, qvatenus cohærent cum seqventibus. Regula

1. est, Ut inter orandum vel meditandum passionem Domini discat constanti animo & in timore debito perferre passionem à manu Dei acceptam, idq; cum gratiarum actione. Et cùm Constantiam hîc solvat naturæ proprietas, necessum est observetur regula

Digitized by Google

2. qvæ eſt, ut ab omni propenſione, cujus objectum non eſt ſolus Deus, qvantum poſſibile, ſe avertat & invertat intrò in ſeipſum cum reſignatione Voluntatis ſuæ. Hîc qvidem viciſſitudo varias parit interruptiones, tu tamen hisne cede malis, ſed contrà audentior ito munitus remedio præſervativo, qvod proponit regula

3. nimirùm, ut homo ſuum intellectum à Conſideratione rerum temporalium & imaginativam à phantaſmatibus liberet, eumq; ad Contemplationem rerum divinarum ſurſum cogat in ſilentio. Cùm autem & hîc intercipiatur poteſtas, revocabit eam remedio regulæ

4. qvæ eſt, ut ſe exerceat ſemper in oratione devotâ, in cogitatione ac deſiderio flagranti ſemper ſummo adhærendi bono volenter ac amoroſè. Et cùm externa Bona perturbent cogitationes, jubet

5. regula, poſſidere Bona tàm temporalia qvàm ſpiritualia nonniſi in paupertate Spiritûs. Hæc ut conſervetur obſervanda eſt regula

6. ut memoria ſe occupet in colligendis Ideis cœleſtibus ſemper elevata ac imbuta Bono ſummo. Ut autem recollectis cunctis Viribus tota mens fiat cum Deo unus Spiritus obſervanda eſt regula

7. qvæ eſt, ut homo divino amore ebrius in Deo ſuaviter obdormiat, ac ſub internâ animi reqvie attendat, qvid Deus loqvatur ei.

Q. Quid eſt Sermo, qvo Deus alloqvitur hominem? R. Eſt inclinationis & voluntatis ad bonũ directio, qvò etiam pertinet animi excitatio atq; proventus Idearum cœleſtium, inventio, intellectio viarum Domini & perceptio divinæ occaſionis. Per ſupernaturalia hæc media conducit Deus hominem trahendo, protrahendo & promovendo eum ad ſeipſum. Quamprimùm homo prudens advertit ſermonem ſeu conductum Dei, tenetur propriam ſuam contemplationem vel actionem, qvà occupatur, mittere & egredi à ſeipſo in clauſuram obſcuram ſilentii. Tali

namq;

namq; modo provehitur ad abnegationem suiipsius & Creaturarum in ipso æterno lumine, qvod Deus ipse est.

Q. Si Spiritus ità obdormit, erit totus homo otiosus, siqvidem interna requies turbatur ab actione externâ: taliter autem postponitur omnis externa pia actio, meditatio, oratio, vigiliæ, jejunia & quæ sunt talia, qvorum apparatus uti obfirmat ità offendit proximum, si desit? R. Ad hujus explicationem inservit nosse, qvo fine actiones consimiles perficiendæ sint. Finis earum est ipsa Dei adunatio, ad hanc instigant hominem sollicitando sicut calcaria eqvum, dummodò ordinatè atq; decenter usurpentur. Et cùm hoc ità sit, requiritur, ut tales externæ actiones suum finem, hoc est, præscriptam adunationem respiciant, taliterq; ad Usum sumantur, ut nedum non obsistant, sed insuper promoveant eam.

Cùm autem in hoc progressu seu præparatione possint multi errores committi, præprimis interveniente Diaboli operâ, convenit homini exercitio dedito cognoscere eos, qvos studiosè imposterùm devitet. Nam tametsi Deus nullius erroris Author sit, qvi potius homini ex mero amore infundit gratiam suam, divitias scilicet cognitionis & conversionis, potest tamen homo ex parte suâ errare, cùm non satis distinguit inter donum gratiæ & inter fucum tentationis. Hanc imbecillitatem judicii non aufert Deus ab unoqvoq; homine, cui suam largitur gratiam, id qvidem eâ de Causâ, ut homo spontaneo conatu scrutetur opus divinum, taliterq; sibi uberiorem conciliet gratiam. Hæc ipsa diversitas doni divini, qvâ scilicet multi gratiam Dei conqvirunt etiam diverso modo, dubium reddit hominem minus exercitatum in vario opere, num debito modo agat necné? Diversa dona confert Dominus Amicis suis, non tamen omnes cognoscunt hactenus occultos qvosdam modos: interest ergò boni hominis viso alterius modi opere divertere in seipsum absq; judicio. Nonnulli namq; solent præ nimio spiritualium divitiarum gaudio exultare, jubilare, plaudere, verbis ac gestibus suam Sensationem prodere; verùm id arguit defectum hu-

manum consistentem in eo, qvod homo non ex toto abrenunciavit suæ proprietati, & ideò hunc modum deserunt, qvi deserverunt seipsos per id in gratiâ Dei ditiores facti. Cùm autem unicuiq; suus modus videatur bonus & tamen erretur in eo, nosse oportet, qvibus modis erretur, qvò corrigat errorem imposterum. Erratur autem

1. eo modo, si homines ingeniosi ac verbosi superbiunt ac de adeptâ gratiâ abundanti plurimùm gloriantur: hi namq; tentationes non facilè vincunt, qvin victi potius Ecclesiæ & Religioni multum nocere possunt. Expedit igitur per afflictionem humiliari eos.

2. Erratur etiam eo modo, si homines visâ per Dei revelationem formâ qvâdam angelicâ exultant animo, undè putant se coràm Deo multum valere, cùm tamen hujusmodi gratiæ divinæ dona iis ostendantur propter defectus atq; mollitiem eorum, & qvod in viâ spinosâ nondum queunt ambulare. Hic error est supprimendus per animi depressionem.

3. Erratur qvoq; eo modo, si homines valdè sensibiles & qvi divinæ gratiæ infusionem persentiunt in infimis Corporis viribus, permittunt se decipi à Diabolo eorum naturæ Socio, cùm tentat eos avertere falsâ persuasione inspirando iis occultè & blanditer, qvasi debilis eorum natura non possit pati duriora, & qvod naturæ vires excedente nisu ipsum opus Dei destruatur. Hâc sibi gratâ inspiratione decipiuntur molles, qvi credunt vocem Dei esse, cùm dulcis naturæ atq; Diaboli sonuerit fistula. Hic error per passionem tollitur. Ut autem hic cognoscant errorem, conducit eos fortè misericors Dominus ad hominem qvendam illuminatum, qvi monstrarâ iis falsitate Deo & Scripturæ adversâ inculcat Christi sequelam & quod scriptum est multi sunt vocati, pauci verò electi: ostendit iis, electos esse, qvi Cruci Domini se spontè subjiciunt, qvi assumto onere vestigia Christi calcant, qvi etiam, si sine cruce sit, contristantur tanqvam super insigni quopiam dispendio, qvi & vicissim exhilarantur, si angitur natura, quatenùs ad Christi Exemplum sic propi-

accedunt. Et ità ab errore revocantur etiam sensibiles ac molles, qvò tandem obrigescant suasq; faciliùs ferant sarcinas.

4. Erratur etiam, si homines a Deo lumine intellectus ditati eousq; considerant cœlestes Ideas, ut jam putent se Trinitatem vidisse cum distinctione. Eorum qvidam dehinc extolluntur & putant, jam cuncta se attigisse, qvi tamen à ratione decepti inveniuntur atq; à suis potentiis recti. Omnis qvippe eorum consideratio est idealis eoq; erronea, qvod si fides ad Ideam conceptam accurrit, ea certè falsa est, cùm procul dubio DEUS esset valdè parvus, si Verbis, Ideis aut ratione posset comprehendi.

5. Erratur etiam, si homines, qvos gratia divina saltem in externo fundo potentiarum infimarum tetigit, extollunt se ob copiam facultatum. Errorem hunc permittit Deus aliqvamdiu, donec placuerit ei promovere tales homines. Tunc autem corrigit errorem per oppositam iis paupertatem, qvâ commutat eorum divitias; imò non raro eos tantoperè depauperat, ut nec ulla eis divinæ sensationis restet memoria. Hoc donum utut horridum iis videtur, excellens donum Dei est, non nisi iis communicabile, qvi ei qvadantenus confidunt. Paupertas hæc cœlestes divitiæ sunt, sicut scriptum est: Beati pauperes Spiritu, qvoniam eorum est Regnum cœlorum: & qvicunq; Deo militat, reddit Deo gratias pro accepto Thesauro paupertatis. Hi sunt errores, qvos & cognoscere ac devitare oportet eos, qvi mundo & sibi abrenunciârunt, quivè ad perfectionem vel ad proximum gradum beatitudinis aspirant, qvò qvidem multum facere potest, si se examinant, num & qvando reperiant se præscriptis modis captos, ut reperto errore confestim desistant se Deo offerendo, cùm manifestum sit modales hoscè homines non longè progressos nec alibi tactos esse præterqvàm in solis infernis (sensitivæ animæ) potentiis, adeoq; esse adhuc initiantes (infantes). Quicquid autem dictum sit de erroribus, in qvantū errores sunt, nihilominus tamen, qvi taliter errant, præferuntur iis qvi nunqvàm incipiunt; illi autem ut ince-

periunt, ità ſtudiosè cupiunt progredi, adeoq; deprehenſis erroribus proficiunt in melius impoſterum nil niſi Deum quærentes.

Verùm ut etiam cognoſcatur, qvantum diſtent præfati initiantes à probè exercitatis Dei amicis, oportet prius cognoſcere qualitatem ſanctorum Dei amicorum, poſteà eſt addiſcendum artificium progreſſûs ad perfectionem, id ſanè ſi homo probè perpenderit, perfacilè ſtatum ſuæ imperfectionis cognoſcet. Qvales autem ſint verè Sancti & Amici Dei eſt alibi oſtenſum, ideoq; prætergreſſis iis ſufficiat hîc ſolùm ſigna qvædam ſubjungere, qvibus ii ab aliis minus ſanctis internoſcantur. Amici Dei qvi fontem aquæ vivæ ſcaturientis in Vitam æternam deguſtârunt, ſunt ſimplices in Verbis, geſtibus & operibus, ſunt mundo exoſi, qvia familiaritatem, multiloqvium & converſationem poſthabent, ſanctæ Eccleſiæ præſtant ſimplicem obedientiam, averſantur diſceptationes captioſaq; argumenta, qvæ per Scripturam ſimplicem ſolvi neqveunt, oculo Spiritûs patulo ac lucido ſpeculantur difficillima, de aliorum peccatis ſummoperè dolent, precibus ſuis Eccleſiam fulciunt, utut pauci ſint: plura de iis videantur alibi.

Jam reſtat dicendum, qvid factu opus ſit probo homini præcitatis modis & erroribus adhuc implexo, ſed tamen progreſſum ad perfectionem deſideranti. Expedit autem tali homini ad pedes Chriſti proſtratum ſe humiliare, uti dictum eſt, nimirùm cum ſubjectione ſui, cum reſignatione Voluntatis ſuæ totali, cum præcipitatione Spiritûs in immenſam Dei miſericordiam. Deindè convenit etiam humiliter agnoſcere errores ſuos, nempè, qvod antecedenter non ſolum Deum ſed potius ſeipſum volenter amaverit, taliterq; proximâ viâ non proceſſerit. Deniq; & opus eſt ei quærere ſibi amicum Dei, Virum illuminatum, cujus informationi fideliter ſe ſubjiciat. Hîc autem unicuiq; cautâ circumſpectione opus eſt, ne animum ſuum concredat hypocritæ, qvorum multitudo vix non eſt efficax abſterrendi unumqvemq; à confidentiâ cæteroqvin adeò neceſſariâ. Id au-

autem cùm aliter non sit, suadetur homini bono atq; perterrito confugere ad ipsum Dominum nostrum, qvi nullum in se sperantem deseruit. Magna ergò est, magna qvoq; efficit fiducia ergà Dominum, qvâ tamen multi abutuntur, illi scilicet, qvi absq; Curâ cœlestium vivunt sine conatu & exercitio spirituali, seq; unà cum Corpore perdunt. Uti autem talium fiducia vana est, qvia falsa, ità eorum qvi humiliter propter Deum cuncta deserunt, nec ullibi se aut sua quærunt, fiducia in Deum est vera, certa & salutaris.

Q. Cognitis nunc ac remotis modis (obstaculis) qvibus homo bonus in progressu impeditur, qvo minus ad finem optatũ pertingat, qværitur, qvaliter homo imposterum se in eâ viâ gerere, num subsistere, an pro lubitu qvousq; valet progredi debeat? R. Utrumq; qvidem licet, prius autem est minus periculosum. Subsistente enim & expectante homine cum patientiâ, donec Domino visum fuerit reddendi eum capaciorem exuberantis gratiæ, certocertius est, suo tempore advenire ipsum Dominum in adjutorium, eoq; conducere eum ad ipsum fontem aquarum vivarum in qvælibet corda aptè præparata salientiũ, & eâ conductione tutior nulla est. Respectus meriti cadit hîc, adeoq; convenit homini indignum se reputare tot atq; tantorum beneficiorum Dei. Beatus homo, qvi in mortalitate suâ ducitur ad fontem vivum, tametsi nonnisi unicam indè hauserit guttulam. Tanta namq; est ejus efficacia, qvæ totum hominem valeat alterare, reficere & renovare; inprimis emoriuntur tunc confestim omnes caducæ Creaturæ in ejus desiderio, animus qvoq; illuminatur & sublimatur sic, ut nec sensibus nec ratione comprehendi, tantò minus Verbis qveat exprimi. Ejusmodi hominibus plus Lucis est atq; discretionis, qvàm cunctis iis, qvos suis præfatis modis peculiaribus addictos cernimus.

Q. Dic etiam nunc qvid sentiendum est de iis, qvi præmaturè altum sapere volunt? R. Tales sunt principistæ sivè incipientes homines, qvi statim atq; cæptum est probè vivere, præsumunt sublime tranare indigno volatu, dum res divinas ac æternas meditari

ditari cupiunt venando qvæ comprehendere neqveunt. Amarares est iis meditatio perfectæ Vitæ Christi, qvali non sit occupationis eorum, proindè & Vita talium periculo plena est. Verum enimverò reqviritur, ut homo fundatus sit super Petram (firmum scilicet fundamentum) qvod Christus est, servari si cupiat, qvod fit, cùm homo seqvitur Jesum humilem calcando vestigia munda sanctæ ejusdem Vitæ qvantum pote. Necessum qvoq; est, ut seriò ac desideriosè consideret amaram passionem, torturam & probrosissimam ejus mortem. Necessum insuper est, ut omnes virtutes exerceat, cùm secùs futurum sit, ut nunqvàm ad Vitam perfectam perveniat, qvæ tantùm per hanc Veritatis Viam acqviritur. Hàc ratione dicit Christus:

Joh. 10. Ego sum ostium, qvi per me intraverit, pascua inveniet. Qvasi sic voluerit negativè dicere: Quicunq; non intraverit per humilitatem humanitatis meæ, non pertinget ad sublimitatem Deitatis meæ. Si qvis à lapsu tutus esse cupit, expedit qvam maximè occupatum esse continuâ meditatione acerbissimæ passionis & contumeliosissimæ mortis Domini nostri Jesu Christi, deindè insistere vestigiis sanctæ Vitæ ejus qvantum possibile est, qvoniam hæc vera Via est quæ tendit ad Deitatem. Nemo igitur audacter contendat ad culmen Deitatis, priusqvàm factus est perfectè exercitatus in Vitâ operativâ, & religiosâ imitatione Vitæ Christi: qvomodò qvis ad istam Vitam perveniat, edoctum est alibi.

Q. Cùm autem communis sit ea querela, qva dicunt, etiamsi ad inversionem aspiro, & ad perfectiorem Vitam me accingere volo, nihilominus ab externâ operatione fatigor nimium eoq; impedior, qvominus mihi præsens sim, qvatenus sum obrutus tot tantisq; negotiis externis, ad qvæ obedientia me obligat, dic qvaliter cum his sit comparatum? R. In vanum queruntur tales cùm propriâ suâ culpâ impediantur: quoniam nullum externum Opus impedit dummodò seipsum qvis semper observet, cùm qvis qvis ho: fecerit, sex passis non gradietur sub obedientiâ, qvin se ipsum in faciet in verâ inversione. Procul dubio er-

in eo tantùm situm est obstaculum, qvod homo seipsum non observat, sicut observare debet.

Q. Dic in qvo consistat neglectus observationis sui? R. In eo consistit neglectus, si qvid faciendum est homini, is autem statim eò intendit toto corde & animo speculando nimium sivè sub excessivâ curâ sivè cum complacentiâ (desiderio voluptuoso) sivè cum fastidiosâ abominatione, hâc ratione expedit illibenter qvod obedientia reqvirit, cùm aliàs satis promtus esset, si non adesset obedientia. Et hoc ipsum est, qvod Cordis penetralia usq; adeò sollicitat, ut vix & ne vix queat ad se redire. Quodsi per accidens qvandoq; se cupit invertere, subitò irruit sollicitudo (malè ordinata cura) qvæ obstat, qvominus id facere queat.

Q. An tu ipsius Culpâ hoc fieri dicis? R. Imò vel maximè id ratio dicit: Nam si veraciter intenderet Deum in cunctis operibus suis, si qvoq; promtè ob Dei solius servitia subjiceret se obedientiæ, tàm præsens ei Deus semper esset, ut nulla phantasia posset eum distrahere. Etsi qvà operatio tàm multiplex esset, ut à curis se extricare nequeat, nihilominus potest facilè in se divertere, dummodò intentio ejus sit ergà Deum directa.

Q. Quomodò res est instituenda, ut qvis ad tàm beatam probam Vitam perveniat? R. Id è doctrinâ cujusdam senis perdiscere poteris, qvam suo discipulo tradidit, ea propter hîc tibi eam communicare lubet. Dicebat, semper eò esse incumbendum, ut Unitas servetur mediante custodiâ qvinq; sensuum, qvi varias periculosas species inferunt in hominem, qvod ut ordinato qvodam modo queat fieri, ajebat opus esse:

1. Ut oculi semper deorsum terram versus in humilitate profundâ declinent, occlusi taliter, ne qvà res externæ possint inferre speciem, qvæ damnum pariat.

2. Ut aures custodiantur, ne vanas res audiant, maximè traductionem proximi, qvæ scandalum secum inferunt.

3. Ut os ità compescatur, ne qvà loqvatur aliud, præterqvàm qvod exigit necessitas, nimirùm qvæ serviunt ad laudem Dei & utilitatem proximi.

4. Ut Cor sit tùm paratum tùm præparatum, qvò Deus mansionem suam incessanter queat habere in eo.

5. Ut Voluntas adeò sit liberata à desiderio cunctarum Creaturarum, ut qvicqvid Deum non sapit, nonnisi amaricet.

6. Ut ratio sit abstracta à speculatione rerum mundanarum, ut & memoria à cogitatu inutili eo fine, ut Voluntas cùm totâ Vitâ semper offeratur Creatori & Amatori suo.

Qvisqvis igitur se Deo tàm obseqventem & humilem custodierit, is noscat oportet, qvod Deus verè possideat eum, edoctus suam Voluntatem per gratiam ei exhibitam, qvò cognoscat, qvid facere qvid intermittere debeat in Spiritu & Naturâ.

Q. Cùm istiusmodi sensuũ custodia sit arcta qvædam clausura, qvæ solùm spirituales homines videtur attinere, non autem eos qui negotiis externis plurimũ occupantur, dic qvid hîc te observâsse noscas? R. Hoc observavi, qvod qvidam homines gregatim sunt inclusi, nihilominus Cor animusq; eorum per mundum longè lateq; dispersa sunt pervagatum res caducas. Vicissim autem inveniuntur, qvi plurimis negotiis occupati vadunt mundinatum, corde tamen ac sensibus tàm sunt exactè custoditi & inclusi, ut ne minimum negotium eos perturbare, aut internâ pace privare possit. Et ideò longè verius hi nominandi sunt clausi & custoditi, qvorum corda mentesvè cum Deo integrè unitæ sunt, qvàm qvi sunt adeò sensibus non custoditi sed distracti, ut nec brevissimo tempore suas cogitationes constringere qveant, tametsi muris inclusi sint. Exindè potes cognoscere, qvod ea custodia sensuum spectet omnes promiscuè sivè sint solitudinis incolæ, sivè rerum mundanarum dispensatores, qvoniam omnes debent ad perfectionem tendere.

Q. Cùm ergò cunctis promiscuè incumbat eò allaborare, ut in perfectum Virum evadant, dignare præscribere compendiosum qvendam modum, cujus ope labor hic tanqvàm ad regulam succedat facilius? R. Compendium cupis, compendium cape. In virum perfectum evadet, qvi oculis Cordis sui semper præponit perfectam Vitam Domini nostri JesuChristi, tanqvàm

in Speculo obtutum seipsum in eâ, ut totam suam Vitam juxtà normam puræ Christi Vitæ instituat. Hoc enim qvàm probè noscas velim, non posse fieri, ut unqvàm qvis perveniat ad Vitam perfectam, qvin & per eum introëat, qvi de se dixit: Ego sum Via, Veritas & Vita nemo venit ad Patrem nisi per me. Id si desideras, qvid aliud traditur, qvàm qvod sit necessarium sibi firmiter proponere prænobilem Christi Vitam, eamq; imitari? Joh. 14.

Q. Sunt autem ex iis, qvi postqvàm diuturna Exercitia in Vitâ operativâ habuerunt, desiderant nôsse, qvando sit satis factum præfato modo, id est, qvandò pervenerint ad absolutum Vitæ operativæ finem, qvò liceat iis solùm in Contemplatione sublimium versari cum internâ delectatione & Deitatis meditatione, qværitur ergò qvid circà curam hanc notandum sit? R. Hîc probè observandum est, an & quandò eò pervenerit homo, id qvod à simili clarius patebit. E. g. Cùm arboris fructus sunt immaturi adhuc, non cadunt per se, neq; etiam motâ hinc indè arbore: maturitatem verò nacti spontè cadunt, nec opus est decussione. Similiter est comparatum cum spiritualibus hominibus. Opera (exercitia) bona sunt fructus, qvi postqvàm maturitatem acqvisiverunt, suâ sponte elabuntur, nec opus est impenso labore, qvod sic intelligendum est. Si verè quis ac sincerè fuerit imitatus venerabilem Vitam Domini nostri Jesu Christi, ità ut similis ei factus fuerit, qvantum possibile, idq; per gratiam obtinuerit, qvod ejus est per naturam, de qvo dicit S. Petrus: Is est, qvi peccatum non fecit, & non inventus est dolus in ore ejus: tunc est dicendum de fructibus, qvod sint maturi facti. Enimverò considerandum est, num omnium sit expers peccatorum, qvæ Deum & hominem separant, considerandum qvoq; est, an seriò sibi caveat à cunctis venialibus qvotidianis peccatis fugiendo loca, tempus, conversationes & qvævis alia, qvæ ad peccata possunt incitare, deniq; an Cor & omne desiderium Deo tàm tenaciter adhæreat, ut neq; adversum aut prosperum, neq; amicorũ cura, neq; ulla res caduca qvæ intus impedit à Deo abstrahat eum. Qvodsi hæc omnia per gratiam Dei in se deprehendit, 1 Pet. 2.

noſcat fidenter, tunc propè eſſe tempus æternæ ſuæ quietis.

Q. Sufficitnè ad abſolutam Vitæ requiem præfata hæc in ſe inveniſſe, ut exercitio vacet? R. Imò ſequentia ſunt ſuper addenda, ſi quemvis defectum cupit declinare; qvoniam qvæ perfectam Chriſti Vitam ſpectant, nondum ſatis tibi nota cenſeo: hæc igitur Vita debet devoto homini eſſe Speculum terſiſſimum ſine omni maculâ inventum, qvod ſibi præfixum ubiq; habere tenetur. Repræſentata hæc perfecta Chriſti imago, juxtà qvam tota hominis Vita foris & intus inſtitui debet, verè figenda eſt è regione Cordis, hinc penſitanda continuò amariſſima ejus paſſio, quam liberè & amanter noſtri causâ ſuſtinuit. Devotâ mente revolvendum eſt, quàm fædè ejus vultus deturpatus, qvàm nigricans & difformatum corpus ejus gratioſum factum fuerit à dirâ flagellatione, qvàm decoloratum in acerbiſſimâ agoniâ, quàm toto Sanguine privatum, qvàm miſerabiliter omnia ejus membra præ Cruciatibus ineffabilibus Vitâ functa fuerint ſub univerſali deſertione. Quæ cùm ſic fuerint perſpecta, opus eſt, ut diligenter ſcrutetur, num in his omnibus ſit ſimilis factus Salvatori ſuo, nimirùm an,

1. Sit etiam factus niger & aridus, quemadmodum granum in terram ſatum emoritur priusqvàm fructum ferat, ſic ut omnes res caducæ in Corde ejus marceſcendo emoriantur, & ut patienter ſuſtineat, qvod cruciat?

2. Num Vitia naturalia, defectus itidem corporales ex integro ità mortificata ſint, ut amplius nullum exortum ne dicam progreſſum habere poſſint, & an variâ mortis Specie Carnem & Sanguinem deperdiderit, antequàm ſeipſum vicerit?

3. An etiam in paſſione ſuâ penitus à Deo deſertus fuerit foris & intus, maximè intus, & an ſolaminis expers idipſum liberè & patienter à manu Dei receperit? Nam ſi hæc omnia verè in ſe deprehendit, lætetur opus eſt; ſiquidem tunc appropinquat finis, quo à labore omni ſolutus perveniat ad pacem & quietem eſſentialem: & ſic cum S. Paulo poterit dicere: Vivo, jam non ego.

ego, vivit autem in me Christus. Hoc ipsum fit, cùm omne qvod est homini naturale, perfunditur gratiâ Dei: & sicut Deus solus vivit in eo, ità qvicqvid imposterum facit, facit per gratiam Dei & Deus operatur cuncta in eo foris & intus. Tunc pervenit homo ad id, propter qvod lætus subivit variam acerbam mortem, non minus etiam cognoscit, qvod qvô plus facit, hoc minus operatur, qvatenus nil aliud incumbit ei, nisi tranquilla quies in sublimi intellectûs contemplatione, qvo cunctas Creaturas transcendit nunqvam desistendo amplius, donec verè pertingat ad eum qvi cuncta creavit, ubi aspiciet impermutabilitatem SSæ. Trinitatis & simplicitatem Deitatis, cujus contemplatio reddit Charitatem immensurabilem.

Significata hiscè est aptitudo debita, qvæ in progressu per Exercitium continuũ obtinetur, nunc simul indicandum est qvoddam genus Exercitii, qvo ipso qvis unà præparatur ad Vitam spiritualem. Hoc exercitium, uti mox sub initium progressûs instituitur, ità adhuc in externis modalibus & disciplinâ morali consistit, qvàm & ideò pagani strictè nonnunqvàm observârunt solo virtutis amore, quatenus per exercitationem moralem conqviritur virtus. Et qvoniam linguæ edomatio est Virtus externa, qvam & Poëtæ antiqvi commendârunt his Verbis: Virtutem primam esse puta compescere linguam, proximus ille Deo, qvi scit ratione tacere: tantò magis tenetur bonus Christianus

1. Linguam suam refrænare, qvæ aliàs nonnisi exorbitare novit, qvin & pacificos suâ pace, imò incurios Vitâ & Salute privare potest. Benè moratus rarius loqvitur & priusqvàm ad qvæsita respondeat, considerat 1. num Verba sua sint honesta & utilia. 2. An Dei gloriam spectent. 3. An Auditoribus pacem afferant.

2. Prospicere sibi, ne Verba ejus inculpari queant. Nam benè moratus ut falsum & mendacium odit, ità Verbis suis nemini nocere cupit expenso perfectum esse eum, qvi non peccat in ullo Verbo.

3. De industriâ cavere sibi, ne nimium laudet, tantò minus vituperet aliqvem. Nam benè moratus utrumq; fugit, qvia tàm adulatio qvàm invidiosum judicium est malum.

4. Ornare Verba sua cum humanitate tàm in docendo qvàm reprehendendo, abjectâ loquelæ asperitate.

5. Præsentes honorare, absentes æstimare fugiendo falsas & pungentes dictiones, tantomagis odiosas & mordaces contentiones. Nam benè moratus connivendo cedit alterius Verbositati ejus qvi disciplinam spernit atq; sic tacendo pacem servat utrinq;.

6. Se continere, ne transferat audita vel alia sibi obviantia in publicum, qvæ potius ceu res inutiles oblivioni tradenda sunt ac si nunqvàm fuissent scita.

7. Seculares intermittere discursus, qvibus vel maximè devotio impeditur & lapsus à Vanitate mundi causatur.

8. Cavere ne fatigatum à cogitationibus Cor quærat in Verbis Solatium externum, qvo ipso internum divinum solamen impeditur.

9. Observare, ut cùm loqvitur in Conversatione bonâ, loqvatur de spiritualibus: futurum namq; est, ut talia interloqvia promoveant Vitam spiritualem, cui vel maximè adversantur, qvi Os non custodiunt, nec tempora sua salubriter in Oratione & Vigiliis traducunt.

Q. Cùm duplex sit genus hominum salvari cupientium, unum eorum, qvibus sufficit sine meritis excellentioribus regnare cum Christo, alterum eorum, qvi suprà hunc gradum Beatitatis tendendo conantur cunctis viribus imitari Christum in Vitâ mortificationis, dignare, quæso, emorientem hunc amorem qvodammodò latius explicare? R. Moralis ista mors (continuè viventis Christiani mortificatio) est, qvà qvis ob Dei Charitatem non vult uti satietate sensuum, naturæ commoditate, nec etiam propriâ Voluntate. Indè dici solet, qvod qvotiescunq; qvis voluptati emoritur, toties Deo mortem offerat, totiesq; vivum fructum reportet. Nam qvantum qvis à seipso exeundo sibi moritur, tantum intrat Deus in eum, qvi vera Vita est.

Q. Cùm alterum genus sit valdè laboriosum, sic ut ad eos qvam maximè spectet Pietatis Exercitium, annon hi qvasi in tres Ordines divisi, hoc est, incipientium, progredientium & perfectorum, tres gradus supponunt, in qvibus persistere aut progredi, eatenus etiam inter se discriminari queant? R. Rectè censuisti: sunt namq; moraliter morientium hominum tres ordines & exercitii progressus est distinctus in tres gradus. Qui pervenerunt ad infimum gradum sunt incipientes adhuc, hactenus etiam separantur à progredientibus, cùm quidem suum Corpus castigant præ metu inferni simul ac spe Salutis, dum aversantur intereà Peccata mortalia propter tantillum ergà Deum amorem: nihilosecius tamen Amor divinus rarissimè operatur in iis, nisi ex respectu inferni aut cœli, uti dictum est, quoniam à philautiâ excæcati percelluntur terrore mortificationis, nec audent seipsos oppugnare, utpotè qvod natura nondum mortificata eos abstrahit, sic fides est exigua, undè pusillanimitas oritur, qvâ semper sibi timent. Nam sicut natura seipsam amat varios ubiq; modos quærendo, qualiter Carni satisfaciat, mundi Vanitatem servet, & sicut ex philautiâ qualemcunq; Corporis afflictionem aversatur, ità & tales homines amant seipsos adhuc, peccata qvidem intereà devitando sed vel inferni fugiendi vel mercedis cœlestis impetrandæ gratiâ, ejus charitatis Causâ tantùm fit, ut aliqvatenùs amorem Dei degustent, qvi aliàs vel minimè sapit iis, eò qvod parum notitiæ ejus habent. Et tametsi passionem Domini nostri Jesu Christi frequenti compassione deplorant, qvà tàm acerbâ morte eosdem redimere dignatus est, nihilominus cùm Christum parum ament, inclinant magis affectuosè ad externam humanæ suæ naturæ passionem, qvam ad summam cunctarum Virtutum perfectionem, puta humilitatis, charitatis, patientiæ &c. istas Virtutes exhibuit Christus per mortem suam in supremo gradu in honorem sui cœlestis Patris. Porrò tametsi tales homines mori incipiunt cùm adhuc seipsos nimium amant, non possunt tunc cognoscere, qvid sit Deo esse unitum ac funditùs immersum: qvin etiamsi

iamū Deus cuncta qvàm optimè operetur ad bonum, id tamen detrectant credere,cum iis nimis operosum videatur, qvapropter in admirationem rapti hinc indè vagantur quæsitum,qvam ob rem Dominus noster tàm multa dira pati, suosq; Amicos & Imitatores per tàm aversas Vias ad se trahere voluerit? cæterùm jam facto emorientis Vitæ initio sub imperfectâ inclinatione ad veram perfectionem (qvà nondum cognoscunt in qvo consistat vera perfectio) cruciant se sæpenumerò vigilando, jejunando, corpusq; foris multipliciter castigando, eosq; Corporis cruciatus putant valere plurimùm apud Deum, verùm tamen hoc interim ignorant,qvod (utut Deo placeat) non tamen sit in eo acquiescendum, eò quod valdè imperfectum adhuc sit. Secùs igitur, dum maximam Corporis disciplinam exercent, putant, hoc modo eos pervenisse ad summum perfectionis gradum, hinc etiam in falso supposito judicant alios ac simul eos, qvi longè perfectiores sunt,nimirùm vilipendunt,qvi non se foris castigant tanqvam crassos homines & ignaros Vitæ spiritualis. Ast qvod dijudicant eos qvi non sic sentiunt tanqvàm errore correptos, qvin etiam in philautiâ seipsos simul ac ea qvæ spectant ad eos in proprietate servili possident, hinc etiam fit,ut coràm Deo se longius postponant in charitate communi, cùm è contrario persistere debebant in eâ versus bonos & malos promiscuè. Annon advertimus, qvàm sic permaneant in charitate divisâ facti irrequieti seipsos quærentes, amantes & respicientes? Quid quod sua bona spiritualia non participant cum proximo, quatenùs Orationes & Exercitia ad suam ipsorum necessitatem reflectunt, & si qvà orant vel boni quidpiam erogant in alios, id adeò magnipendunt, ac si vel infinities servivissent. Summatim dicendo,qvemadmodum parum introversi parum illuminantur in cognitione suiipsius; ità qvoq; parum progrediuntur in charitate Dei & proximi, adeò repertum est inde, qvàm sint ligati à charitate malè ordinatâ, quamvè relicti sibi socientur nulli in verâ charitate. Charitate eâ carent, quæ est habenda ergà Deum cunctosq; homines, & quantum vis Deo

ma:t

mandatis videantur subjecti, nihilominus mandatum charitatis non servant. Quicquid autem faciunt, faciunt potiùs præ timore & de necessitate, qvàm è perfectâ charitate: sic qvia Deo intus infidi sunt, non audent fidere ei, & imperfectio qvàm in seipsis advertunt, frangit charitatem versus Deum. Quocircà tota eorum Vita manet immersa in curis, timore, labore, ærumnis miserandis: ab uno latere respiciunt Vitam æternam sub metu eam perdendi, ab altero infernum considerant sub metu eò perveniendi, ast hîc ignorant, qvod ad eum metum pellendum non sufficiunt orationes & exercitia cuncta qvæ faciunt, qvamdiu sibiipsis non emoriuntur, imò qvò magis parcendo se amant, hoc magis crescendo augetur metus inferni.

Q. Dic qvid porrò sequitur? R. Hoc sequitur, qvod, si à Deo non impetrant præfatum auctum timorem juxtà Voluntatem eorum, suspirant, queruntur, lachrymantur, imò qvamlibet, qvæ fortè obvenit, adversitatem sivè vanitatis sivè fabularum &c. qvæ nullius momenti sunt, exaggerant qvamplurimùm, dum multa narrant de grandi suâ passione velut immeritâ. Hoc indè venit, qvod suis Operibus (quamvis exigua sint) adscribunt merita mensuram (proportionem) excedentia, qvà putant, Deum hâc ratione debere iis tùm gloriam tùm Bonum infinitum. Verùm benignus Dominus habet Causam, prout & facit, postqvàm illuminavit eos, dicendi, qvod miser ac stupidus homo æq; amat suum baculum ligneum vel aliam rem vilissimam atq; sapiens robustus Vir suum gladium aut pretiosum diadema. Tales homines statuuntur in primo gradu morientis Vitæ, & si qvà ipsos se non magis mortificant, hoc est, non plus emorientis Vitæ in se observant, verendum est, ne facilè recidant in gravem Stultitiam & Malitiam, nî Deus averterit. Sed anteqvàm labantur, exhibet iis Deus delectationem tantoperè exhilarantem, ut gravitatem pœnitentiæ sustineant viriliter: hoc facto dum putant se jam perveniſſe ad perfectionem, incipiunt judicare proximum non minus cupiendo cunctos homines ad suum Exemplum trahere. Postqvàm autem sic in animo se

magnipendant, accedit misericors Dominus eruditum eos qvid sint atq; ostensum, in qvantum errorem lapsi fuerint, qvoniam permittit fore, ut inimicus iis infundat suavitatem peccatorum, qvam sequitur inclinatio ad peccata una post alteram, sic ut homo se nequeat eripere ullatenùs. In tanto periculo se constitutos videndo conantur fugere à peccato, qvo ab inferno liberentur: hoc fine inchoânt foris facere bona Opera, abstinentiam &c. (qvamvis & hæc laboriosa valdè sentiant esse). In tantis angoribus contrà semetipsum dum volutatur animus, nescit quo se vertat, inprimis cùm velut per transennam videat se aberrâsse. Cùm itaq; necessum sit, ut Deus misericors festinet ad juvandum ac erigendum eum, ità qvoq; necessum est, ut homo divinum auxilium solicitius implorando exerceat se potissimùm in Vitâ & Factis Domini nostri JESU Christi, comprimis in passione ejus innocenti. Hiscè describitur gradus incipientium.

Q. Explica nunc, quæso, gradum secundum mortificationis, ad qvem pertingunt qvi progrediuntur in Viâ perfectionis? R. In gradu secundo sistuntur proficientes, qvibus Deus copiosius infundit perceptibilem suavitatem, qvibus etiam majorem addit mortificationem sic, ut cunctis Viribus allaborent pervenire ad statum sublimiorem: Verùm tametsi hoc ipsum cum perceptibili gratiâ ex pari perduret, qvà tamen adhuc longius distant à perfectione, non potest fieri, quamprimùm divino eo præludio privantur, quin impatientes reddantur paupertatis, simul ac urgente infirmitate labantur in diffidentiam qvasi DEUS oblivione captus nollet eos in Viam perfectionis deducere. Ad hæc & cogitationes insequvuntur se super eo qvod faciendum vel intermittendum est, nec hoc solùm, qvin qvotiescunq; DEUS clementem se exhibet, contenti sunt cum Deo existimantes se adeò ditatos nunc esse, ac si nec unqvàm possent depauperari. Festinant hinc Deo & uti & frui tanqvàm singulari Amico, tametsi adhuc sint imperiti ac inexperti, eò qvod complacentiam habent in divinâ Clementiâ, à qvâ solatium nanciscantur in adversitate & in virtute divitias. Econtrà cùm Dominus clementissimus

tissimus non solùm noscat qvàm facilè sint confisuri præsumtioni earum eoq; graviter lapsuri, sed etiam noscat qvod fructus optimus evanescat ideò qvod ad perfectionem, ad qvam incitantur, nondum pervenerunt, & qvod potius in Sapientiâ, Sanctitate & Virtute nimis amanter sunt ad seipsos conversi, hinc haud rarenter subtrahit omnia qvæ revelavit iis: hâc mediante paupertate reducit eos tùm ad displicentiam suiipsorum tùm etiam ad humilem agnitionem ejus qvod nihil noscant nullavè re digni sint. Hoc facto incipit talis homo considerare seipsum, qvaliter Deus summo jure ac merito subtraxit manum perceptivæ gratiæ, eò qvod se censuerit esse aliqvid, secùs qvàm se videt nunc nihil esse. Enimverò solebat suam famam inter homines amare & custodire sic, ut ejus delatores putârit esse obtrectatores boni publici: sitiebat etiam laudem Sanctitatis, nec minus putabat humanam laudem promanare semper è Corde virtuoso & divinâ Ordinatione; ast hîc tàm longè aberrabat, ut seipsum in seipso non invenerit, & non obstante qvod totus erat defectuosus, se tamen talem esse putabat, qualem humana censura jactabat. Hæc est magna inscitia, minimè verò mortificatio.

Q. Dic qvid observandum est ei, qvi nondum mortificatus tàm grandes errores cupit superare? R. Tria seqventia sunt nondum emortuis observanda,

1. perpendere debet, num magno conatu studuerit hilariter pati qvascunq; redargutiones, delationes & vituperia propter virtutem, eoq; seipsum humiliter Deo offerre.

2. Perpendere debet, qvantoperè Deum in redarguendo, vituperando & perturbando proximo laudavit, glorificavit, qvalivè Amicitiâ intus & extus ei compensavit adversitatem.

3. Observare debet in seipso, an homines vel creaturas malum ei inferentes ex corde amavit, & pro iisdem oravit. Quodsi hæc omnia nec deprehendit necq; peragere cupit, imò si è contrario se durum ac impacientem invenerit, noscat velim certo-certius, eum falsò vivere, (qvatenus persistit in laude vulgari

& spirituali superbiâ) eoq; nondum emortuum esse, nondum vè ad secundum morientis Vitæ gradum pervenisse. Nihilominus clementissimus Pater Dominus Deus noster, qvi plenus est charitate (qvi tanquàm Medicus sincerus, expertus, qvi herbis præstantioribus infirmum ad perfectam sanitatem cupit perducere) deserit eum sæpenumero eo fine, ut discat seipsum cognoscere, indè fit, ut in tentationes labatur tàm spirituales qvàm carnales, qvas antecedenter nescivit, cùm bonum ac spiritualem seipsum censebat esse. Deus autem subtrahit ei intellectum obscurato lumine, in quo aliàs ambulabat, eum quoq; cingit Spinis anxietatis, qvo ipso fit, ut aliud nil de se præsumat, nisi qvod à conspectu Dei sit reprobatus, hâc ratione lachrymabundus clamat ad Deum dicens: Domine, ad qvid me deseruisti, quare sic gemebundus incedo diffisum? Quidquod à Capite ad Calcem se invenit intus & extus Deo dissimilem (recalcitrantem) perfunditur tantâ Confusione, ut se volenter tradat passioni. Tunc igitur meditatur lugubria dicta Scripturæ fusisq; propter inventam suam malitiam lachrymis subjicit se Deo dicens cum Manasse: peccavi super numerum arenæ maris & non sum dignus videre altitudinem Cœli, eò qvod Deum ad iram concitavi & malum coràm eo feci. Hiscè lamentis privatur nonnunqvàm dehinc internè magis cruciatus, qvatenus ab unâ parte sentit insigne desiderium humiliter se deprimendi sibiq; emoriendi, ab alterâ parte observat superbiam & præsumtionem de seipso, hinc adeò exacerbatur contrà seipsum, ut malit mori (si Deo gloriosum esset) qvàm pati ea. Procul dubio sub eâ pugnâ patiuntur humanæ Vires non parvam jacturam in Spiritu & Naturâ. Hoc non obstante reperit adhuc in se eam gratiam, ne unquàm velit præconcepto modo offendere Deum in qvalicunq; casu adverso. Nonnunqvàm redit plorandi gratia, hinc & clamando excitat Deum velut dormientem rogando ne suam diutius misericordiam teneat præclusam, in simul exorat sanctos Angelos & Spiritûs beatos, quo sui misereantur. Non potest comprehendere, qualiter malitia sua queat invincibilem

bilem vincere Deum, ut suam abscondat misericordiam, cùm cæteroqvin ejus proprietas sit misereri, parcere & juvare. Tali modo circumducuntur exercitia & actiones Dei in gradu secundo emorientis Vitæ per aquam, per ignem tamdiu, donec è cunctis secretis mentis angulis expulsâ perceptione præsumtionis pudefactus homo posteà spernat seipsum nil magni de se præsumendo, donec etiam infirmitatem, in quâ est & fuit, agnoscat tanquam in se nil nisi defectuosum sit neq; ad eum spectet qvid boni faciat; quidvè in laudem ejus dicant homines. Quicunq; huc pervenit, conscendit gradum secundum ad summum usq;, & qui persistit in eo, procul distat à Portu immensæ gratiæ, qvâ mediante futurum est ut intromittatur in conclave Sponsi Christi, à qvo hilariter recipiatur in die sui obitûs. Quàm durum sit mori, nulli non constat. Cernimus autem minores arbusculas non tàm profundè suas radiculas in terram incuneare, hac propter non diu subsistunt, his denotantur corda humilia, quæ suas radices non profundè in Terram, sed profundè in Cœlum spargunt: Contrà majores & altæ arbores qvæ diu durare debent, dispergunt radices suas in latum & profundum, simili modo & magni nominis homines oportet váriâ pugnâ præcedente intrà seipsos emori sic ut omnis temeritas animi frangatur, ipsi verò in humilitate diu & fortiter persistere qveant, quamvis & alias Vias habeat Spiritus S. præter hanc, per quas ejusmodi homines ad se trahit.

Q. Satis nunc de secundo sivè progredientium gradu, dic porrò quid habes de tertio emorientium gradu? R. Gradus tertius spectat tantùm perfectos, qvi desiderio ardenti aspirant ad perfectionem. Eorum status habet mixtam invicem tristitiam & lætitiam, indè propelluntur. Nam Spiritus impellit, inseqvitur, & præparat eos eò, ut coram Oculis semper habeant duplicem tristitiam & duplicem lætitiam. Prima tristitia est internus immodicus Cordis dolor proveniens à sensu ineffabilis injuriæ, quâ SS. Trinitas afficitur à cunctis Creaturis, imprimis ab improbis Christianis qvi in peccatis mortalibus vivunt.

Secunda tristitia sita est in compassione ergà tristitiam & passionem, quam Christi humana natura sustinuit propter illo I ipsum objectum. Ast prima ea lætitia est contemplatio sincera, imò & plena utendi potentia, quatenus Spiritus S. extollit eos in Christo, quo possint uti eo in omni lætitiâ, quam credunt & sperant post hanc Vitam perfectè intueri. Altera lætitia est de gaudio eo, quo Christi natura humana utitur, & hujus usús ceu membrum sperat fieri particeps. Tametsi enim abyssum Dei neqveat comprehendere, nonminus tamen lætatur, quin potius obindè quod videt Deum superabundare in suâ misericordiâ ineffabiliter, salutare sibi sentit esse, quod non comprehensâ Dei potestate vincatur, & ideò subjicit se Deo in suiipsius mortificatione. Sed ad istum statum non pertingit homo, priusqvàm Voluntatem suam cum Deo unierit mediante totali abnegatione suiipsius, siqvidem tunc demum fit, ut omnis philautia in Charitate Dei ab irruente S. Spiritu superetur & extinguatur, indè qvoq; seqvitur, qvod Spiritus S. tutò suam Voluntatem & Charitatem queat per eum perficere. Homo enim nil sui causâ velle debet sic, ut etiam cœlorum Regnum nonnisi propter gloriam Dei sit expetendum, id qvod Christus ei dare cupit tanqvàm uni è suis filiis, sicut id ad ejus necessitatem promeritus est. In gradu eo amat homo omnia bono ordine, Deum scilicet super omnia, posteà venerabilem naturam humanam Christi, deniq; beatissimam Christi Matrem & omnes Sanctos, quemlibet juxtà suum gradum & juxtà instinctum divinum. Hic præcedente illuminatione confert se ad ultimum locum in nuptiis Christi, Christus vicissim qui invitavit eum, promovet eum ad superiorem, qvo facto illuminatur novo lumine, & in hoc lumine suam clarius cernit infirmitatem cognito, qvàm ipse solùm sit Causa suæ malitiæ, hinc culpam immeritò conjiceret in Naturam, Mundum aut Diabolum, cùm potius agnoscat Deum misisse tales tentatores ex magnâ Charitate eo fine, ut convictione eorum exhibeat Deo gloriam, eoq; plures coronas mereatur. Cognoscendo videt etiam, qvod solus Deus custodiat eum faciendo

endo ne peccata desideret, causasq; tollendo, ne cadat iterum. Qvod autem pejus est, recordatur, se sæpenumerò indoluisse super minori in peccando Voluptate, hinc totâ suâ Vitâ persistit in tristitiâ & pœnitudine, qvoad infirmitas radicata capit eum adhuc. Sed & unà perfunditur gaudio ob id, qvod videt Clementiam Dei esse immensam ergà suam necessitudinem: sic Vita ejus meritò vocanda est Vita emoriens conformis Vitæ Christi.

Q. Dic qvaliter Vita Christi fuerit ab initio ad finem usq; permixta tristitiâ & lætitiâ? R. Vita Christi permixta erat tristitiâ eò, qvod à cœlesti Throno declinabat in hunc Mundum; lætitiâ verò, qvod à paternâ gloriâ nunqvàm separabatur. Tristitiâ, qvod juxtà humanitatem mortalis erat eoq; in Cruce moriebatur; Lætitia, qvod juxtà naturam divinam erat immortalis. Tristitiâ, qvod tentabatur ab Hoste; Lætitiâ, qvod Angeli accedebant & ministrabant ei. Tristitiâ, qvod sæpè esuriebat & sitiebat; Lætitâ, qvod ipse esca erat Angelorum & Hominum. Tristitiâ, qvod sæpè à labore fatigabatur; Lætitiâ, qvod eorum qvi mundo sunt corde, ac beatorum Spirituum quies est. Tristitiâ, qvod sancta ejus Vita & Passio in tot hominibus perditur; Lætitiâ, qvod suos Amicos indè salvat. Tristitiâ, qvod clavis cruci affigebatur; Lætitiâ, qvod Latroni Paradisum conferebat. Tristitiâ, qvod in cruce sitiebat; Lætitiâ, qvod indè Electos à morte æternâ redimebat. Tristitiâ, qvà dicebat: Deus, ut qvid me derelinquisti? Lætitiâ, qvod omnes mœstos per id solari poterat. Tristitiâ, qvod mortuo eo Corpus ab Animâ separabatur & sepeliebatur; Lætitiâ, qvod tertiâ die resurgebat à morte in Corpore clarificato. Sic tota Vita ejus erat à cunis ad Crucem usq; mixta cum tristitiâ & lætitiâ: hanc Vitam reliquit post se suis sequacibus, eamq; testamento legavit cunctis iis, qvi se ad Vitam morientem convertunt, ut sui memores imitentur eum in tempore, ambulando scilicet, sicuti ipse ambulavit.

CAP. II.

De præparatione hominum progressorum.

DE progressu proborum hominum in primo Capite tractatum est, seqvitur nunc eorum præparatio ultima per qvam efficitur, ut qvi Deo sunt chari, queant hactenùs perfici, fieriq; Amici Dei omnium charissimi. Ut ergò juxtà ordinem procedatur, opus est, ut ea præcedat præparatio, qvæ præservationi analoga est: hanc non ineptè qvis dixerit præoccupationem, quatenus & cunctis Christianis est valdè necessaria in respectu tàm ad Adventum Domini, quàm ad occasiones hominem qvaqvaversus aliàs flectentes, utpote qvibus jam obviet paratus eas sustinendi aut excipiendi. Hic qvidem periculum in morâ est, adeoq; homini, qvi neglectûs sui culpam ferre non vult, non est tardandum, donec irruerint, sed vigilandum solicitè, ne quà fiat, ut incautus neglecto præsidio utrobiq; impetitus prosternatur.

Q. Dic ad qvid inserviat ista præparatio? R. Inservit

1. adversus pathemata animi, uti sunt gaudium & tristitia, spes & metus, amor & dolor, sollicitudo & temeritas, anxietas, ira, odium, invidia &c. Cujusmodi animæ affectiones à suis objectis occasionaliter causantur: motis enim animæ potentiis aut nulla aut parva aut certè dificilima adest resistentia, cùm homo sic præcipitetur in peccata vel inadvertenter vel connivente Voluntate. Paratus verò contrà impetum procellarum tranquillum animi statum perturbantium potest perstare immotus derisis offendiculis, contrà qvàm fit in homine non præparato, cùm constet hostes ex improviso irrumpere, hominemvè somnolentum aut desidiosum opprimere. Et quanquàm

quàm reponat qvis dicendo hîc: peccata quotidiana qvæ indè proveniunt, non ſeparare credentem à Charitate Dei, cùm è Scripturâ noſcatur,credentem juſtificari, atq; per fidem à reatu defectuum abſolvi; ei tamen hoc ſedulò perpendendum traditur, qvod caſu qvo ipſa Dei Amicitia Peccatis quotidianis non perditur,amittitur tamen vultus Dei gratioſus & benignus, ità ut tamdiu conſpici nequeat, qvamdiu patrantur peccata parva. Et qvi defectus ſuos vilipendere,vel ſub prætextu fragilitatis humanæ excuſare ſolent (qvæ potius accuſanda erant) nôrint oportet, peccatum etiam qvàm minimum nobisvè incognitum plus Deo adverſum eſſe qvàm ullum accidens, qvod in tempore contingere, hominemvè afficere poteſt. Id qvia ad fidem pertinet,omninò credendum, imò qvà ad literam Verbi Dei revelati neceſſariò ſciendum eſt,eſt utiq; prædicandum. Qvodſi hoc tàm verum, qvàm qvod veriſſimum credimus, oportet omnem adhibere operam,non ſolùm ut retineamus Deum, verùm etiam ut Deum clementem,benignum & propitium habeamus, qvi vultum ſuum ſuaviter ad nos convertat nec non & donis ſuis oneret; qvod qvidem fieri neqvit, qvamdiu propter parva peccata in oculis Dei apparemus alienigenæ. Id tamen hoc loco noſcendum venit, ſi homo peccatis qvotidianis obrutus neſcit qvid ſibi faciendum eſt, indubium eſſe, qvin expientur (exſtirpentur) qvotidiana peccata mediante devotione ſincerâvè ad Deum converſione: hoc modo liberatur à ſua Curâ. Neq; enim opus eſt,ut parva quælibet peccata (defectus qvoslibet) propalet aut in Eccleſiâ confiteatur; ſiqvidem confeſſiò coràm Confeſſario eſt tantùm neceſſaria in caſu mortalium vel quotidianorum peccatorum conſiderabilium,de quibus dubitatur,an ſint mortalia necnè,reliqvorum confeſſio facienda eſt privatim coràm Deo in ſilentio & vera pœnitudine. Converſio ea tàm valida eſt impetrandi, ut etiam graviora qvædam peccata tùm remittantur antè publici ritûs Celebrationem; imò privata talis converſio tàm ardua eſſe poteſt,ut ejus reſpectu remittantur homini peccata omnia. Verùm ne hoc effato unus

offendatur, alter in suis abusibus obfirmetur, restat paucula adjungere, qvæ homini debili, minus exercitato, minusvè instructo sunt observanda juxtà institutum S. Ecclesiæ & juxta modum externorum modalium, quæ vicem internorum in pusillis & simplicibus supplent, quibus adversus peccata quotidiana se muniat. Convenit enim ut credens consideret passionem Domini, eamq; qvantum pote exerceat, aut Orationem dominicam, Symbolum fidei aliasvè precatiunculas oret, legat audiat cum devotione, ut benedictionem ecclesiasticam accipiat, ut audito vel prolato nomine Jesu se flectat & incurvet, ut pectus suum percutiat dicendo: Domine propitius esto mihi peccatori: præter hæc oportet eum peccata sua cum dolore expendere, infirmis servire, egenis propter Deum succurrere, tùm Eucharistiæ Sacramentum devotè percipere. Hîc etiam non seexpedit, remissionem peccatorum habere se juxtà sinceritatem pœnitentiæ & devotionis sic, ut qvò intimior ac sincerior sit intentio exercitii, eò major ac promtior sit remissio non tantùm quotidianorum, sed & eorum mortalium peccatorum, quæ homo obliviosus præter suam Voluntatem non est confessus Confessario. Plura de hâc præservatione nôsse qvi cupit, legat Caput de Captivitate sensuum, ibi inveniet, qvæ cum his commodè conferri possunt: nunc est pergendum ad alia, ad quæ inservit præparatio, nempè

2. ad Opera seu actiones magni momenti, qvarum maxima est perceptio Eucharistiæ. Hæc actio supponit prævian præparationem, quam qui neglexerit, moratus est nimium, tempusvè opportunum præterire sivit magno suo periculo. Ut autem cuivis pateat, qvalis sit prævia hæc præparatio, noscere oportet ea qvæ requiruntur ad dignam perceptionem hujus Sacramenti, qvoniam ex horum cognitione resultat ipsa præparationis notitia hactenus prætermittenda. Tria autem requiruntur ad condignum Usum Sacramenti dominici 1. inculpata Conscientia, aut ad minimum à mortalibus peccatis libera. 2. Animus compositus & minimè dispersus maximè usûs tempore 3. Devotio præsentanea.

3. Au-

3. Ad vehementem passionem, tristitiam, luctum & infirmitatem, quæ hominem suâ vehementiâ concutiunt atq; confundunt, hanc vehementiam sustinet longè majori sensu si subitò & ex improviso invadit, id est, homine minus præparato. Necessum hinc est, ut homo præveniat eam doloris acerbitatem, quod fit, si mediante præparatione obtusos reddat sensus: sed ità præparat se, si passionem sæpè perpendit, expectat, imaginando sibi, qvaliter sit qvælibet passio à Deo suscipienda, deindè etiam, si facit firmum propositum subdendi se voluntati divinæ cum magnâ patientiâ & humilitate. Nam certocertius futurum sic est, ut accedente passione minori sensu sustineat tormenta quælibet. Quapropter uti negligens sibiipsi Author est intolerantiæ atq; confusionis; ità attentus qvàm optimè prospicit sibi ut, qvamdiu vallem lachrymarum incolit, per dies & horas imò per momenta passionem expectet non sciscitando undè, cur, qvomodo, qvandò ventura sit, sed potius parato & constanti animô se dedicando Deo.

4. Ad mortem ipsam omnium rerum accidentium certissimam. Hæc autem præparatio est nulli mortalium negligenda aut posthabenda, qvia est utilissima & necessariissima, imò per totam Vitam exercenda eâ de causâ, quod hora & dies est omnium incertissima. Eccè certissimæ in se rei incertissimum accidens tùm qvoad modum tùm quoad tempus & vel ideò tàm admirandum, tàm horrendum & considerandum. Præoccupans horror est salutaris, postumus contrarius. Quapropter expedit homini qvotidiè discere mortis lectionem mortificatis peccatis & defectibus, atq; in mortem traditâ voluntate & concupiscentiâ suâ: memoriæ suæ profundius imprimat Utilitatem hujus præparationis, cùm sic futurum sit, ut mortis audito strepitu non terreatur paratus, sensâq; mortis caligine non convellatur; futurum qvoq; sit, ut homo mortalitati mediante expectatione atq; frequenti mortis meditatione assuefactus placidè obdormiat, animâ suâ hilariter Deo & Angelis redditâ, qvæ traditio aliàs vocatur transitus per mortem in Vitam æternam.

Quid quod mors hæc in Voluntate Dei passa est res tuta, suavis atq; benigna: jam ergò quilibet judicet, cujusmodi mors sit ejus, qui solùm per Charitatem in Voluntate Dei vixit, qui derelictis Creaturis accipiendo & offerendo solum Deum non verò seipsum tàm in æternitate quàm tempore quæsivit. Procul dubio dicent omnes eum modum superare cunctos alios, esseq; cunctis omne studium eò impendendum, cùm jam sit cognitum, nullos modos, cogitationes, nullamvè devotionem esse tàm utilem in agone, quàm præfatam oblationem sui in Voluntatem Dei, undè etiam seqvitur, dato homine qvi purè defunctus est in hâc oblatione, sperari atq; veraciter dici posse, eum absq; intercurrente medio in Paradisum esse delatum. Ut autem hujus rei Veritas unicuiq; constet, notandum est probè, in Deum non cadere medium torturæ aut igniformis purgationis, qvia nec passionis & per consequens neq; in eam animam, quæ per amorem divinum Deo unita est sivè in Deum immersa, sive adhærens ei. De Amore & Adunatione immediatâ alibi dictum est, præcipuè in capite de summâ internâ oblatione, quò remittuntur Scrutatores, nam ibi invenient modum, qvo id, qvod est neglectum, reparari potest.

Quatuor hi modi (in qvibus consistit præparatio in eventum seu præservativa) observantur ab Amicis Dei, qvibus est ratio se præmuniendi ab imminenti plagâ. Eam præparationem docuit Christus per parabolam indigitando eam per prudentiam 5. Virginum vigilantium, siqvidem futurum est, ut tantùm præparati cum prudentibus Sponsum seqventibus intromittantur, impræparatis foris relictis cum desipientibus 5. Virginibus. Hinc dicitur, pœnitentia sera, raró vera. In tempore ergò est instituenda præparatio, dum patet janua gratiæ, siqvidem in parabolâ solùm intromittebantur præparati, clausis verò foribus obfirmabat Deus decretum suum valido juramento de non intromittendis impræparatis, sicut alibi dixit: Discedite à me, non cognosco vos prævaricatores. Tantum de præparatione præliminari, qvæ probos homines cujuscunq; ordi-

dinis sint, attinet: jam est pergendum ad propriè dictam præparationem, qvæ spectat homines secundi ordinis sivè progressos, qvi hoc modo præparantur in homines tertii gradus seu ordinis, id est, perfectos.

Q. Dic qvaliter est exercendus seu præparandus homo probus progrediens, ut habilis reddatur virtutum altiorum, qvarum est interna resignatio? R. In hominis probi sivè fidelis præparatione requiritur in genere, ut sit Civis urbis revelatæ, qvæ vocatur Civitas pacis, Hierusalem, hoc est, qui vivit inculpatè absq; peccato mortali, liber à malè ordinato amore Creaturarum, animum habens elevatum semper Deum observantem, qvi etiam juxtà motus ac monitiones divinas inceditcum indesinenti ergà Deum propensione. Cùm autem hæc omnia non possint ità observari sub initium Exercitii, hinc dictum fuit in genere, qvod requirantur à fideli, qvatenùs in plenariâ reqvisitorum talium obtentione consistit ipsa perfecta præparatio. Præparatio est conatus imperfectus decurrens per Viam spatiosi temporis ad finem perfectionis, hinc valdè operosa, tædiosa ac horrida est, imò pro naturarum diversitate diversa, undè requisita in individuo speciatim indicari neqveunt. Nam unus homo est naturatenùs tranqvillior & modestior altero, qvod qvidem ad aptitudinem confert aliqvid, ad ipsam verò Sanctitatem nihil; imò nec tàm ardentes solent esse tales ut alii, qvia desides, cùm tamen ardor maximè promoveat perfectionem. Is autem reliqvis electivè sanctior est, qvi qvantò plus habet amoris divini, tantò magis observat Deum præstando mandatis obseqvium, qvi etiam pro Deo viriliter pugnat vitiis indies magis magisq; debellatis, Talis homo exæstuat præ ardenti ergà Deum desiderio, hinc minima peccata expendit tantâ pœnitudine & humilitate, ut vix toleret: hoc est verissimum signũ præparati sivè divini hominis. Cùm qvæ juxtà mandata Dei facimus vel intermittimus cuncta nonnisi ob solam ac meram Dei gloriam veniant observanda, opus est, ut homo fidelis diligentissimè sibi prospiciat de fugâ qvorumcunq; defectuum

qvamvis minimorum, siqvidem per omnium minima pecc[illegible]
offenditur gloria Dei, qvod qvidem dum homo divinus cogn[illegible]
scit, majoris æstimat minimam transgressionem qvam omn[illegible]
generis passiones, qvas posset sufferre, hinc tantò redditur [illegible]
ctior, qvantò in amoris exercitio promptior.

Qualiter autem homo probus ultrò præparari debeat, nu[illegible]
est dicendum; ast antè omnia sciendum, qvod exercitium h[illegible]
est valdè durum ac longum, qvam etiam difficile sit, labor[illegible]
sum ac tædiosum, à principio experti sunt omnes sancti, q[illegible]
haudqvaqvàm ad Sanctitatem pervenissent, nî omnium min[illegible]
mos defectûs lance justitiæ expendissent. Ea propter vo[illegible]
tur etiam Exercitium, exercitatio, qvod Sanctitas non est [illegible]
homine, donec suscepto labore se probè exerceat, qvò paulat[illegible]
perficiatur. Non omnibus succedit labor statim à principio,
interim tamen non est desperandum nec desistendum, verum
de novo incipiendum & probandum, qvale opus est factum,
qvod deest, corrigendum est, nec intermittendum aliqvid
qvod pro re suâ agendum videtur, taliter credendum est lab[illegible]
rem non iri in vanum. Sedulus Opifex curat emendare q[illegible]
lemcunq; neglectum & ideò omnem adhibet operam, ne q[illegible]
imposterum negligat. Tandem pervenit eò, ubi labor, [illegible]
dium ac duritas non sentitur: nam qvisqvis multum amat, no[illegible]
sentit, sed amat laborem propter Deum susceptum.

Hoc autem est primò observandum, opus esse, quod Sponsi [illegible]
Christum attendamus taliter, ut qvotiescunq; cupit in nob[illegible]
quiescere, vigiles inveniat nos & ab omni Creaturarum C[illegible]
alienos. Cùm autem hæc visitatio nonnisi sub summâ nost[illegible]
attentione queat à Christo institui, hinc prius cognoscend[illegible]
est, qvaliter incuria ex unâ parte, ex alterâ verò attentio & [illegible]
dustria conquiratur.

1. Necesse est, ut homo præparationem sui instituens [illegible]
ciat omnem curam rerum temporalium & inutilium, & [illegible]
eas nec scienter nec cum proposito versetur, impulsum [illegible]
earum excutiat cum aversatione, habendo se ergà eum, ac si [illegible]

qu[illegible]

quicquam sentiret: quodsi verò in se assensum aliqvem advertit confestim abrenunciandū est ei cum amarâ suæ inconstantiæ perpensione ac suiipsius abnegatione. Hæc est hominis necessaria temporalium incuria, qvi ad constantiam & perfectionem Virtutis pervenire festinat. Neq; enim tantillum proprii debet possidere in animo, qui omnia tenetur reddere pro omni, ut omnia gustet in omni. Verùm fuga temporalium consistit in hoc, ut cuncta qvæ homini intus inhærent vel extus eidem quovis modo adhærent (puta homines, bona, quæstus, officia, cogitationes, sollicitudines &c.) fugiat, non audiat, non videat, non curet damnum vel commodum, non judicet aliorum actiones. In his consistit incuria, aversio, fuga, ut & in hoc, ut nostros defectûs invito oculo intueamur, aliorum verò commiseratione tegamus, nam sic futurum est ut pertingamus ad Cordis Uniformitatem. Hujus ergò dixit Christus: Qui relinquit Patrem, Matrem &c. Eam resignationis formam induerunt S. Martyres, cujus exemplar proposuerunt nobis imitandum. Verùm cùm perqvàm difficulter ea obformatio acquiratur, idcircò multa quæsita sunt adminicula propositum facilitantia, inter quæ fuga mundi seu fuga objectorum impedientium sensusvè externos occupantium hactenùs celebris fuit in Ecclesiâ. Viso autem non semper hæc pro voto successisse, factum est, ut adminicula hæc à multis sint rejecta tanqvàm ridicula, parum vè utilia, qvin & rejecta est incuria seu fuga temporalium electo potius & culto mundi simulachro: sic autem parum utilis actio cum longè deteriori eâq; nocentissimâ est commutata. Mota ergò fuit olim quæstio, an illud sit optimum medium ad fugam temporalium, cùm quis relinquit conversationem hominum quærendo pacem & tranquillitatem in solitudine? Ad id responsum est à nostro Taumaturgo hoc modo: Quantumvis bonum sit vitare irritamenta, id tamen est insufficiens, cùm ipsa solitudo proventum internorum obstaculorum non tàm queat auferre quàm augere, nonnunqvàm etiam qvid longè deterius causari. Huic rei Fidem facit, qvod, cùm Veritas

tas & Justitia sint virtutes & exercitia interna, non possit fieri, qvin justus ubiq; & inter cunctos homines sit justus, injustus verò talis in cunctis locis tametsi Sacratis. Convenit homini nôsse Viam justitiæ, ubi justitia obtinetur, quoniam tunc homo veraciter justus est, cùm Deum in Veritate possidet, cumq; Deum in semetipso præsentem juxtà Essentiam & Gratiam retinet ubiq;, hoc est, inter homines, in templo, in solitudine, sic ubiq; adorat Deum in Spiritu & Veritate per id, qvod Deum amat veraciter factus per adhæsionem unus cum eo Spiritus.

Certum autem est, cùm Deus ubiq; sit, ubiq; eum inveniri posse: hinc sequitur ei qvi Deum veraciter amat, non esse, qvo locum sibi eligat opportunum inveniendi Deum; nam qvod si Deus servator, Nutritor, quin & substantiæ nostræ Ens primum est nobis propinqvior nobisipsis, sequitur nosmetipsos esse loca proxima, ubi Deus qværitur ac invenitur. In nobis sic omnia vitantur & abjiciuntur, in nobis qvoq; omnia inveniuntur. Quisquis ergò solum Deum amanter possidet, eum non possunt externæ creaturæ impedire, tantominus à Deo abducere, qvoniam non insunt homini à naturâ, sed de gratiâ, nihil quoq; est, quod Deum posset auferre, licet diversitas sit vel locorum vel hominum, cùm in hâc diversitate nil aliud quærit invenit, gustat talis homo præter Deum, in qvo Varietas est Unitas. Qvidqvod de actionibus dicendum venit idem. Nam cùm Deus sit præsens in cunctis rebus, in omnibus locis, consequens est eum etiam præsentem esse in omnibus actionibus bonis, hinc dicitur, Deum operari bonum in homine bono, & per eandem consequentiam dici potest, Opera bona esse Opera Dei sivè per Deum facta. Et hoc ipsum est rationi conveniens, quod dicitur Opera esse propria ei, qui peragit ea. Atqvi si Deum solum in cunctis rebus sincerè amamus, ejusq; pro Voluntate operamur, seqvitur, Deum magis magisq; in nobis operari, siquidem ipse amor sincerus non hominis sed Dei opus est, quatenùs homo suaptè naturâ non potest saltare extra naturam, sic ut supernaturales peragat actiones, quales sunt amor Dei sincerus & abne-

gatio

gatio sui. Ex his igitur patet, Deum esse in cunctis rebus proponendum, quærendum & amandum, animum qvoq; sic esse aptum & habilem reddendum, ut Deum per amorem semper habeat præsentem. Et ad promovendam consuetudinem, qvâ prorsus natura immutatur plurimùm confert observatio utilis cujusdam atq; valdè proficui medii, qvod ratione suæ Utilitatis magnoperè commendatur, id qvod consistit in eo, ut homo internam suam inversam habitudinem, qvam aliqvandò in templo sub concione, in Claustro vel in Camerâ habet, secum transportet inter homines, ad officia, versus qvascunq; occasiones & impedimenta, qvàm disparata, varia ac inqvietantia sint. Nam sic futurum est, ut Creaturæ imposterum nedum non turbent animum, sed nec actiones vitient nec intercipiant orationem. Aliàs cuncta, qvæ qvis cum amore exercet extrà orationem, relinqvunt post se species suas in cogitatione, qvæ nullo modo coërceri queunt sic, ne inter orandum irruant in intellectum totamvè orationem reddant irritam. Apparet indè pro hujus evitatione decere hominem, ut extrà orationem se modo eodem habeat, qvo inter orandum se cupit esse, taliter evadit liber impedimentorum qvorumlibet.

Hìc obiter adjiciendum est, qvod hâc responsione in se qvidem optimâ ac veracissimâ permulti sint adeò offensi, ut rejectis cunctis ordinibus, imò rejectâ S. Ecclesiâ eodem Cothurno mensi fuerint tàm homines qvàm actiones & loca. Dixerunt enim Deum ubiq; esse, ubiq; hinc & colendum esse, cunctos verò homines esse peccatores, & cuncta bona hominum Opera sicut pannus menstruatus, & per conseqvens nullum dari sanctũ hominem, locum vel opus, adeoq; cuncta sine comparatione putârunt hactenus impura esse parisq; conditionis, sivè loca, sivè opera sivè homines. Verùm hic error crassus est & insuper perniciosus, per eum qvippè subtrahuntur feris hominibus media coërcentia frænũ scilicet & jugum, qvorum defectu properant ad præcipitiũ. Hìc autem omninò locum habet comparatio, ut possim dicere, hic locus est sanctior illo, hic homo sanctior alio, istud

opus ſanctius illo. Id autem qvod ſuprà dictum eſt, ſpectat hominem aſpirantem ad perfectionem, hunc decet habere ſemper conſtantem animum, æqvalem amorem & fidem ergà Deum in omnibus locis & actionibus, qvatenus ejusmodi hominem nulla Creatura poteſt à Gratiæ divinæ præſentiâ arcere. Per id autem non tolluntur media ſuo modo præparantia hominem perfectionis inhabilem, ineptum, invitum, cui & malus naturæ ordo ac temperies eſt, ut tantum qvantum reddatur mitior per diſciplinam. Hâc ſpretâ cernimus nunc Univerſos pene in ſuâ licentiâ vagari, necqvicqvam præfatæ doctrinæ obſervare: qvis ergò neget qvàm minimi boni præcepti rejectionem reddidiſſe cauſam gravioris Culpæ? Ecqvis autem eſt inter omnes illos, qvi media prædicta & in Eccleſiâ uſitata contemnunt adverſo animo, qvi ſibi veraciter adſcribat præfatã præparationem, eiq; præſentem gratiam Dei? Infallibili ergò ratione concluditur, hominem divinæ Cohabitationis expertem cogi de neceſſitate quærere Deum foris (per media externa). Exempla proſtant multorum, qvi Deum in templo quærunt, non nunqvàm etiam ad breve temporis intervallum quodammodò præparati Deum præſentem in ſe ſentiunt, qvi tamen in privato hominum conſortio, in negotiis, in ſuetis operationibus facillimè impediuntur, àq; obſervatione Dei avertuntur, qvis neget hoc ideò fieri, qvod Deum non habent tunc præſentem? His itaq; opus eſt, ut per externa media ad Deum quærendum denuò adigantur, atq; ſimul ab obſtaculorum uſu avocentur. Hominibus, operibus & locis ſua tùm Dignitas tùm Utilitas, quam obtinent ad ſanctitatem promovendam, non eſt præſumtuosè ſubtrahenda, qvam Verbum Domini toties conteſtatur: quidquod præfata media non ſemper juvant, ſed inſuper qvandoq; obſiſtunt, id tamen non ſacræ rei, ſed homini profano imputandum eſt rebus non rectè utenti. Nam dato homine qvi non ſolum Deum, ſed unà ſeipſum in cunctis rebus inordinatè quærit, is impeditur non ſolùm à pravo ſed etiam à bono ac pio conſortio, & uti impeditur in vicis ac domibus, ità qvoq; impeditur in templo,

imò

imò in qvovis opere bono. Quænam ergò causa hujus impedimenti? Respondetur: Qvod Deum non quærit per amorem in cunctis rebus simpliciter & in sinceritate cordis: Nam impossibile est, ut Deus sit omne in omnibus tali homini, qvi inordinatè penes Deum amat & quærit alia. Huic deest tantum Divinitatis, quantum ejus possident Creaturæ, ideò impedimentum est in semetipso & amor alienus præpedit eum, ne totus immutetur ac præparetur.

De incuriâ rerum temporalium jam dictum est, restat dicendum de alterâ præparationis parte nimirum assiduâ attentione.

2. Necesse est, ut homo sincerus & vacuus animo attendat semper, qvid Deus loqvatur secum, intereà verò dum Deus non loqvitur, est sedulò ac desideranter attendendum, donec rursus loquatur; in hoc enim Exercitio versatur tractio Dei. Nam cùm vigiliæ & orationes sint ideò à Christo mandatæ, ut per apertam portam queat intrare Sponsus, animæq; suam imaginem essentialiter imprimere ità qvidem, ut ejus præsentia in nobis fundetur sic, ac si naturæ sit habitudo (proprietas), necessum est, ut ea intentio sit indesinens, exercitium continuatũ, qvia cessante hoc ad longiora temporis intervalla perit Idea atq; cum eâ essentialis transformatio. Habet autem se exercitatio, qvà mediante Deus in homine dicitur subsistere ad eum modũ, qvo qvis scriptoriam vel pictoriam artem discere cupit, id qvod neqvit fieri sine magno labore, diligentiâ, exerciti o & attentione. Attentio seu Exercitium hoc est perqvàm rarum hoc tempore, qvia ubi non docetur, ignoratur, ubi docetur, negligitur, utrinq; autem sic ideò, quia nimis laboriosum, naturæ qvoq; tædiosum ab initio est. Reqviritur namq; ut qvi Sponsũ cupit excipere grato animo sit assiduus in expectatione, diligens in attentione; requiritur etiam, ut nil in mundo possideat cum inordinato amore præter id qvod gloriam Dei spectat, & qvod probè notandum est, reqviritur, ut cunctis iis, quæ bona invenit, præstet obsequium aut per observantiam ea expediat. Hîc adversantur Scripturæ, qui populis persuadent, mandata DEI

ſervari non poſſe, contrà qvam docet Scriptura; ſed ſi addunt (ſine gratiâ Dei) cur non potius ajunt, ea ſervari poſſe per gratiam Dei, quam unicuiq; credenti concedunt adeſſe? Ecquis enim neget, Deum clementer movere, admonere, tangere & impellere nos ſemper, non nunqvàm etiam trahere? Id autem cùm ſit veriſſimum, qvod inſuper in cujuslibet conſcientiâ ſentitur ſic eſſe, qvæ Cauſa eſt, qvod non pro ratione gratiæ ſequatur effectus? Reſpondeo, qvod nutum Dei non attendimus, attactum non ſentimus, inſuper impulſui recalcitrante animo reſiſtimus, extraneis rebus adhæremus, hæc eſt cauſa, cur Dei mandata ſervari nequeunt. Cur autem contrà Verbum Domini dicimus, mandata Dei ſervari non poſſe, cùm pari ratione nequeamus dicere, præfata impedimenta non poſſe ſubmoveri? Sed cur non removemus ea, qvæ nos impediunt, cur media non aſſumimus, quæ ad remotionem inſerviunt? Ad hæc eſt reſpondendum: non qvod non poſſumus, ſed quod non volumus. Quodſi attenderemus, ſi tactum & impulſum DEI ſequeremur, non poſſet fieri, quin cunctis in rebus & actionibus ſemper & ubiq; præſentem haberemus, imò ſentiremus Deum in nobis obformatum formâ ſuæ imaginis. Notandum hîc eſt, qvod ea Dei in mente noſtrâ obformatio ſimul & ſemper reddit Dei cohabitationem, adhæſionem, adunationem & immutationem noſtri qvoad Actum ſpiritualem, & ipſa exprimitur per etymon homo divinus. Nunc ergò cape Utilitatem divinæ in nobis præſentiæ, quæ in hoc conſiſtit, qvod Deus nos ſic eſt poſſeſſurus impoſterum absq; labore aut tædio in cunctis noſtris rebus, actionibus & locis, imò & ſine damno impellentium ſeu irruentium Idearum externarum vel internarum, futurum etiam ſic eſt, ut naturalis noſtra inclinatio ſit ſemper juxtà ordinem modificata, qvia à nullis obſtaculis reflexa, qvin potius à vacuo intùs animo in Deo manente adjuta.

Reſtat porrò dicendum, qualiter homo poſſit attendere, Deumq; in cunctis rebus verè habere. Totum id negotium ſitum eſt in animi actione & ſinceritate, ut ſcilicet animus nil

præ-

præter solum Deum observet, & sub eâdem observantiâ se totum semper ad Deum funditùs convertat. Non enim satis est, si homo aliqvandò Deum animitus cogitat, cùm ista cogitatio non sit perennis sed evanida; qvodsi autem sub ejus transitu perit simul Imago Dei, qvalis hæc est præsentia? Ad hanc præsentiam requiritur, ut Deus in naturâ hominis sit jam essentialis homo longè excedens cogitationes. Id autem sic est, si per amorem elevato animo in nobis observamus Deum absq; adjutu virium nostrarum, qvod probat effectus. Tunc enim incessanter observamus spontaneam (liberam) ad Deum inclinationem non obstantibus Creaturis, ut quæ tunc non offendunt ampliùs, eam qvoq; inclinationem nulla transmutatio valet immutare, qvia præfatâ nulla est potentior. Et sicut Mens per amorem intuetur Deum in transcensu omnium Specierum, ità per Intellectum obtuetur eum mediantibus formis spiritualibus, nempè Misericordiâ, Clementiâ, Veritate &c. quapropter homo semper magis introrsum ad Deum fertur qvàm extrorsum ad Creaturas: hæc inclinatio commonet hominem ejus qvod est. Hîc ergò qvid faciat Voluntas liberè dicendum est: Voluntas sic flectitur ad tantum consensum, ut haud facilè à Deo iterum divertat; attamen divertere potest, qvod fit nonnunqvàm ob libertatem arbitrii, defectus autem hic facilè corrigitur, qvoniam, qvamprimùm homo se deprehendit ad res inutiles per Voluntatem conversum, actutum avertit se cum magnâ contritione, & cum acerbâ suæ inconstantiæ qu erelâ; contritionem eam confestim sequitur propositum firmum perpetuæ Vanitatis fugæ. (Est autem Vanitas, qvicqvid vel divinum honorem, vel Regnum Dei, vel suiipsius aut proximi Beatitudinem non spectat). Consimiliter qvi Deum ac seipsum probè observat, non facilè impeditur, qvoniam id qvod valdè desiderat, semper præsens est ei mediante Ideâ desiderii. Sed hoc noscendum est attento Operatori, qvod cognitionem ejus, nimirùm, qvod Deus ipse est causa obtinendæ divinæ præsentiæ, non possumus discere mediante solâ resignatione rerum tempora-

poralium, quatenùs discenda insuper est interna silens attentio & respectus qvi nobiscum est Dei; per eam tantò facilius perrumpimus cunctas cogitationes & occasiones, nè resistant præsentiæ Dei. Quisquis non didicit hæc, nil didicit, qvi verò didicit, exerceat ea necessum est: nam sic futurum est, ut Deum sibi sentiat præsentem in proposito, inclinatione, desiderio & exercitio, imò in omni negotio qvod vel perficit vel intermittit, idq; ad eum modum, qvo Deus est in cunctis rebus, resq; in Deo præsenter. Attamen cùm Deus non aliter in nobis præsens efficiatur nisi per ardentem amorem, dehinc reqviritur, ut suæ præsentiæ Idea semper versetur in mente amantis hominis, cujus Exemplum exhibet homo cupidus temporalis Boni. Is namq; non obliviscitur id qvod amat præ ejus Ideâ qvam cunctis in rebus sibi obviantibus reperit tantò quidem vivaciorem, qvantò amor intensior est. Eccè si Homo naturalis à nullâ turbante commotione impeditur, nec ullâ indiget resignatione, qvatenus animus ejus semper fertur ad id qvod amat, qvantò magis est Dominus noster semper imaginandus per amorem, ut jam nil turbet, nil ejici debeat, donec Idea nobis fiat essentialis (connaturalis). Restat nunc adjicere observationem ejus, qvod Deus præstat in tali homine, cui se præsenter confert eâ de causâ, qvod Deum magno desiderio observat seq; custodit, ne se volenter aut scienter ad res inutiles vertat. Id autem qvod homini Deum enter præsenter possidenti accidit, est qvod

1. Deum sic accipit divino modo.
2. Deus in eo effulget ubiq;, in cunctis rebus prælucendo ei.
3. Deum sentit & gustat in cunctis rebus, qvibus ad solam Dei gloriam utitur.
4. Deus transformat eum in cunctis rebus, qvas à beneficâ manu Domini cum gratiarum actione recipit.

Hæc est præparatio, per qvam homo capax redditur altiorũ Virtutum, ipsiusq; perfectionis.

Q. Nullanè restat exercitatio alia, quæ huic præparationi commodè queat includi? R. Imò restat interna quædam Exercitatio

citatio externam sequens in progressu, restat adhuc alia & qvidem singularis, de qvâ paulò post. De illâ interna dicendum prius est aliquid: Exercitatio hæc est consideratio (meditatio) formarum Cœlestium, operatio scilicet, qvæ propriè spectat spiritum, quanquàm & secundariò sensitivæ concursum & operationes admittat. Ejus gratiâ tot modos ac ritûs tradidit S. Ecclesia observandos, quibus ceu adminiculis promoveatur interna exercitatio. Quicunq; hos modos despicit, molitur saltum periculosum, qvia absq; mediis non pertingit qvò vult. Sunt autem formæ (quarum est recollectio seu consideratio) tàm sensuales quàm spirituales Ideæ, imò & supercœlestes, hinc juxtà diversitatem earum longè diversa est Consideratio. Ad sensuales Ideas refertur

1. Cùm homo sub verâ pœnitentiâ confitetur anteactam Vitæ suæ perversitatem.

2. Cùm Redemtionem, Passionem & Mortem Domini cognoscit & amat ardenter. Istæ sunt utilissimæ Ideæ, qvia primæ & manifestæ Viæ, qvæ ducunt ad altiora. Ad spirituales refertur

1. Cùm homo se vertit ad Unionem hypostaticam duarum Naturarum, divinæ scilicet & humanæ.

2. Ad excellentiam animæ suæ & ad divitias Spiritûs.

3. Ad venerabile Corpus dominicum. Tres istæ Ideæ sunt nobilissimæ, adeoq; arduâ Consideratione diligenter expendendæ.

Ad supercœlestes Ideas refertur, cùm homo considerat SS. Trinitatem, nimirùm

1. quod Filius à Patre gignatur ab æterno & tamen æternùm immaneat.

2. quod Spiritus S. à Patre & Filio procedat, itidem æternaliter in utroq; manendo.

3. quod ipsa Deitas sit Trinitas qvoad Personas, Unitas tamen qvoad Essentiam. Ista consideratio qvalisqvalis sit, est tamen Idearum omnium purissimarum.

Q. Alibi

Q. Alibi dictum est de immediatâ Mentis in Deum transitione, qvâ ipsâ procul dubio istarum Idearum meditatio excluditur contrà communem consuetudinem, quoad plurimi sunt solis Ideis semper immersi. Quæritur hinc, nùm deceat hominem resignare Ideis puràq; Mente solùm adhærere Deo, siqvidem indubium est, has actiones esse diversas, imò sibi oppositas, ut dum una adest, altera abesse debeat, utraq; tamen in eodem subjecto, eodem tempore & modo simul perstare nequeat? R. Oportet tunc resignare Ideis, qvoniam intima Dei adhæsio (adunatio) est in S. Literis expressè docta, imò explicata & injuncta. Potest ergò consideratio suo tempore postponi, nimirùm accedente actione sublimiori (divinâ) qvalis est adunatio, quæ solius Mentis purus actus est. Defectu hujus est prior actio substituenda, donec ad nobiliorem perveniat. Hæc namq; nonnisi opportuno tempore est deserenda, cùm præmatura ejus desertio tàm detrimentosa sit, quàm utilis est opportuna desertio. Immatura est Idearum bonarum postpositio, cùm nondum exactè sunt cognitæ ac perpensæ Ideæ, imò cum summo damno tunc & cum jacturâ Veritatis deseruntur, quam quælibet Idea poterat idoneè præformare. Præfatæ Ideæ vocantur Viæ, quatenùs per eas conductivo modo itur ad ipsam nudam Veritatem. Quisquis ergò has Vias deserit, antequàm ad ipsam Veritatem appulerit, is certè nunquàm ad veritatem perveniet. Cùm autem ad apicem jam ventum est, deseruntur Viæ ideò, quia nil nisi via sunt, non scopus ipse, Scopus autem est Via conductrice longè nobilior. Sanctorum exemplar cùm obtueor, reperio eos contulisse se in Viam Veritatis, & juxtà ordinem ibi pervestigâsse cunctas bonas Ideas incipiendo ab infimâ, sicq; progrediendo per medias ad supremam usq; ad ipsam nudam veritatem, & taliter intelligo eos nullam veritatem præterire, nec ab eâ elabi potuisse. Et siqvidem, ceu docent Philosophi, vera rerum Essentia in ipso intellectu nostro perstat, cognoscimus eorum Intellectum fuisse immutatum in Veritatis Ideas: sanè opus Intellectûs est unum è no-

nobilissimis, qvod & nobis cunctis incumbit exercendum, donec essentiam omnium absolutissimam attingamus in unitate. Cognitis Viis restat adhuc tempus cognoscere opportunum, qvo deserendæ sunt Ideæ, ne citius qvàm par est, eas relinquamus; neq; diutius qvàm opus est, iisdem immoremur. Tempus justum indicatur triplici signo, utpotè

1. Cùm homo cuncta ea qvæ vel unqvàm audit, videt vel intelligit, cum tædio percipit.

2. Cùm nihil amplius audit, videt, intelligit, in qvo se oblectet.

3. Cùm in seipso observat incrementum sensibile famis & sitis (appetitûs) ad bonum æternum, qvod impetrare nequit. Hæc tria si adfuerint, Ideis abrenunciandum est.

Q. Si sine exceptione Spiritus omnibus, imò & cœlestibus Ideis abrenunciat, qvid habet ubi se sistat? R. Si esset aliquid, qvo sustineretur, hoc ipsum sustinaculum nonnisi Idea esset. Convenit ergò nudo esse incumbendū Nihili, ut alibi dictum: tunc namq; cessat medium, nec interest qvicqvam amplius inter ipsum Spiritum & inter æternitatis abyssum, quæ est essentialis Veritas. Sivè igitur tunc dicas mortuum, immersum, demersum, submersum, diffluxum, dilapsum, præcipitatum, Deo unitum sivè ligno amoris appensum esse, unum idemq; dicis. Hoc enim est Nihil apprehensionis intellectualis, nihil dico, qvia deest Idea quam comprehendere posset intellectus. Sic homo dicitur verè pauper, desertus, appensus qvoad Spiritum, cùm se exercet juxtà potentiam suam in eo, qvod intelligit summum esse & cùm desertus est à Creaturis cunctis nusqvàm conversus ad aliqvid tàm internè qvàm externè. Cùm autem homo essentiali Veritate in hâc Vitâ uti nequeat, nì sic probatus fuerit, ut Deo æq; carere possit atq; frui, convenit relicto rerum Usu in nudâ internâ paupertate vivere, Deoq;, seipso & cunctis Creaturis carere quamdiu Deo placuerit.

Q. Quotuplex est omnium utilissima seu summa Exercitatio? R. Est duplicis modi, activi & passivi. Activus qvidem est ipse

animi motus & quies internè cùm Deo in Unitate Spiritûs habitus, qvi modus hactenùs minor est seqventi, qvatenus delectabilis, & ideò perfecto homini, qvantum fieri potest postponendus. Passivus verò modus tanqvàm summus ac perfectus est resignatio in stultitiâ, in obscuritate & paupertate Spiritûs, ad eum modum refertur tentatio, qvâ Deus amicos suos exercet. Internam hanc divinamq; doctrinam nulla lingua quantumcunq; diserta potest planam reddere. Hîc rursus ad purum Nihil retrocedit homo, undè nulla datur revocatio, nisi qvæ è Vulneribus Christi est, qvod Bernhardus testabatur his Verbis: turbabor, sed non perturbabor, qvia Vulnerum Christi recordabor. Ibi tuta requies est, plena, veraxq; doctrina, ex hoc libro vel speculo hauriuntur omnia, quæ SS. Trinitas ipsa conferre potest, omnis scilicet perfectio, ipsa sigillati viventis libri apertura. Hîc est sapientia, hîc fructus est mortis dominicæ, extrà qvem nec medela, salus, imò nec ulla datur exauditio. Metiatur qvis exauditionem precum nostrarum, non poterit hoc efficere nisi juxtà respectum sivè commemorationem Vulnerum dominicorum, qvæ hodiè jejuna valdè est. Prudens autem is meritò censendus est, qui humiliter sperat habitare in Domini vulneribus, non quidem sub rationis excursu, sed sub immanentiâ Veritatis, in actione & contemplatione, in obedientiâ simplici, ad qvalemcunq; suæ Voluntatis probam. Is enim qvotiescunq; cupit cum Christo crucifixus esse, potest se intrepidè committere objecto suo, in qvo reconditus est Thesaurus, qvem solum cuncti Dei amici qværunt. Qværunt & inveniunt, non tamen comprehendunt: non comprehendunt, qvia ipse Deus est objectum eorum, Deum autem in tempore nulla Creatura comprehendere potest. Qui comprehendit aliqvid, non nisi creatam Ideam aut fictam comprehendit, signum vanitatis, & qvanqvàm electi Dei Amici divinum quid comprehendant, idipsum tamen non est Deus ipse, sed uti dictum, divinum aliqvid, qvod S. Dionysius dicit esse nubem densam, tenebrosam, sensus cunctos & intellectum obscurantem,

tem, in qvâ palpantes ducuntur, ſicut Moſes olim in monte à Deo ducebatur nube velatus. Illa comprehenſio eſt ultima, finitima (contermina) Deo, & eſt nil aliud niſi qvoddam Chaos (informitas) qvam aliqvi abyſſum vocant, qvò omnes Dei Amici tranant, & in qvam nos omnes deportari oportet, qvi libertatem ceu partum noſtri intellectûs enitendum rejicimus in mortem æternam, & vincula Domini noſtri accepta ferimus. Hoc namq; Chaos eſt fundum obſcurum, cui Deus Pater ſua inſerit ſeminia, qvæ germinant, creſcunt & fruticant racemando in ſilentio, paſſione & juſtis cogitationibus, tandem & ſuum fructum reddunt in Vitam æternam. Quicunq; hunc fructum carpere cupiunt, tenentur naturam ſuam benè ordinare cum prudentiâ & diſcretione, tùm etiam formare & firmare ſtatum ſpiritualem, qvod qvidem feliciter abſolvetur, ſi Deo ſe ſemper offerant per modum abnegationis tàm ſui qvàm omnium Creaturarum, & ſi in humilitate ac manſuetudine ſe probè exerceant: nam taliter ſi non externè ſaltem internè ſunt ſemper propinqui Domino, nec obſtat, quod nonnunqvàm ſe peſſimè comparatos cenſeant, cùm ſæpè fiat, ut abſq; ullâ deprehenſione taliter qvàm optimè ſe in Deo habeant.

Q. Dic nunc qvid habes de ſingulari eâ exercitatione, qvâ mediante Dei Filius gignitur in homine? R. In S. Scripturâ non ſolùm legimus Filium Dei gigni à Patre hodie, id eſt, in æternum ceu verbum; verùm etiam indè cognoſcimus, eum qvoq; naſci eo modo in homine divino. Idipſum aliter eſſe nequit, quoniam exin, quod Deus Pater dicitur poſſidere, inhabitare, regere ac ducere talem hominem, ſequitur, eum qvoq; effari æternũ ſuum Verbum in eo homine tamdiu, quamdiu regit ac poſſidet eum. Qvomodò ad Vitam divinam perveniat homo dictum eſt antè, nunc ergò dicendum eſt, qvaliter ſit præparandus, ut aptus reddatur eſſe thalamus ſeu receptaculum omnium nobiliſſimæ hujus genituræ. Huic exercitationi præceſſit præparatio, per qvam homo jam Vitæ divinæ capax redditus eſt ſic, ut qvandocunq; vult, in ſuum Nihil abire valeat: adeoq; cùm

 ad

ad plenariam præparationem inserviat freqvens doctrinæ repetitio, præstat hîc unà brevibus repetere prioris præparationis fundamenta. Incumbit enim homini

1. Semper & ubiq; ac diligenter observare, qualiter secum internè & externè comparatum sit.

2. Sensus viresq; Corporis prosternere, nec unquàm suprà necessitatem eas reficere. Ea autem externi hominis subjectio potest commodè institui per subtractionem Voluptatis naturalis, satietatis & commoditatis, sivè eà sit cibi & potûs, sivè decubitûs, somni, sessionis imò & conversationis cum agnatis vel amicis, & sic conseqventer omnis oblectationis sensualis, quas non requirit dura necessitas.

3. Mores & consuetudines suas abjicere seq; vacuum ab omni curâ & sollicitudine sensualium actionum conservare, qvasi his omnibus per mortem evasisset.

4. Quoad internum hominem erigere se ad Deum, nil nisi Deum respicere, præterita planè non, præsentia autem probè curare, deniq; cunctis suis viribus constringere se ad curam spiritualium.

5. Animo sic & Corpore ad Deum erecto se linquere Voluntati divinæ in profundâ humiliatione suiipsius.

6. Ad pedes Domini sui obsequiosè procumbere, atq; cavere, ne requiescat super culcitris gratiæ & donorum Dei &c: Cùm solùm in Deo subsistere debeat. Et cùm ter gloriosus Dominus nonnunqvàm tàm abundanter dona sua adjiciat homini, ut qvasi onerando obruat eum, curandum est, ut

7. si qvà ei donorum copia fuerit, nihilosecius suum semper observet purum Nihil sivè respectum solius Dei Voluntatis & Gloriæ.

Quàm primùm hucusq; venit homo, transcendit cunctos modos & ordines, per quos tanquàm per gradus scandendum erat. Quicquid in Viâ sublimiori tunc quæritur, id potest sine modis inveniri, quapropter modalibus tunc amplius non alligatur Spiritus, quin etiam media nuper promoventia jam in pro-

progressu ac profectu non tàm promovent qvàm impediunt. Spiritualis Vita est Vita libera, absoluta per præparationem: modi sunt præparationis media & externi hominis conductores, qvos hoc respectu superavit Spiritus. Id tamen notandum est, qvod Lectio, Oratio, imò & Psalmodia, qvæ juxtà ordinem divinum institutæ sunt, sunt utiq; peragendæ, sic tamen, qvasi non perficerentur, qvia exercitatio ea debet esse brevis & interna. Similis sit hæc observantia ei quæ est victus & qvietis, nam sicut edere, bibere, dormire est necessitatis, ità observantiæ est non indulgere iisdem citrà necessitatem. Qvodsi victus est tenuis, somnus brevis, erit ac si non comestum non dormitum esset; par ratio sit reliqvorum modorum in cunctis ordinibus. Hi cùm observantur à spiritualibus, longè aliter observantur qvàm à nondum præparatis: illi enim sivè ascendunt, sivè descendunt, si semel gradus superârunt, gradiuntur per eos absq; conatu, sudore, & si qvà nolunt descendere, manent in sublimi, & taliter qvicqvid faciunt, dicuntur in libertate, atq; transcensu fecisse. Cùm autem circà modos hìc hæreamus, subsistendum erit paulisper, atq; dicendum, qvid hominem præparatum & spiritualem qvi modos unà observat, deceat, qvò sic progrediatur, ultrovè præparetur ad suscipiendum partum divinum.

Homo spiritualis præparatur ultrò sequentibus modis. In Corporis refectione quæ consistit in victu ac somno, temperantiam adhibet, ne occasione intemperantiæ incidat in Carnis tentationes, per somnolentiam verò in desidiam & incuriam. Agile enim ac tenerum Corpus facilius seqvitur & cum minori molestiâ sursum fertur, contrà quàm gravè ac saginatum terræ pondus. Qvantum sit situm in Somni ac pastûs observantiâ, declarant exempla Christi, Apostolorum, Johannis Baptistæ, Martyrum & omnium Sanctorum, ut taceam exempla paganorum prudentium, qui in sobrietate & vigilantiâ virtutes coluerunt juxtà vulgare monitum: Plus Vigila semper nec somno deditus esto; nam diuturna quies Vitiis alimenta ministrat.

Neq; gratis est institutus in Ecclesiâ ritus jejuniorum, Vigiliarum & horarum nocturnarum precariarum, qvorum omnium observantiâ præparatur Corpus & Spiritus. Quapropter homo spiritualis, qvi facit unum & alterum non intermittit, hunc modum imprimis observat, qvò somnum Vigiliis misceat, Vigilias brevi requie temperet: expergefactus enim erigit Corpus & simul animum cum timore ac tremore perpendendo naturæ suæ fragilitatem, qva tempus ei ablatum & simul oblivio Dei inducta est. Hanc Dei oblivionem cum gemitu & confessione expiat, & ad devotam orationem se taliter præparat. Surgendo sanctâ Cruce se signat in nomine Dei in summâ humilitate & trepido desiderio, hoc facto incunctanter festinat in seipsum; cum cunctis sensibus, viribus & potentiis elevando se suprà seipsum, cùm fecerit hoc, vertit seipsum in abyssum Deitatis summâ Vigilantiâ, observatione & cum explicatis viribus. In hâc actione non turbatur ab alicujus modi obligatione; verùm qvali modo se sentit promoveri, tali utitur absq; selectione, voto aut debito, sivè perficiatur sedendo, stando aut procumbendo. Hoc modo opus est præparatum esse hominem ad orationem, sine qvo autem si fuerit est Corpus adhuc à lassitudine gravatum, mens vaga, dispersa, sensitiva cogitationibus plena & sic insipida etiam oratio, Deoq; exosa. Multum ergò confert ea præparatio ad devotionem, qvoniam sic homo unitus adhæret Deo & tutus est in Conscientiâ tanquàm qvod nihil negligit in observantiâ mandati, ritùs, communionis vel exercitationis sacrorum; siquidem cunctorum eorum modorum finis, quem hactenùs omnes asseqvi cupiunt, est summa Christianæ Religionis (fidei), nimirùm adunatio (adhæsio) Dei, in quâ acqvieverunt omnes Sancti, ubi impellentes exercitationes reflectuntur atq; se sistere vel regredi compelluntur. Quodsi ergò omnes & singuli modi non possunt eodem tempore usurpari, præstat uno vel eo qvi aptior est modo contendere ad summum apicem, in quo effectûs omnium collimando complentur. Sub hoc diversorum usu modorum errant multi

multi eoq; cum parvo fructu laborant licet sedulò, pauci verò agnito directorio ritè ac utiliter operantur, eoq; facilè pertingunt, qvò volunt.

Superius dictum est de Nativitate Filii Dei in homine divino factâ, necnon de præparatione spiritualis hominis pauca adjecta sunt, nunc ergò dicendum est, qvaliter homo spiritualis reddatur aptus suscipiendi genituram divinam, qvam Christus per adventum Sponsi tradidit intelligendam, cùm jussit vigilare, seduloq; attendere, præsertim noctu, cùm sit incertum, in qvâ vigiliâ sit adventurus Sponsus. His Verbis erudimur, Dominum non semper adesse, nec sæpè ut Sponsus advenire, tanto minus nasci in invitis ac incuriis. Qvisqvis ergò Gnatum Dei in se gestare desiderat, debet animum applicare ad seqventia media præparantia, qvæ crebrò ac diligenter sunt exercenda ideò, qvod sine hâc præparatione nullo modo obtinetur quæsitus thesaurus. Ad operationem hanc eligendæ sunt homini tres horæ nocturnæ, in qvibus exercitii sui navet operam, siqvidem hoc exercitium, qvà nequit semper continuari, est sæpesæpius renovandum, hinc ad id reqviritur hora una vespiterna, una matutina & una nocturna, qvo tempore tenetur homo vigilare, ac sicut in speculâ circumspicere, undè & qvandò venturus est Sponsus: intereà implorandus est Dominus, qvo suum desiderabile opus perficiat eo modo qvo in charissimis Dei Amicis id operatus est. Et cùm injuncta, totiesvè commendata sit expectatio, necesse est, ut homo patienter expectando locum Domino in se paret, tempusvè permittat, qvo Deus nullo modo impeditus inveniat in homine, qvod placet ei: qvodsi sic fecerit, percipiet brevi adventum ejus. Hoc de nocturno exercitio. Interdiu autem cùm suo officio fungitur homo, incumbit ei mentis oculum in cunctis suis operibus desideranter ad Dominum convertere, atq; nil nisi Dominum internè respicere; ast hîc inprimis cavendum est, ne sensus externi & interni exorbitent in respiciendo, quærendo aut degustando qvid aliud præter Deum, id autem cùm facilè fiat, in ipso excursu repentè

pentè ſunt conſtringendi ac reducendi, donec cum ratione ſimul à moderatore interno diſponantur. Huc plurimùm conferet, ſi in omni modo ac opere (qvàm parvum etiam ſit) examinet ſe, num ſit permiſſa ejus operis actio, ejusmodi exercitium necnè, an Verbum qvod loqvi cupit, dicendum ſit necnè, num iſte cibus aut potus ſit capiendus necnè? Qvæcunq; ergò juxtà examen cognoverit bona, ea liberè faciat & confidenter, nec animo deſuper moveatur. Sub paſtum autem ſingularis quædam utiliſſima, ſed non ubivis cognita exercitatio eſt obſervanda; nimirùm, ut quælibet cibi buccella capiatur cum devotione, ſine oblectatione, ſolumvè pro naturæ exigentiâ, inprimis autem in deſiderio percipiendi ſimul ſanctiſſimum Sacramentum è manu ipſius Dei. Cum cibis qvoq; ſanctiſſimum nomen Dei in ſe trahat cum Voto, ut & Sanguis Domini noſtri per igneum amorem è corpore dominico protruſus infundatur in animam ſuam aridam & ſitibundam. Nam ſub hoc deſiderio non ſolùm ſatiatur Corpus mortale, ſed unà reficitur Spiritus immortalis juxtà qvod petitur: Panem noſtrũ qvotidianum da nobis hodiè, id eſt, tàm ſpiritualem, qvàm corporalem, nimirùm Verbum, qvod egreditur per Os Dei, qvo homo de ſolo pane alioqvin non victurus ali & paſci dicitur. Eccè qvàm is æternam Filii Dei Genituram ſibi concipit, ſi cum devotione eam flagitârit, & ſi præfatum modum per totam Vitam ſuam tenuerit. In præparato fundo animæ habitat Deus perpetim & ubi Deus eſt, ibi gignit Filium ſuum inceſſanter, nec ſolùm ſuum Filium gignit in nobis; verùm etiam nosipſos ibidem regenerat, ut per adoptionem ejus fiamus filii gratiæ, fratres Chriſti. Ex hoc fonte tàm ſubſeqvens hominis Vita qvàm opera ſcaturiunt, imò & cuncta ejus merita. Qvamdiu homo perſiſtit in gratiâ, manet Deus in eo ſicq; operatur unà tria illa cum vel ſine ſcitu hominis ſivè comedat, dormiat, ſivè aliud qvid faciat, modò contrà gratiam non peccet.

Cùm ventum nunc ſit ad ipſam Sponſi poſſeſſionem, reſtat diſpiciendum, qvid novi boni doni æterna proles aſportet ſecum

cum repositum in suo thalamo (tabernaculo, templo). Ipsum ab æterno genitum Dei verbum affert secum in hominem.

1. Veram incuriam externi hominis atq; contemtum tàm commoditatis corporis qvàm voluptatis animæ, per id tàm vacuus & nudus redditur homo, ut copiam rerum temporalium negligat neq; attendat ad gloriam, commodum, cibum, potum, mollitiem corporis, neq; interstinguat electivè inter favorem & odium, laudem & vituperium, inter datum & ablatum &c. qvatenus cuncta transitoria comparat luto.

2. Libertatem veram, qvà homo scienter ad Deum se liberè possit ac velit extollere atq; eatenùs præsentiam Dei qvovis momento in Spiritu suo deprehendere longè exactius qvàm res ipsas.

3. Pacem veram hujus Vitæ, imò & prægustum pacis æternæ, & per hoc donum redditur adeò pacificus ut à nemine queat pâce privari neq; ab ipsâ rerum cunctarum perditione, siqvidem in hoc qvod Voluntati divinæ se integrè tradidit, pacem eam ubiq; invenit.

4. Discretionem veram seu Lumen intellectûs clarissimum, qvo noscit discernere in qvali & qvanto rerum internarum & externarum, qvarum ad necessariam Vitæ sustentationem indiget, nec id solùm, verùm etiam, qvò intelligat, undè proveniant exercitationes tertii modi (Spiritus) motus primi, inclinationes, impulsiones, meditationes tàm internæ qvàm externæ, num scilicet è naturâ an è Spiritu proveniant. Id enim necessarium erat; ne suo amore seqveretur Lucem falsam pro verâ, qvatenùs hoc modo cognoscit verum Lumen ex revelatione occultæ veritatis providam cunctarum rerum discretionem administrantis.

5. Æternam suam è Patre nativitatem, qvâ efficitur, ut Spiritus observet qvandam sui translationem & exaltationem, hæc observatio fit mediante præsentiâ æternitatis tranqvillæ & mediante aversione rerum creatarum temporalium, qvæ non remeant in genituram æternam; verùm qvascunq; res tractan-

das adhuc habet causâ necessitatis, eas transfert juxtà nativitatem in Deum, ut ipsa diversitas mutetur in Unitatem.

Cognitis nunc 5. donis adjicienda quoq; est observatio ejus qvod est agendum homini, qvi genituram Filii Dei percipere, ejusdemq; Utilitatem cupit habere. Necessum autem est, ut mentis potestates se reflectant ad fundum suum, ubi Deum inveniunt per modum sensus (attactus), hoc modo obtinent influxum Deiformem naturalem & essentialem, & in eo reflexionis statu amittunt suas vires (virtutes) utpotè jam fractas, dispersas (absorptas) à divinâ Essentiâ, hactenùs & omnes effectus exin producti sunt ac dicuntur divini, qvia juxtà suum principium formati. Hactenùs etiam intelligit homo, qvaliter dicantur opera per Deum facta, intelligit etiam juxtà rationem, ubi incipiendum & in qvo progrediendum sit, claro obtutu sic perspiciendo, qvaliter fundatus esse debeat, & qvaliter de vero & falso judicare queat. Nobilissimum hujus reflexionis simul ac influxûs divini opus est totalis sui separatio, desertio, annihilatio, hoc est omnium rerum, qvæ vel sentiri vel cogitari possunt. Ejus modus est subitaneus elapsus cunctarum rerum finitarum habentium diversitatem, de qvo alibi qvoq; dictum est, ipse actus autem est omnium utilissimus, qvia brevissimâ viâ ad fundum internum perducit. Id autem hîc observari debet, ne quà fiat, ut actus prædictus subitò cesset, sicuti subitò incepit (qvod qvidem ob fragilitatem naturæ corporeæ facilè contingere potest), nobilissimum enim opus est constantia, ut scilicet actus is uti per Deum incepit, ità in Deo protendatur per modum inhæsionis, qvod etiam sic fieri poterit, si Deus semper sollicitetur precibus ad largiendum progressum & promotionem. Sed hîc impingunt multi, præsertim qvi molliores sunt, vagi, duræ vitæ inassveti & impatientes; uti enim à seipsis qvandoq; elabuntur, ità qvoq; mox relabuntur à fundo interno reperto ad seipsos extrorsum conversi, taliter perdunt unà partum Dei. Alter lapsus autem (utut periculosus est) causatur facilè per medium qvoddam externum admis-

sum

ſum inter Deum & mentem, medium, dico, externum eſt omne id qvod Deus non eſt. Tale autem medium cùm propè adſtet expectando & vigilando, donec nactâ occaſione ſubrepat, hinc à ſeipſo qvilibet nunc intelligit, qvàm ſit periculoſum negotiari cum Deo per accidens, intelligit cur ſobrietas, vigilantia & attentio ſit toties injuncta, ſine qvâ omnis converſatio cum DEO eſt comparanda joco Deum offendenti. Hactenùs jocantur cum Deo qvi receſſum à Deo toties quærunt, cùm exercitium hoc averſetur requiem, interruptionem, ceſſationem, remiſſionem, viciſſim autem requirat ſummam obſervantiam, vigilantiam, conſtantiam, durationem, imò & totalitatem hominis tàm qvoad tempus, qvàm qvoad modum, quemadmodum ſcriptum eſt: qvi ſtat, videat ne cadat. Hæc nimis dura videntur mundo, cùm reqvies neceſſaria communiter vetet continuam vigilantiam. Verùm interna hæc obſervatio eſt ipſa animi reqvies ac refocillatio, qvam David Rex ſe percepiſſe fatetur de die in diem. Imò ſi ea ſemel in aſſuetudinem venit, haud difficulter permanet, qvia Deus eſt omne in omnibus tàm ſemper qvàm ubiq;, in minimo, in maximo. Quicunqvè ergò Deum ſolum, hoc eſt, nil præter Deum tunc reſpicit, is certè in, cum & ex Deo ſemper poterit operari optimum ſub qvalicunq; operatione.

Q. Qvot modis debet mens præparari, ut juxtà hymnum reddatur ſimilis Angelis aut ipſis Seraphim? R. Sex modis præparatur ea in ſimilitudinem angelicam:

1. Cùm ſubactâ cupidine Mundum creatum, hoc eſt, contenta ejus omnia ſpernendo fugit tanqvàm Dei adverſarium.

2. Cùm Patriam cœleſtem & qvæ in eâ ſunt, intuetur, amat, guſtat, ibidemq; ambulat.

3. Cùm ſeipſam abnegando & hominem externum prorſus abjiciendo ſemper & ubiq; Chriſtum ſequitur.

4. Cùm eò ſemper incumbit, quò conſcientiam teneat impollutam, illæſam, cumq; ſuam converſionem ad Deum ſemper renovat.

5. Cùm prudenter ac diligenter observat Voluntatem Dei, cui satisfaciat toties, qvoties internè per Deum commonetur.

6. Cùm Desiderium ardens habet solvi à carnis & mundi vinculis & liberari à cunctis rebus temporalibus, hoc est, Patre, Matre, Fratre, Sorore, imò proprio suo corpore animam onerante, hactenùs & solùm cupit cum Christo vivere.

Præfatis 6 modis præparata Mens, hoc est, tempori & sibiipsi mortua, amore Dei accensa dicitur Seraphim similis facta, adeoq; in Choro seu Consortio eorum creditur fruitura divinâ Claritate.

Q. Dic qvomodò acquiritur constantia post nactam eam animæ præparationem, qvæ in hoc capite descripta est? R. Ut homo prægressâ præparatione habitum divinæ Vitæ conseqvutus persistat constanter in eâ, juxtà quod requirit Sanctitas, necessum est, ut antè omnia sibi prospiciat de habendâ agilitate, bonâ conscientiâ & pace. Activitatem demonstret in reiteratione Exercitii imitatus pueros, qui lectionem toties ab initio repetunt; siqvidem frequens lectionis repetitio arcet torporem & ignaviam, quæ sub exercitio spirituali vel maximè devitanda est, quia oblivionem inducit rerum agendarum. Quodsi de novo semper inceperit, semper erit vigilans, quod primum est. Conscientiam bonam retinebit sic, si cum Deo semper in secreto conversatur, quatenus hoc solo mens tuta redditur, qvæ alioquin facilè turbatur & oberrat. Divina verò conversatio fovet gaudium in liberâ conscientiâ, qvod est secundum. Tertium, si dona Dei sivè solantia sivè affligentia suscipit immoto animo, manet semper in pace, quæ aliàs aufertur animo trepido & impatienti. Mens assuefacta passioni semper pacata est, nunqvàm inquieta. Arcanum hoc est consilium nec ubivis observatum, cui & monitum hoc adjiciendum est, nimirùm, ut homo exerceat cum Deo repetitionem omnium causâ temporis, dierum & annorum, quorum curriculo Vita hominis circumducitur, & ideò oblationem sui homo toties cum Deo repetat, quoties in mentem ea incidit; verùm hæc repetitio est tantâ diligentiâ

ligentiâ facienda, ac si jam primò inciperet aut etiam finem imponeret, tantâ scilicet curâ, ac si è qvovis opere beatitudo ipsa penderet: qvodlibet verò opus qvod est interdiu susceptum, incipiendo perfici potest. Quodsi se putat operam & otium perdidisse, vel opus minus probè elaborâsse, de novo incipienda est oblatio sui sine morâ, imò tanto fervore ac si conversione eâ id omne qvod unqvàm neglectum est, debeat compensari. Homo impeditus aut languidus, si viribus recollectis semper de novo incipit, & tempus in bono exercitio terit, conqvirit tandem habitum, qvò velut ex instinctu naturæ se linqvat, ubi vult, vertat qvandò potest, possit qvandò velit, velit qvandò impellitur, impellatur qvandò Deo visum fuerit, & sic conversus diutius persistat. Ad multos autem annos absq; remissione tanqvàm immoto pede persistere in præfatâ conversione, non est hominis sed Spiritûs abstracti, ob hanc infirmitatem ad media recurrendum est, qvorum unum est repetita inceptio, ideò destructo uno opere labor est renovandus & sæpè mutandus, de novo sic opus conversionis incipiendum est, qvò velut per numerosum conversionis conatum transportemur in Deum, id qvod Apostolus per novitatem Vitæ indicare voluit, novum enim initio proximum, imò & integro, qvia indivisum est. Initium (Alpha) Deus est, imò & finis: qvodsi ad finem tendimus, in qvo versemur & vivamus, seqvitur necessum esse ut per eum incipiamus. Per id namq; qvod Deus principium est, semper nobis propè est, nos autem si cum eo & per eum incipimus, reverà ei propinqui sumus, sicut remoti dicimur, si non incipimus. Per hoc autem qvod semper incipiendum est, indicatur, nos DEO non semper æq; propè esse atq; Deus nobis est, qvia per modũ inceptionis apprehendimus medium: & certè media sunt nobis perqvàm necessaria, siqvidem absq; iis nil possumus præstare, neq; pertingere qvò tendimus. Restat ergò, ut qvalibuscunq; mediis, qvocunq; demum conatu approximemus DEO de die in diem propius accedendo, qvoniam sic est futurum, ut mirè proficiamus in qvolibet opere sivè sit cogitatio, meditatio,

oratio, lectio aut operatio utcunq; brevis, supponitur autem in respectu superius explicato, nimirùm in sui abnegatione seu nudâ sui in Deum submersione, qvæ vocatur renovatio, inceptio, ideò qvidem, qvod non continuato filo per Vitam perdurat, sed qvod iterum atq; iterum renovanda ac repetenda est, atq; sic paulatim in assuetudinem deducenda; tunc tandem longiori temporis tractu durat, hominemvè Deo propinqviorem sistit. Id etiam per simile artificii planum redditur, qvà nemo nascitur artifex, qvia rudis ac imperitus: Convenit ergò discipulo artis opus suum ab initio rudi Minervâ (uti dicitur) tractare, & è confusâ formâ discere, qvid corrigat, labor posteà est sæpè repetendus, donec tandem cum notitiâ acqvirat aptitudinem opus faberrimè concinnandi adusq; perfectum Magisterium, qvod ipsa artis Essentia vocatur. Ad eum modum est instituendũ Exercitium Spiritûs, ubi homo qvidem multa instrumenta (media) habet, ast unicum saltem opus artificiosissimum invenit sibi propositum, qvod si complevit, asseqvutus est omnia in uno; verùm qvia artificiosissimum est, laborat diu in sudore, donec id perficiat, imò jam propè finem inprovidè id sæpè suis manibus destruit, qvocircà de novo id elaborare tenetur. Vocatur autem ideò artificiosissimum, (cùm tamen sit in se simplicissimũ) qvod ejus elaboratio difficulter addisci, ipsum verò opus facilè destrui potest: si verò semel ac iterum factum est, leviori negotio & sine fastidio renovatur. Eccè in unâ perfectâ resignatione consistit totum opus, tota ars, totum fundamentũ, qvod qvi habuerit, habebit unà vigilantiam, (activitatem), conscientiam liberam & pacem firmatam, per has etiam constantiam. Si absq; uno horum mediorum sit, destructum & minimè perfectum est opus, & hinc de novo inchoandum. Restat nunc adjicere aliqvid de tertio reqvisito, Pace videlicet, per qvod scrutari se potest, nùm Deum possideat necnè? supponit autem interna conscientiæ pax, ut homo contentus sit in cunctis rebus, ut etiam linqvere velit ac possit propter Deum ea omnia, qvorum aliàs indiget. Si qvà invenitur homo, qvi possidet

possidet Deum, ei nil est contrarium, sed satis bona omnia, si accipit, si perdit, si habet, si non habet, contentus est tanqvàm cum bono, sivè in solitudine est, sivè in congregatione, sivè videt vel audit, sivè molle vel durum, sivè dulce vel amarum est, qvicqvid ei obvenit, sivè uti sivè carere potest iis, æqvali animo cuncta suscipit, qvia omnia bona amat, omnia autem videntur ei per Deum bona. Talis Vita verè dicitur bona, attamen passivo modo tantùm, quanqvàm activo modo etiam bona sit, si homo Crucem seu qualemcunq; passionem possit perferre imoto animo. Qui vult utroq; modo beatè vivere, sit prudens oportet ac providus, qvia est homo nesciens gloriari nisi de Deo & de infirmitate suâ. Quidam cùm aliqvo tempore se exercuerunt, exorbitant nimis imprudenter tentando Deum, dum suâ sponte se acerbæ passionis periculo committunt, anteqvàm degustârunt acerbitatem Crucis, id autem præcoci ingenio ità faciunt demulsi dulcedine meriti vel gloriâ diadematis inflati, qvamobrem posteà luunt ambitionis meritum lapsu Icari, qvi tamen nôsse debuerant temerarios non necessarios ausûs devitari per Sapientiam, sicut alibi edoctum est quædam vitia per fugam, non autem per resistentiam everti posse, qvale est impuritas carnis: compertum namq; est, eos qvi alia vitia viriliter depugnârunt, hîc tamen ligatis viribus emollitos fuisse, cùm tamen prudenter fugiendo vincere poterant. Cavendum igitur est, ne multa quis ausit, qvibus carere poterat, nam & hîc locum habet illud: Tela prævisa minus nocent: sufficit ea qvæ impetunt animo patienti vincere sufferendo, quoniam hinc proficiscitur requies & observatio suiipsius & ex observatione immanentia. Id medium est modus optimus, qvo homo nil sibi eligit, qvoniam ad summum sic ducitur, ad infimum potest se recipere simplici conversione, neq; minori facilitate ab infimo ad summum pertingere, ut alibi fusius explicatur. Quisquis autem Vitam separatam ducere cupit, qvæ regitur per patientiam, is sensus tàm internos, qvàm externos tenetur semper religatos habere, semetipsum circumspectè observare, non evagari, sed intus manere,

nere, turbasq; hominum despicere. Præter hæc tenetur afflictiones perferre patienter amando passionis dona, quatenùs hâc mediante virtute implantatur in ipsam arborem Crucis Christi, in qvâ æternos Vitæ fructûs profert.

Q. Adde hîc summam totius præparationis, in quâ velut in speculo repræsentetur forma illuminati hominis hîc paucis verbis complexa; nam multa sunt dicta de Voluntate Dei, quam cuncta facta & instituta hominis per totam Vitam debent respicere, ast quà non omnes cognoscunt æq; modum, quo vivitur juxtà divinam Voluntatem, opus est, ut indicetur is aut brevibus verbis describatur? R. Quicunq; desiderat cognoscere Voluntatem Dei, cui se subjiciat, noscat oportet, Deum à nobis requirere, ut eum super omnia sincerè amemus: hic amor autem qualis esse debeat, explicatur per id, ut respiciendo Deum solum quæramus (putabis fortè in templo per horam unam aut alteram? sanè non! verùm) toto Vitæ nostræ tempore (fortè juxtà placitum & sine curâ? Non! sed) ex omnibus animæ viribus (fortè datâ occasione doni, loci & modi? Non, quin etiam) in cunctis cogitationibus, (satisnè sic? Non! imò &) in omnibus Verbis (fortè dabitur respiratio sub actione humanâ? Non! quia &) in omnibus factis suis tenetur homo intendere Deum sic ut nil fiat ab eo, quod nequeat dici per Deum factum esse. Hoc est primum divinæ Voluntatis requisitum & quidem maximũ: alterum huic simile est, nimirùm, ut homo proximi sui, hoc est, omnium hominum beatitudinem æquali conatu quærat atq; suam propriã. Hæc est omniũ nostrûm obligatio, cujus ratione vel fideles vel infideles servi merito nostro invenimur. Hæc mundo sunt antè omnia prædicanda, si Scripturam tùm benè intelligere, tùm sincerè explicare fas est: nam tunc intelligimus quid velit dictum Christi: Deum tuum coles & illi soli servies, quidvè illud: psallam Deo meo quamdiu fuero: item: Vita nostra cum ipso crucifixa est: quid illud: ut sitis immobiles, stabiles, perfecti: item: ut & corpora vestra sancta sint: quid illud: memento Domini tui semper: item, Cor mundum crea

in

in me Deus: item: quare pravæ cogitationes ascenderunt in Cor vestrum? qvid illud: obscæna verba &c. procul à vobis sunto! quid illud: ut videant vestra bona Opera & laudent Dominum: item: qvod Opera vestra per Deum sunt facta &c. Hiscè notificatur absoluta Voluntas divina: jam restat proponere modum, qvo juxtà eam vivitur. Est autem multiplex (varius), utpotè qvod homo tenetur

1. Seipsum internè probare, exactè observare, imò & in silentio auscultare, quid Deus in eo loqvatur, quid instituat, quid velit & jubeat. Nam Deus solet de die in diem informare sedulum ac obseqventem hominem, eumq; ducere ac promovere per eum modum, qvo discipuli solent in disciplinâ indies proficere in melius.

2. Diversitates devitare, vagasvè mentis discursitationes, tùm & in Deo qviescere vacuo animo, hoc modo simul devitat peccata.

3. Non solùm suos claudere sensûs, ne vanitates recipiant, sed etiam Deum invocare, ejusq; præsentiam omni loco & tempore usurpare.

4. Habitando in seipso pacem & veritatem cordicitùs amare.

5. Humilem, mitem ac divinum se præbere toto suæ vitæ curriculo.

6. Cuncta sibi obvenientia nonnisi à Deo recipere, Deum pro his laudare, ac in suis actionibus cunctis glorificare.

7. Mediante humili suiipsius abnegatione interponere se inter Deum, & inter seipsum, sic namq; subjectus erit tùm Deo tùm Creaturis.

8. Incessanter suis Oculis præfigere Clementiam Dei suæ oppositam imperfectioni, ut rapiatur in admirationem immensi versus hominem amoris divini, vicissim etiam summæ humanæ perfidiæ: nam sic se omnium hominum vilissimum atq; deterrimum reputabit.

9. Summoperè cavere sibi à proprio arbitrio doloq; naturæ, cùm teneatur de se profiteri non nisi qvantum habet de se.

10. Semper iterare novæ Vitæ exordia in continuâ Veritatis & Virtutum novitate.

11. Exercere plus Vitæ qvàm verbositatis cupiendo ab hominibus & deseri & subsannari.

12. Parva peccata (qvæ peccatilla per contemtum vocare solent) exiguosq; defectûs magnipendere.

13. Prospicere sibi, ne unqvàm anima ejus Deo careat: qvidqvod omnes homines exemplo ejus emendandi sunt, necessum est perficere opera modo qvo potest absolutissimo; sic namq; & non aliter satisfacit cognitioni suæ, maximè autem tenetur fugere actiones, qvarum posteà pœniteat.

14. In diuturnâ afflictione habere constantem patientiam, & inter tot discrimina ac diversitates animum compositum.

15. Nihil bonorum concupiscere in tempore, qvod proprium diceret, tantòminus selectum rerum appetere.

16. Nihil præter Deum in animum suum intromittere, ne præter Deum qvicqvam in eo inardescat.

17. Cavere sibi ab omnibus hominibus, separatum & ab impressis speciebus alienum ac vacuum se conservare.

18. Animum suum liberare ab Occasionibus, influxum verò Dei immittere sine resistentiâ.

19. Omnibus exemplum probæ Vitæ exhibere, eoq; sæpissimè se juxtà Ideam Vitæ Christi examinare, tùm & scrutari, qvàm ei similis sit aut dissimilis Vitâ suâ.

20. In Verbis verax, in Vitâ utilis esse, eoq; originem, undè mens ejus immediatè dimanavit, contemplari, qvò festinanter in eam remeet.

21. Observare, qvis & qvalis sit ipse, qvò pertineat, qvid faciat, cur idem faciat, eoq; allaborare, ut in Virtute ac Veritate adusq; finem Vitæ suæ constanter perseveret.

Tantum de præparatione hominum proborum & progressorum.

CAP.

Cap. III.
De vanitate Mundi & fugâ Creaturarum.

IN præcedentibus oſtenſum eſt, qvod præparatio probi & progredientis hominis incipiat à perfectâ reſignatione tùm ſuiipſius tùm & cunctarum Creaturarum, perficiatur autem in Charitate & obſervantiâ divinæ Voluntatis, videtur nunc operæ pretium eſſe, ut hiscè proximè annectatur doctrina de vanitate Mundi, ejusq; contentis Creaturis, à qvibus humanus animus tanto ſuo damno ſeducitur, quævè hâc ipsâ de Causâ ſunt deſerendæ. Nam homo non poteſt amare Deum ex omnibus animæ Viribus, neq; proximum tanqvàm ſeipſum, tantòminus poteſt amicitiam Dei temporaliter in ipsâ Veritate advertere, nî Voluptatem ac deſiderium Creaturarum omnium in ſe penitus deleat.

Q. Dic qvid ſit intelligendum ſub Creaturarum deſertione? R. Id paucis tradendum eſt hoc modo. Quælibetcunq; mundi contenta (qvomodocunq; vocentur) ſivè vivunt ſivè non vivunt, adde qvaliscunq; forma, modus & omne id, in qvo non ſolus Deus ipſe, ſed voluptas, recreatio, commoditas, proſperitas, proprietas naturæ inordinatè quæritur ac invenitur absq; neceſſitate, (qvo etiam refertur interna ſpeculatio, commemoratio, imaginatio, in qvibus natura ſe oblectat) ſunt illæ Creaturæ qvæ fideli homini deſerendæ atq; à ſenſibus externis & internis totaliter abigendæ ſunt. Hoc rerum circulo comprehenduntur omnia, qvibus homo pro ſuo utitur deſiderio & non pro ſolâ neceſſitate: & ſic qvi ſuam ſpem ponit in homines & Creaturas, vanus eſt. Qvi verò dicit ſe Deum amare non poſſe ex omnibus Viribus, is Creaturas linqvere non vult, ideoq; dicit vanitatem & mendacium.

Digitized by Google

In ſtatu naturæ renuit homo ſervire aliis per Charitatem, pudet eum paupertatis objectione dehoneſtari: prætereà qvoq; nimis multum confidit aliorum præſtantiæ. Conſimiliter venatur gloriam, aut per divitias, aut per potentes Amicos, extollit ſe formoſitatis aut fortitudinis ratione: complacet ſibi de ſuâ prudentiâ aut aptitudine, deſpiciendo alios ſeipſum præfert, gloriatur de ſuis bonis Operibus. Aſt omnia hæc tenetur linqvere, fugere, & modo contrario vivere. Contrarius autem vivendi modus is eſt, ut ſtatum ſuum nemini revelet præterqvàm pio & prudenti homini: amor ſit ergà omnes homines, aſt converſatio multorum, amicorum, magnorum, juvenum, fæminarum eſt fugienda, admittitur converſatio modica cum piis, humilibus, & ſimplicibus, maximè tamen Dei & Angelorum quærenda eſt communio. Sanctisſimi homines qvantum in illis fuit, devitârunt Societatem & Converſationes, qvia in ſilentio maluerunt ſervire Deo. Qvantumcunq; etiam ſe qvis cuſtodire cogitat in colloqvio, longè tamen tutior eſt fuga Societatis, qvia absq; cuſtodiæ curâ: ſi Chriſtum imitari expedit, is ſecedebat à turbâ dato nobis exemplo, qvo ſua ſequamur veſtigia.

Ab ipſo effectu rerum temporalium deſumuntur qvinq; rationes pro deſerendá earum voluptuoſâ tractatione aut uſurpatione. Nam

1. Oblectatio in Creaturis inventa obtenebrat intellectum, qvominus Deum resq; æternas cognoſcat & amet, qvod comprobat experientia ſimul & oppoſitum exemplar ſanctorum hominum, qvi ab infernis potentiis (ſenſitivæ) non impediuntur, dum loqvuntur, ſupernis Virtutibus (Mentis) Veritatem retinentibus, ſiqvidem eorum animus jam tempus evadendo contingit æternitatem, ubi veritatem tùm & ſeipſos in omnibus & omnia in omnibus cognoſcunt non obſtante diſtantiâ virium infernarum aliarumvè creaturarum. Quoniam autem duplex iis eſt intellectio, una qvidem tranſcendentalis, qvæ in præcedentibus verbis intelligenda eſt, altera verò contempla-

tiva,

tiva, qvà ſcilicet in ſeipſis veritatem intelligunt cum diſtinctione & diſcurſu; hinc duplex actionum intellectivarum habenda eſt ratio, una qvidem juxtà modum præfatum, altera juxtà alterum, cùm ſcilicet ſub ratiocinativâ intellectione impediuntur ſupernæ poteſtates ab infernarum potentiarum actionibus. Sic nimirùm ſuperni Regiminis Vi dirigunt ſupernæ & modum præſcribunt infernis, qvaliter ſcilicet earum operatio perficienda ſit. Interim autem & dum hæc præordinatio fit qvæ ſpectat res temporaneas & externas, feriatur Mens ab intellectione cœleſtium abſtracta.

2. Amor Creaturarum minuit amorem Dei juxtà gradum comparationis; ità ut qvò plus illius, eò minus ſit hujus. Cùm anima nunqvàm quieſcat ſed ſemper qværat nova, meliora & perfectiora his, qvæ perſpexit & antiquavit ſpe inveniendæ perfectionis in hoc, illo, alio, annon indicio id eſt, nullam Creaturam habere in ſe cupitam perfectionem, indè qvidem ſeqvitur amorem Creaturarum eſſe penitùs exſtirpandum, præprimis cùm jam agnoſcamus finem eum, qvò tendere, ubi acqvieſcere debemus, eſſe ſolum Deum & præter hunc neqvicqvam aliud tale.

3. Voluptas à Creaturis profluxa eſt nauſeabundæ peccati amaritudini permixta, qvæ ſi non externo guſtu percipitur, tantò magis internè ſentitur, dehinc ſeqvitur cupedias creaturarum eſſe penitus ſupprimendas.

4. Ut Creatura in ſe diviſa, varia & valdè diverſa eſt; ità & delectatio ejus varia eſt, qvod uni placet, diſplicet alteri. hic qvidem delicata cupit edulia, ille externum Corporis ornatum præfert gulæ luxui, alius honorem, alius divitias, qvidam ſcientias cunctis aliis anteponunt. Sic in ſpiritualibus qværit hic delicias animi in oratione, alter in meditatione &c. qvæ & ipſæ valdè diverſæ ſunt; cuncta verò hactenùs prodentia, qvòd in Creaturarum ſphærâ omnia ſunt imperfecta, eoq; rotari impulſu neceſſitatæ viciſſitudinis. Nihil autem tàm vanum vel malum eſt, qvod aliquo modo non ſit aut dici poſſit bonum vel utile. Viciſſitudo &

varietas Creaturarum eſt vanitas & malum homini, utilis tamen & bona ideò, qvia non confert homini perfectam ſufficientiam, hominem hactenùs ad Deum ipſum ablegans, qvem aliàs non qværeret unqvàm, ſi mens humana ſatiaretur à Creaturis.

5. Creatura eſt tædioſa & moleſta juxtà experientiæ teſtimonium, cùm palàm ſit, cunctos homines faſtidire tandem cuncta ea, imò ſæpè ipſam Vitam, in qvibus olim delicias ſuas qvæſiverant. Utut ergò Creaturarum tractatio eſt à principio jucunda & deſiderabilis, redditur tamen tandem ingrata & tædioſa, atq; à ſeipsâ exhibet rationem ſuæ deſertionis.

Q. Cùm in qvolibet mundi ſtatu tàm multiplex tamq; diverſa ſit negotiatio, motitatio, nundinatio & inqvies, qvâ ſeſe mundus occupat, dic qvid hîc ſentiendum eſt? R. Mirum qvàm in diverſo ponatur omnis neceſſitas, ità ut omnia excellere debeant, qvàm diverſus amictus, diverſus victus, diverſa manſionum magnificentia, cùm in his omnibus vel decima pars ſufficeret, reliqvæ omnes neceſſitatem excedant, & tempus nihiloſecius nil niſi perpetua miſeria eſt. Cæterùm hoc tempus debet nil aliud eſſe qvàm tranſitus ad æternitatem, ut Corpus & anima tantùm queant ſuo frui conſortio. Imò expediret homini fame potius cruciari qvàm omnes iſtas ſollicitudines ſuſtinere, maximè eum, qvem Deus à mundo abſtraxit ad ſuum ſervitiũ, decet omni induſtriâ ſeſe avertere à vanis iſtiusmodi negotiationibus, qvas non exigit neceſſitas, ac introvertere in ſe expectando & obſervando vocationem, qvò qvaliterve Deus vocavit eum. Quisquis igitur rejectis impedimentis ſeu Creaturis omnibus levatum ſe cum cunctis viribus in ipſum DEUM præcipitat, is Dominum ità permovet, ut continere ſe neqveat, quin ſe demittat in hominem. Propterea docuerunt Sancti, hanc Salvatoris demiſſionem, adventum (inhabitationem) fieri ideò, ut Chriſtus naſcatur in homine, eoq; regat in & cum eo Cœlum & Terram. Atqui tales homines ſunt tantùm illuminati & præparati, quales non ſunt qvi rebus mundanis adhærent

rent. Nam etsi Lux divina incessanter fulgeat homini, impeditur tamen in suo actu, quominus illuminando accendat eum hominem, qvi sensibus & affectibus suis adeò deditus est, ut nunqvàm emoriatur iis ad Deum totis viribus conversus. Nam dum hoc fit, obducitur velut cataracta mentis oculo, qvæ impedit, ne lucis radius illuminet oculum: & istæc damnosa obscuratio vocatur Caligo seu Cæcitas mentis, hinc dixit Christus: si Oculus lucidus, totum Corpus luminosum erit, & vicissim: id qvod ad animam applicandum erat. Videndum igitur, undè istæc mentis cæcitas proveniat. Eam ajunt Theosophi provenire à pulvere (cinere) rerum depereuntium, qvo mentis oculus oppressus est: nam res mundanæ citò evanescunt nonnisi favillam volaticam oculis noxiam post se relinqvendo. Cinis hic secundum Scripturam est concupiscentia Creaturarum, hoc est, Mundi, Carnis, suiipsius. Hæc sola est causa excæcationis nostræ, excæcatio verò est causa vecordiæ, qvæ obstat, ne observemus Vitam nostram. Qvod autem ab eâ desidiâ impedimur, qvominus nosipsos agnoscamus, fit, ut per ignorantiam hanc avertamur à Cognitione Dei, id qvod omnium deterrimum damnum est. Enimverò si Deum non cognoscimus, non amamus eum ex toto corde, mente & viribus, si hoc, non cupimus gratiam Dei in abjectione seu humiliatione Cordis: si hoc, non operatur Dei gratia in nobis (utpotè qvæ non respondet roganti nisi in humilitate Spiritûs): deniq; si gratia Dei non operatur in nobis, mirum non est, qvod DEUM non sentimus præsentem, tametsi nobis propinquior sit nobisipsis. Quàm miser itaq; sit homo, qvi Deum non sentit, ex præfatis cognoscat oportet, undè tàm miser est atq; infaustus: sicut enim præfatorum malorum unum ex altero pendet, ità unum alteri tenaciter adhæret.

Redeundo nunc ad Creaturarum desertionem, noscendum est eam non solùm consistere in externâ sensuum occlusione, verùm etiam in internâ Spiritûs evacuatione, qvæ est desertio Idearum in intimo animæ procreatarum, siqvidem docetur. Corpus

Corpus pariter & Spiritum esse in captivitatem ducendum, ne dum Caro suis privatur illecebris, Spiritus voluptuosè luxuriet in cunctis iis modis & locis, ubi seipsum quærit & obtinet. Hæc denudatio Spiritûs est valdè necessaria homini tàm hîc quàm ibi olim ad summam veritatem collimare cupienti, cùm fieri soleat, ut naturali Creaturarum cupidine suppressâ surgat concupiscentia spiritualis, qva Spiritus per modum objecti se possideat cum desiderio modorum ac Idearum intellectualium. Ista autem concupiscentia valdè periculosa est, qvà velut objecto velo lumen verum impeditur, quominus in homine luceat simpliciter. Sicut enim corpus angulare, obscurum aut coloratũ præpedit, ne lumen illapsum naturali splendore in eo luceat, qvin potius receptos objecti Colores unà transfundat; ità Lumen divinum aut non penetrat, aut suam mobilitatem non diffundit, si Voluptas obsidet Spiritum, naturam ejus & exercitia obscurando qvalicunq; demum modo, sivè in cogitando, meditando, sive operando, sivè degustando, idealiter seu formaliter, intellectualiter aut intuitivè, qvoad Spiritus requiem aut recreationem, non autem purè & objectivè Deum respicit. Natura namq; complacet sibi in suo assueto, non obstante pristinâ aversione, inclinando ad id tanqvàm ad suum proprium, proindè adducit eò Spiritum, qvò se unà oblectet desuper. Ad istam classem refertur oratio, jejunium, vigiliæ, corporis castigatio, & qvæ sunt hujusmodi exercitia externa dura, qvibus se Spiritus applicat sub naturæ placito & directione. Verùm cùm Spiritus in actione similium operum teneatur non ea nec seipsũ, sed solum Deum respicere, se ipsumq; à possessione eorum sequestrare, hactenùs in modo non excedet humilis homo, qui potius naturam simul revocabit, ut in statu eo abrenunciet unà suo oblectamento & moriendo nequicquam retineat voluntatis, delectationis, modi, formarum vel Idearum inter operandum, quod ei proprium diceres.

Q. Cùm Filius Dei nil sine causâ dixerit, quæritur, cur divitis Epulonis parabolam per Evangelium mundo prædicari voluerit?

fuerit? R. Id ideò factum credendum est, qvò nos fideliter hortaretur, ut ab exemplo edocti divitias hujus mundi contemnamus, atq; cum Lazaro cunctisq; Amicis Dei in paupertate & afflictione patientes simus.

Q. Siccinè in parabolâ tanqvàm in figurâ projecta mundi vanitas conspicitur? R. Quisquis apertis oculis obtuitus fuerit exitum utriusq; tùm divitis Epulonis tùm pauperis Mendici, dispiciet clarissimè, qvàm cuncta ea qvæ mundus magni æstimat, nil aliud sint, qvàm vanum somnium & fraus diabolica, qvam ponè ignis æternalis subseqvitur. Quàm brevis lætitia, longa mæstitia mundo percharus Paradisus est! Annon dicendum est meritò, mundana corda esse penitùs fascinata, eò qvod omne suum desiderium rebus merè caducis mancipant? In extremam prolapsi Cæcitatem assiduè quærunt eam lætitiam & voluptatem, qvæ nunqvàm permutatur in veram lætitiam: imò sæpesæpiùs fit, ut plura iis accidant adversa, anteqvàm unum nacti sint qvod exhilaret, hinc qvò velocius desiderium, hoc major inquies eorum. Fieri sic neqvit, qvin corda impiorum sint semper perculsa timore & terrore; ità ut possit dici, breve eos gaudium qvod venantur, summo cum labore conquirere, cum anxietate servare, cum dolore perdere.

Q. Quænam ergò fama, qvis rumor est de mundo? R. De mundo veracissimè dicitur, qvod sit infidus, perfidus maximè, qvatenus tunc omnis amicitia finem sortitur, postqvàm de meo & tuo actum est. In rebus creatis nunqvàm reperta est vera Charitas, vera Pax, perfecta lætitia; hinc deplorandum est dari tot homines, qvi pro eo qvod possent cum Deo & Principibus dominari super Cœlum & Terram, seipsos stolidè despiciunt, sponte perdunt, qvibus satius esset millies mori qvàm facere, ut Deus ab iis recedere debeat. Perdunt autem se, cùm perdunt id, qvod maximè considerandum est, tempus scilicet qvod tam festinanter fluit, nunqvàm refluit.

Q. Fortassè exculpat hos inscitia? R. Neutiqvàm! imò sciunt & in iisipsis persentiunt hoc, non tamen desinunt sic otiari, donec experientia eos nimis serò obruat.

Q. Cùm iis nimis tetricum videatur, qvod tàm jucundum est, deserere, imò antiqvam consuetudinem deponere rem putent esse impossibilem, annon merentur conniventiam? R. Imò tantò magis erit impossibile futuram ignis infernalis torturam sufferre. Qui fugiunt passionem profundius labuntur in eam: qvi summum Bonum ejusq; suave onus abhorrent, onerantur à Diabolo pergrandibus sarcinis.

Q. Expone damnum è temporis prodigalitate emergens? R. Tempus ob voluptatem perdere id genus damni infert, nimirùm, animum turbat, ne intus maneat, Cor pace privat, gratiam & amicitiam Dei destruit, interioris verò hominis teporem & cæcitatem, sicut exterioris ignaviam causatur. Anteqvam familiaris conversatio semel hominem intrò conducit, infinities eum prius extrorsum abduxit, & anteqvàm qvis indè bonam doctrinam percipit, fuit antecedenter sæpissimè pravis Ideis turbatus ac impeditus. Qvemadmodum pruina majalis corrumpit florem; ità perdit caducus amor divinum propositum cum salute. Ecqvis non consideret tempus, cùm ratio danda est de perdito quovis tempore & de neglecto bono, qvandò coràm Deo & toto mundo inutiles pravæq; cogitationes juxtim, verbaq; & facta omnia manifestabuntur publicâ & clarâ prælectione.

Q. Ergonè mundus propter fallacem fidem prorsus deserendus est? R. Imò penitus abnegandus vel ideò, qvia voluptas ejus impuritas est, consilium Superbia & Avaritia, servitium ejus suave, merces ingrata, flos pulcher, fructus putridus, securitas ejus proditio est, auxilium verò venenum & deceptio, promissio ejus mendacium est, pro lætitiâ dat pœnitudinem, dedecus pro decore, pro fidelitate falsitatem, paupertatem pro divitiis, pro vitâ æternâ mortem æternam. Qvisqvis ergò in tempore sibi eligit mundi voluptatem, propter qvam Deum amittit, is in separatione sui carebit utroq;: incurius enim non commemorat jucunditatem eam, cujus mille anni sunt dies unus, tantòminus tristem sensationem, cujus mille anni sunt

nox

nox una, nox densæ caliginis, cujus nulla in lucidum manè alternatio est.

Q. Cùm dives Epulo è talium numero erat, qvatenùs in luxu vivebat, & sicut in Evangelio expressum est, serico & bysso induebatur, imò insuper & Lazari immemor erat, eatenùs in infernum detrusus, dic annon qvod de fratribus ejus dicitur (qvorum, ne ob consimilem Vitam similiter ad orcum demandarentur, damnatus dives curam habebat) ad hodiernos etiam è luxu Confratres spectet? R. Imò hæc universalis monitio facta est propter tales in personâ fratrum Divitis, si fortè ab exemplo cautiores redditi sobriè viverent & hactenùs multis peccatis indè sequentibus exciderent. Hinc scriptum est: dies suos terunt Sap. 5. in commoditate, & in momento truduntur in infernum. Spes impii, ait vir sapiens, est sicut pulvis qvem ventus difflat, sicut spuma pinguis, sicut fumus, & sicut commemoratio hospitis, qvi postqvàm pernoctavit, peregrè proficiscitur.

Q. Quid hîc Amicis Dei convenit facere? R. Amici DEI & omnes boni homines tenentur perfido mundo valedicere hilari animo. Nam si qvis ad mille annos cum mundo in voluptate vixisset, nil, cum præteriit, aliud esset, qvàm momentum, siqvidem naturæ proprietas est separatio & destructio.

Q. Quid tandem expedit facere his, qvi propter Deum valedixerunt mundo ejusq; complicibus omnibus? R. Oportet eos lætari in Domino exhibendo ei se semper gratos pro tàm imenso bono. Neq; enim licitum est retrospicere, ne maximum Bonum vendatur pro re exiguâ, qvaliter qvidem fieri assolet illis, qvi pro jucundâ Amicitiâ Christi eligunt sibi temporalem amicitiam mundi, qvæ in se nil aliud est, qvàm temporis perditio, prædatio animi & destructio Vitæ spiritualis.

Q. Cùm hæc tàm ardua sint, annon juxtà Scripturam stulti ac prodigi temporis prædatores erunt hi, qvi cùm non habent, qvem servis tot inutilibus injungant, laborem, eos circumcircà mittunt salutatum familiares collusores atq; quæsitum, qvomodò dormiverint, qualiter tempus triverint, imò

& multas mundanas impuras Ideas & Cogitationes denunciatum? R. Imò Scriptura describit tales sub titulo insipientium, salutem negligentium: id namq; iis accidit, qvod dormienti siticuloso, qvem frigidæ aviditas vexat in somno; ità hi cùm suas res satis volverint evanescunt omnia, nec remansisse deprehendunt aliud qvàm vacuam manum, tristemvè conscientiam. Annon inferni atrium hoc est, ubi propter exiguam voluptatem se privant homines summo ac æterno Bono, cujus ratione in illo die coram amicis, imò coràm omnibus Creaturis summo pudore perfundentur? Quodsi nulla merces, nulla gratia post hanc Vitam speranda esset, longè satius tamen esset tàm brevi tempore servire Deo puro corde lætoq; animo vel solùm propter hoc, qvod ipsa bona Conscientia sufficiens sibi merces est.

Q. Hoc quidem ità dicis, ast nunqvid inveniuntur multi qvi dicunt: Dominum Deum conjicere servos suos in multas magnasvè afflictiones, quas tolerare neqveunt? R. Qvicqvid aliqvi dicant, verum tamen & expertum est, afflictionem qvam Deus Amicis suis mittit, esse onus leve, qvatenùs idipse Deus simul ferendum in se suscipit, præter id, qvod per passionem reddimur Deo accepti, qvin etiam Deo unitis passio omnis dulcificatur interno solatio.

Q. Ecqvis hoc tempore vivit sine passione? R. Fortè nemo: non arces munitæ, non Urbes potentes carent eâ. Si Vestes sericeæ splendent externè, cor dolet internè, imò propter caducas res patiuntur magna tormenta, maximoq; conatu comparant sibi infernales cruciatûs. Libenter ergò patiantur Amici Dei, qvo sibi Deum comparando æternum bonum conquirant. Nam etsi qvis à principio qvàm difficulter se abstrahat à vitâ jucunda, hæc tamen difficultas cessat in progressu, in fine verò jucundabitur etiam super omnes temporales delicias.

Q. Qvibus mediis vel modis obfirmantur, qvi mundo relicto ad Deum conversi sunt, ut perseverando proficiant in Vita bonâ? R. Hujusmodi conversis datur sequens consilium, ut scilicet,

1. Se

1. Se antè omnia exerceant studiosè in oratione, utq; recollecti qvantum possibile, proscribant omnem varietatem (diversitatem).

2. Ut iracundiam devitent, ne contrà qvempiam concitentur ad invectivam, cùm sit futurum, ut qvotiescunq; homo suam Voluntatem in Viâ ad iram coërcet, toties singularem coronam à Deo accepturus sit; sic si homo se, cum potest, non vindicat, id magis Deo acceptum est, qvàm qvaliscunq; oblatio. Hujus ergò commendatur silentium, in qvo tranqvillè vivit, qvi ad Exemplum Lazari injuriam tolerando necat.

3. Mansuetum se gerat semper & ubiq;, id qvod Deo gratum est & hominibus: nam inquieti, qvi præ impatientiâ hinc indè perstrepunt, ad nullam frugem perveniunt unqvàm.

4. Ut Os suum ità obserret, ne qvà id sine sonticâ causâ aperiat, ea propter in corde custodem Christum constituat necessum est, sine cujus licentiâ non loqvatur, sicut vicissim datâ veniâ, loqvatur honestè, breviter & aptè.

5. Ut ad terendum tempus non excurrat qvæsitum hactenùs conversationem: habeat autem amicitiam & conversationem, si velit, cum iis qvi piam Vitam instituunt, qvò fiat probior.

Q. Cùm de tempore benè transigendo facta sit institutio, indica qvoq; eas temporum horas, quæ aliis sunt magis opportunæ? R. Duo per diem tempora sunt observanda omnium opportunissima, videlicet matutinum & vespertinum. Expedit ergò, ut manè tempus qvodammodò cum Deo transigendo persistat homo in ferventi oratione adjectâ ordinatione super transactione diei ad normam divinæ Voluntatis tali. Deindè etiam, ut vesperi scrutetur se, qualiter sit transacta dies. Pro bono accepto laudandus est Deus, pro eo qvod neglectum aut peccatum est, detestatio facienda est ac deprecatio in firmo emendationis proposito. Neq; perdendus est animus, si non sic semper se gesserit, dummodò non desistat, cùm sit futurum sic, ut qvamvis non ipsum fastigium montis conscenderit, saltem in Viâ Salutis inveniatur, qvod benè notandum est,

 quatenùs

quatenùs est medium consolans eos, qvorum in Deo Zelus est.

Q. Quid ergò restat, ne, qvod reliqvum diei est, sine qvâdam devotione transigatur? R. Unum adhuc suadendum est, qvod benè cedet, nimirùm, ut homo semper curam habeat passionis dominicæ: hinc valdè expediet, ubicunq; est vel agit aliqvid, alloqvi Dominum hoc modo: Amabilissime Domine, Amice cordialissime, veni ad me, asside mecum, ambula mecum, adjuva me & in æternum non separa te à me.

Q. Cùm iis qvi proximâ Viâ cupiunt progredi ad Vitam æternam, opus sit eò allaborare, qvò fiant Christi discipuli, describe laborem sivè conatum, qvi eò est impendendus? R. Necessarium est observare seipsum, omniq; studio auscultare divino alloquio, neqvà seducatur homo à propriâ naturâ aut cæcus reddatur à multitudine rerum caducarum. Qvicqvid enim faciendum & cogitandum est, debet prius in mente considerari, num bonum sit necnè, sub hâc attentione fit intus dijudicatio. Quod si qvis cupit esse amantissimus Christi discipulus, oportet eum fugere qvantum possibile, cunctas Creaturas transitorias, in quibus deest respectus Dei, exceptis iis qvæ requiruntur ad hominis necessitatem, sic ut absq; ullâ ope Creaturarum se soli Deo dedicet. Consistit hæc fuga in abstractione à cunctis superfluis rebus & verbis, qvorum nulla necessitas est, ab omni externâ recreatione, distractione & familiaritate hominum, à vano cogitatu, atq; ideis rerum externarum & internarum, sic ut naturam suam nuspiam reperiat; hoc facto futurum est, ut Deus opus suum supernaturale pro placito suo expediat cum tali homine, eumq; insuper perfundat ardenti charitate & gratiâ divinâ; tunc facilè cognoscit homo qvalemcunq; divinam differentiam. Ecqvis enim ignoret, dum seipsum intus observat seriò, qvàm facilè possit à seipso intelligere, qvaliter res atq; opera qvædam externa non necessaria sæpenumerò inferant animo cæcitatem, ità ut nequeat rectè observare divinam inspirationem, qvamvis ea opera

opera in se mala non sint, qvin & qvandoq; ex insigni charitate fiant. nihilominus id non est optimum, proximum & perfectissimum? Dominus namq; noster Jesus Christus laudabat Mariam propter abstractionem, qvà dicebat eam elegisse partem optimam, econtrà corripiebat Martham eapropter, qvod nimis sollicita erat de instituendo curioso Ministerio, qvo Domino ejusq; discipulis rectè serviret ex devotione & charitate flagranti, id qvod aliàs erat justum & decens. Exin addiscere possumus, qvod si ad nostrum solatium desideramus utilem doctrinam, veram, perfectam distinctionem rerum tàm corporalium qvàm spiritualium nobis necessariarum à Deo obtinere, est nobis summè necessaria totalis abrenunciatio rerum non necessariarum, sivè modos attineant sivè conversationem, sivè verba, facta, imò qvæcunq; sphæræ necessitatis non includuntur; eam enim distinctionem Deus & propria conscientia sæpè intus docet.

Q. Dic qvid hoc loco sivè in sensu spirituali est id unum qvod præ cæteris est necessarium? R. Hoc loco est nobis summè necessarium, ut singulari studio fugiamus cunctas personas, qvæ rebus externis tanqvàm mediis fucum obtendentibus nos nimium possunt afficere, colorare ac difformare qvam sancti etiam sint vel videantur, qvatenùs hi non sunt nostri veri Amici probatæ scilicet divinæ fidei, Deus autem nuspiam magis perfectè ac fructuosè, imò veraciter invenitur qvàm in abstractione, simplicitate & unione, prout legimus de Matre Domini nostri, Johanne Baptistâ, M. Magdalenâ & pluribus aliis sanctis & Patribus, qvod omnes illi deperierunt mundum, conversationem, curas & affectum Creaturarum, conferendo se in loca deserta aut abstractissima. Qvin extrà dubium est, multam conversationem, familiaritatem, externa colloqvia & non necessaria comercia acquirere malam aut pertæsam canitiem, esseq; id qvo Deus expellitur, utcunq; bona sit intentio. qvod facilè potest cognosci per conseqventiam hanc, nimirùm, si corda sunt plena Creaturis aut inutilibus alienis Ideis, sequitur, Deum

Deum intrare in ea non posse. Quemadmodum in vas impuro cinere aut sordidâ quâdam fæce impletum non potest infundi Merum aut saporosus alius liquor; ità in veritate dicendum est, quod quò se vertat quispiam, non invenitur aliud qvàm falsitas, perfidia, & inquies in cunctis rebus externis, corporalibus & personalibus. Sic ubi vel maximè putamus magnum conquirere solatium, perdimus internum, dehinc & pace cordis privamur, qvam longo tempore vix comparavimus per abstractionem: internam hanc turbulentiam promeremur nobis non necessariis rebus, verbis superfluis, temporis prodigalitate &c. Undè Cor pariter cum Charitate obrigescit, mox sequitur morsus conscientiæ, undè homo posteà facilè ad impatientiam animiq; vehementiam (iram) commovetur. Hæc si quis sedulò perpenderet subitò deprehenderet, quàm nuspiam reperiat pacem, solatium vel gaudium perfectum præterquàm in Deo, idq; tunc invenit, cùm toto corde se convertit expectando Deum longanimiter ad exemplum sanctorum Patrum & Prophetarum V. T. qvi ejus adventum expectârunt patientissimè.

Q. Siccinè censes, si Patres expectârunt, nos tantò magis obligari ad expectationem Dei, cùm abscondendo se solatium suum & suavitatem, qvâ prorsus indigni sumus, ad tempus subtrahit? R. Imò hoc ipsum dixi esse summè necessarium, cùm Deus taliter se versus nos gerat, qualiter videt id nobis bonum ac utile esse, ut scilicet Charitatem ac desiderium nostrum perfectius accendat, alliciat & trahat. Nam Charitas & Misericordia ejus obstat, quominus velit ac possit nobis subtrahere ea omnia quæ tùm ad necessitatem tùm ad Utilitatem nostram faciunt corporaliter & spiritualiter, quoad ei dubio procul defectus nostri qvàm optimè constant. Nos autem (quod valdè dolendum est) tàm miseri sumus, stupidi & amentes, quà sæpenumerò qvàm minimis rebus nosipsos negligimus, insuperq; cum magno nostro dispendio impedimus, ut cùm putamus nos Deo placere ejusq; laudem exaltare verboso apparatu

aut ſtylo emphatico, ſecùs quàm Chriſtus fecit, ejusq; chari diſcipuli, qvorum ſermo erat brevis & ſimplex, aut etiam cùm putamus in gratiâ Dei nos proximè ad perfectionem pervenire mediante exceſſivâ ſollicitudine injuſtavè temporis deperditione, aut demum cùm putamus è re eſſe, ſi aucto commercio plurimùm negotiamur cum creaturis mortalibus (qvàm ſanctæ etiam ſint vel videantur) contrà qvàm conſtat, qvaliter ſuaviſſima figura Domini noſtri Jeſu Chriſti ejusq; fidelis, paterna & fructuoſa præſentia fuerit impedimento chariſſimis ejus Diſcipulis ſicut ipſe Chriſtus dixerit: niſi ſecedam à vobis, Spiritus Joh. 16.
S. non veniet ad vos: deniq; aut cùm putamus multa nos poſſe poſſidere ſine damno ſpirituali cum delectatione & appropriatione, ſivè ſint bona temporalia, ſivè conſortia, cognati, amici vel ſeculares vel ſpirituales &c. & ſimul in gratiâ & charitate Dei manere poſſe, cùm tamen ipſe Chriſtus contemtui habitus, miſer & pauper fuerit, imò dixerit: omnis qvi reliqverit do- Matth. 19.
mum, Fratres aut Sorores, aut Patrem, aut Uxorem, aut Filios, aut Agros propter nomen meum, centuplum accipiet & Vitam æternam poſſidebit. Et alibi: ſi quis venit ad me, & non odit Luc. 14.
Patrem ſuum & Matrem & Uxorem & Filios & Fratres & Sorores, adhuc autem & Animam ſuam, non poteſt meus eſſe Diſcipulus. Qvodſi hæc Dominus dixit, convenit nobis ea doctrinæ Chriſti Verba conſiderare penitius; qvo facto cognoſcimus, qvàm tota noſtra Vita injuſta ſit, & qvod non ità eſt prout putamus. Qvodſi verò hujus doctrinæ reſpectu debemus aſſeqvi divinam pacem divinamvè Unionem, rejiciatur opus eſt omne temporale ſolatium, commoditas, ſimul atq; id omne qvod juſtam excedit neceſſitatem, ſivè ſit corporale ſivè ſpirituale, in qvantum poteſt eſſe in modo ordinato medium colorativum (deformativum), qvoniam Dominus ipſe vult eſſe ſolus hoſpes (Patronus) in animâ noſtrâ absq; ullo conſortio, utpotè qvod divina teneritudo non tolerat ſecum imparitatem ullam, paritatem autem ipſa non habet.

Q. Cùm hîc diverſâ diſtinctione opus ſit, cujus non eſt homo

mo usq; gnarus, dic qvid sub hâc difficultate sit faciendum? R. Glorificanda est mors Domini nostri Jesu Christi, & magnificandum venerabile ejus meritum, deindè considerandum est breve rapidumvè tempus miseræ hujus Vitæ, uti & infinita fraudulentia infidi, fallentis & malè solventis mundi, qvàm sit periculosum hoc tempore conversari cum unoqvoq; tùm spirituali tùm seculari, qvàm breve sit tempus nostræ peregrinationis habens insuper qvotidianam mortis expectationem: deniq; & sedulò est observandum cordis penetrale atq; divinus instinctus, qvoniam sic est futurum, ut à Deo edoctus homo plus discat distinctionis divinæ in unâ horâ qvàm qvod fieri posset à cunctis hominibus in mille annis. Propterea hîc tantum monendum videtur fore, ut qvilibet pretiosum hoc breve tempus sapienter ac fructuosè impendat, nè qvà Creatura ulla, cujus non est mera intentio ad Deum, impediat aut fallat adusq; Salutis neglectum. Quantum enim jacturæ qvis patitur boni temporalis, tantum posset iterùm recuperari, qvod & ipsum non prodest aliqvò præterqvàm ad brevem hanc Vitam; ast in prænobili pretioso hoc tempore qvàm leviter etiam vel unicam horam deperimus aut inutiliter transigimus, eam non possumus in æternum repetere, præter id, qvod pro eo tempore debemus in æternum carere infinitâ mercede ac lætitiâ, qvam promereri potuissemus interim. Hinc metuendum est, qvin non tàm benè cessurũ sit iis, qvi Creaturis caducis nimium adhærent, nimiumvè externa non necessaria curant nova semper vel inqvirendo vel audiendo, vel proferendo: nam tametsi Deus per suam immensam misericordiam custodit nos à peccatis enormibus; nihilosecius ob infructuosam eam externam deformationem relinqvit nos in frigida, irrationabili, insensatâ Cæcitate, quæ vetat ne progrediendo contendamus ad proximam nostram perfectionem, præter id quod eapropter summum Cruciatum debemus pati adinstar stupidi asini, qvi nullum alium modum aut cantilenam discit præter ruditum, suetumvè suum passum, quivè præterea solatium aut dulcedinem aliam nullam

nullam deguſtat præterquàm inſipidum aculeatum Carduum, ut taceam multa dira Verbera & contemtum, quæ debet immeritò pati. Profectò ſi quà nollemus ſolùm propter Deum & propter noſtram ſalutem abſtrahere nos ab omni externo nexu & deformatione, deceret id facere propter cordis pacem, quam indè pro tempore obtinemus, quatenus taliter præſervamur à multiplici internâ immeritâ preſſurâ & cruciatu, quamvis hæc ſumma noſtra intentio eſſe non debeat. Conſtat enim de iis, qui cuncta quæ vident & audiunt, convellendo, diſputando judicant, excuſando quoq; ſemper vincere, nunquàm cedere volunt, quàm inqvieti reddantur nacti dehinc turbatum infructuoſum animum, quo ſe emaciant ipſos, etiamſi totus mundus datâ pace iisdem nihil adverſi obmitteret. Econtrà ſi ſoli Deo res noſtras ſpirituales & Corporales committeremus in verâ fiduciâ relinquendo ei regimen ſupernos juxtà ſuum beneplacitum, non poſſet fieri, qvin veram pacem obtineamus.

Q. Cùm Creaturarum deſertio aliàs quoq; nominetur Exitus è mundo & à ſe ipſo: dic quid porrò habes de exitu hoc, ſi ei exeundum eſt in Veritate, qui Dei Regnum requirit? R. In præparatione hominis credentis hæc prima lectio eſt, quam nemo præterire debet, utut eam horreat. Nam opus Dei ad conſtituendum ſuum Regnum non poteſt peragi in homine, qvi non exivit. Cùm autem id peragi neqveat, hoc ipſo conſtat, quàm ſit veraciter dictum: exeundum eſt. Oportet exire, redditum eſt alibi per voces, exuite hominem antiqvum.

Q. Cùm exitus hic ſit ſic intelligendus, ut undè qvis exivit non liceat eò reverti, id omne ergò qvod qvis poſſedit, ſub exitum hunc ſit deſerendum, qværitur, qvænam ſint poſſeſſa hominis bona, qvæ exitus reſpicit atq; deſertio? R. Sunt arbitrium & commodum proprium: hæc linqvere, ab his exire oportet ac aliorſum ire ad qværendum ſolum Deum, qvi in priſtinâ manſione non reperitur.

Q. Dic ergò, qvaliter Deus qværendus ſit & ubi inveniendus? R. Deus quæritur nonniſi per regulam Vitæ, & invenitur in deſiderio gloriæ ejus.

 Q. Ec-

Digitized by Google

Q. Ecquis tractat hæc duo serio vel docendo vel observando? R. Tractentur vel non tractentur, hoc ipsum ab omni mendaciorum involucro remotum est, quia breve & captu facile: nam scriptum est, qui quærit invenit: ergo & hoc verum est, qvi non qværit, non invenit. Prius est qværere, posterius invenire. Quis enim est, qvi Deum verè amet in vitâ improbâ, qvâ Deus vel maximè dehonestatur? Frustrà sic orat qvotidiè (adveniat Regnum tuum) qvisqvis caret regulâ, qvâ Deum quærat, gnomone quo eum inveniat.

Q. Annon hinc seqvitur, majorem operam esse adhibendam in adinveniendâ Beatitudine, qvàm in comparandâ statûs felicitate? R. Nec de hoc dubitandum est: ad quid enim dictum esser, scrutamini, quærite, si sine labore posset acquiri, qvod æternaliter beatum est? Quin & consensum suppeditat ratio è consequentiâ comparationis, nimirùm: si transitoria felicitas tantam reqvirit industriam, qvò acquiratur, qvid postulabit beatitudo, qvæ est æternâ? Adstipulatur huic Scriptura, cùm eum conatum comparat cursui & conflictui, hinc opus est, ut homo ab initio scrutando seipsum observet, & sicubi invenerit se sivè in Carne, Naturâ sivè in Spiritu, inventum hoc est commodũ proprium, qvod exstirpare debet, quoniam hæc inventorum rejectio est exitus præfatus. Quod si Deus advenire debet ad operandum opus suum in homine, oportet linquere multiplicitatem, qvæ Unitati adversa est qvocunq; etiam ea referatur sivè ad homines, ad mundum, sivè ad Corpus, ad Spiritum: id omne quod est creatum à Deo extrà hominem, tùm & id omne quod ab animâ creatur in homine idealiter, deserat animus necessum est. Non sine ingenti labore est Exitus hic, cùm hominem, ut se cum propriis actionibus exuperet, oporteat spretis potentiis ipsam naturam perfringere, hoc est, duros naturæ mores, consuetudines, & omne id, cui mens adhæret, vel à qvo potissimum impeditur, abjicere.

Q. Cur tanta cura (diligentia) requiritur pro exstirpando eo, ad qvod natura vel maximè inclinat? R. Causa hujus reqvisiti

est

eſt mutabilitas hominis, tùm & periculum ab ejus neglectu dependens, cùm ſit futurum, ut neglecto eo labatur homo in abyſſum & perdat omnem operam tunc qvoq;, cùm ſe tutisſimum opinatur.

Q. Dic nunc, an Exitus hic ſit ſitus in poteſtate hominis? R. Situs eſt in eâ poteſtate, qvæ homini eſt de naturâ nimirùm in voluntate (uti docent ſapientes) ab intellectu eò impulsâ. Modus qvo id fit, talis eſt: qvamprimùm intellectus cognoſcit aliqvid, dijudicat ratiocinando, an bonum ſit necnè: ſi bonam rem invenerit, accurrit Voluntas, ut bono poſſeſſo reqvieſcat deſuper, ubi autem eſt conſenſus Intellectûs & Voluntatis qvies, ibi qvoq; amor eſt.

Q. Quid ſi homo qvid amat extrà ſe amore tali, qvo non tàm amat impensè aliudqvid, dic qvaliter ſe gerit iſta affectio? R. Ità ſe gerit, ut hominem bonitate objecti illectum cogat exire, ſuaq; bona interna & externa qvæ poſſidet, imò ſeipſum totum transportare vel applicatum vel collatum rei adamatæ.

Q. Cùm indè appareat amoris ſinceritas, dic qvaliter ſe gerit homo circà rem, qvam non ſinceré (integrè) amat? R. Cùm amor ejus falſus ſit quia non niſi appetentia optimæ rei particulæ, non exit extrà ſe neq; transportat foràs aliqvid, ne dicam totum qvod eſt & habet, ſed qvod adhuc deterius eſt, quærit modum, qvo bonum particulare ad ſe raptum proprium ſibi efficiat ſpreto integro.

Q. Quænam eſt hujus aſſerti applicatio? R. Pari modo & illi vergunt in ſeipſos, qvi Bonum qvod in Deo & Creaturis cognoſcunt, tanqvàm qvid utile appetunt atq; in proprium commodum vertunt, idcircò cùm amor eorum ſit falſus, non exeunt à ſeipſis transportatum ac oblatum ſummo Bono cuncta ſua qvæ poſſident bona, qvaliter qvidem facerent, ſi id ſincerè amarent ſuper omnia. Sic omnis eorum amor ſeu qvantulumcunq; ergà Deum deſiderium nullius pretii eſt, eoq; neqvicqvam boni conqvirens, qvia eſt ſolum deſiderium beatitudinis, qvà ſibi comoda, non item dilectio Dei, qvà Deo glorioſa.

Gggg 3 Q. Qua-

Digitized by Google

Q. Qualis ergò eſt verus Exitus? R. Verus Exitus talis eſt, ut, qvantum in homine eſt, ametur ſolus Deus, tùm & ejusdem gloria quæratur ſine ullo reſpectu ſuavitatis, utilitatis vel meriti, ſic ut qvicqvid interim agitur, non ſibi ſed Deo agatur, etiamſi in æternum nullâ mercede compenſentur.

Q. Annon ſic Veritatem dicunt, qvi docent opera bona non eſſe meritoria, non digna mercede? R. Non dicere eos veritatem ipſa Scriptura teſtatur, cùm bona opera qvæ per Deum ſunt & in Deo dicuntur facta, promisſionem habeant meritiatq; mercedis, id qvod Eccleſia S. hucusq; ſemper credidit & credere debuit: id autem qvod negligitur, notandum erat, nimirùm hanc ipſam cognitionem meriti ac mercedis debere eſſe tectam ac ſine gloriatione, imò etiam ſine ullo reſpectu vel ideò, qvod meritum factorum, imò ipſum Opus bonum non ſimpliciter proveniat ex homine ſed ex promisſionis gratiâ primordialiter. Sivè ergò Deus mercedem redderet ſivè non, perindè debet eſſe homini, ne in reſpectu Dei reſpiciat unà mercedem: eſt enim Deus gratis amandus, qvemadmodum & Deus gratis amavit, & ſalvavit genus humanum. In hâc Charitate non eſt timor ullus, cùm timor tantùm ſit, ubi qvis commodum quærit proprium, mercedem aut gloriam, ubì verò nihil eorum quæritur, propellitur timor omnis, qvia Charitas hæc ſincera eſt.

Q. Quomodò impertitur merces ei, qui gratis amat & operatur? R Obſervet (qui vult) etiam in minimis mercedem qvam Deus reddit operibus, attamen id fiat ſinè jactantiâ neceſſum eſt. Nam ſæpeſæpius compertum eſt in eâ obſervatione, ſi qvædam gloriatio ſupervenerit, ſeqvutam eſſe mercedem pœnalem, adeoq; non boni Operis, ſed vel internæ complacentiæ vel jactantiæ pænam: hoc autem caſtigationis modo facilè corrigitur attentus homo. Alioqvin ſi qvis modo debito obſervat Dei opera, reperiet, Deum cuncta ea, qvæ homo ad Laudem Dei confert, ſivè gloriam ſivè commodum qvoddam, ſuo rurſus tempore convertere ad hominem, conferendo ſcilicet ei qvaſi mercedem decuplo vel centuplo fœnore, prout minus & minus homo ſuum proprium quæſivit.

Q. An etiam homini è suâ proprietate exeunti convenit deserere quævis opera, exercitationes, cogitationes, meditationes, orationes, gratiarum actiones &c. cùm nequeat dici vacuus, qvi præfatarum Idearum plenus est, an verò per cunctarum Idearum evacuationem futurum sit, ut aliquis negligat laudatas in scripturis ac demandatas commemorationes, puta operum Creationis, remissionis peccatorum, beatitudinis, beneficiorũ corporalium ac spiritualium, Nativitatis Christi, circumcisionis & passionis, imò & vitæ, morum & exempli ejusdem? R. Unum est faciendum, alterum verò non intermittendum: videndum autem semper est, ut id quod est nobilius, in praxi habeatur diutius. Nobilior autem est evacuatio imaginatione, qvia hæc ad exercitium pertinet, illa ad aliquam perfectionem. Exercitium est medium imperfecti, qvod ad perfectionem provehit, hinc comparatur ambulationi, qvæ est promotio Corporis per passûs facta in Viâ ad ipsum scopum perducente. Internum pariter & externum Exercitium est valdè bonum, & hinc mandato injunctum, utpotè quod inservit ad excitandam charitatem & gratitudinem, & propter bonarum Idearũ abundantiam non datur locus Ideis pravis, undè fit, quod eo tempore qvis careat peccato. Verùm hæc omnia sunt adhuc minora: oportet autem nunqvàm persistere in otio, cùm semper jubeamur progredi in bono, qvò ad id qvod melius est, pertingamus, ideò dicit Paulus: ambulandum esse in fide, qvo qvidem nil aliud voluit intellectum, nisi qvod deceat tamdiu ambulare, donec perveniamus ad ipsam perceptionem fidei sitam in ipsâ plenariâ perfusione luminosæ essentialis Veritatis; hæc autem perfecta illuminatio haudqvaqvàm fieri potest sine prædictâ evacuatione. Ast ubi evacuatio est, non potest esse repletio: indè apparet Ideas etiam optimas oportere cedere saltem tunc, cùm fundum quod est illuminandum, evacuatur aptumvè redditur recipiendæ lucis divinæ. Gal. 2. 1 Tim. 2.

Q. Estnè hæc evacuatio sine suspicione tàm contemtûs qvàm obauditionis passionis dominicæ? R. Et potest & debet esse: imò

Digitized by Google

imò si qvis est, qvi cuncta ea beneficia summâ agnoscit gratitudine, oportet eum junctim ea amorosè considerare sine imaginatione, siquidem id facere possunt benè exercitati. Ut enim picturam diversi diversimodè considerant, quam tamen peritus artifex uno obtutu totam recognoscit; ità & beneficia dominica multi venerantur diversâ consideratione, unus qvidem longâ, qvia seriatim, alter brevi, exercitatus autem collectivè contemplatur cuncta in uno, quæ contemplatio nobilissima est, quia simplicissima. Convenit autem linquere multiplicitatem, qvoniam omnium maxima gratitudo hæc est, evacuare seipsum, qvò magis Deus suum summum opus perficere, tùm etiam homini suam Voluntatem & omne bonum, semetipsum scilicet exhibere queat. Remotis enim diversitatum obstaculis, majorem qvis Deo reddit gratitudinem, qvàm si in corde suo separatim recenseat singula unum post alterum beneficia: nam qvi sic faciunt, distrahunt animum rerum multiplicitate, seq; taliter impediunt, confundunt, & imaginationibus erroneis illaqueant. Expedit etiam sibi contemplandũ præfigere, tùm notissimum tùm utilissimum qvod ei occurrit, siqvidem id Deo gratissimũ est & gloriosissimum, qvod restat non sit sollicitus, num qvid in suâ tranquillitate negligat necnè, dummodò se totum internè Deo tradiderit qvo opus divinum recipiat, sufficit, etiamsi & hoc opus Dei præ amore linqvat, nil perdit, qvin videt hinc Deum potius posthabere sua, modò ne homini intercipiatur tranquillitas.

Q. An igitur perperàm faciunt, qvi censent divinum Lumen per id, qvod imaginem sub meditatione Lucis æternæ in iis natam considerant, velut trahi ac deduci in Lumen eorum naturale, eoq; ad propriam actionem referri? R. Absurda est ea Opinio & noxia valdè, comprimis cùm sic divinũ Lumen præsumatur converti in creatum. Interest autem inverso modo linquere superiori potestati tractionem, qvo Lumen supernũ trahat infernum naturale in suam cōmunionem; eo quippè modo feliciter exit homo etiam à lumine suo propter amorem Dei, ut ambulet in lumine Dei. CAP.

CAP. IV.

De Tractione & attactu divino.

Q. Cùm in præcedenti Capite ostensum sit, qvaliter homo Vanitatem mundi fugere, seipsum qvoq; cum Creaturis deserere debeat, ut in tranquillitate & pace qveat expectare opus Domini, hoc autem soleat antecedere illuminatio, qvæ & ipsa propemodum observatur per modum tractionis, expediet proximè exponere, qvid sit nôscendum de tractione Dei, qvæ obvenit homini in tranquillitate expectanti. Quæritur ergò, qvænam sit brevior Via vel modus perveniendi ad eam tranqvillitatem & ad sum̃am veritatem, quæ usq; adeò in cognita mansit hactenùs iis, qvi ingrato labore gratis hæc otia quærunt? R. Cùm modus hic sit tractio occulta, mirùm non est, qvod steterit incognitus: nam qvomodò potest cognosci, qvod manifestum non est? Est autem hæc tractio triplex, iis qvidem communis & freqvens, qvi ad perfectam Veritatem pervenire qveunt, attamen (qvod sine pudore dici neqvit) rarissimè observata. Tractio primi modi est, cùm Deus vocat hominem, ut is mundana qvælibet cum mundo deserat; ast ut persentiat hanc tractionem opus est attentione & observatione assiduâ, qvæ itidem aliqvot modis constat, cùm sit necessum, ut

1. potestates Mentis regendo coordinent potentias sensitivæ sic ut homo seipsum noscere secumq; habitare discat observando Linguam suam, ne qvà verbis excipiat proximum aliter qvàm ipse cupit excipi.

2. Scrutetur motûs primos (internos) num hi à Deo causentur, an durent propter Deum, an promoveant ad Deum & finiantur in Deo necnè?

3. Observet suas cogitationes, ne vel inutiles vel pravas volenter imaginetur, volenter dico, cùm æq; minus possibile sit

citrà Voluntatem nil cogitare, qvàm nihil somniare. Id autem est necessarium, ut qvamprimum observat pravas Cogitationes, viriliter supprimat eas; secùs enim Voluntas accurrens (assensus) imponit reatum cogitationibus: qvod restat, si incidenter irruunt cogitationes non advertente nec consentiente animo, nil refert, nilvè nocet, qvin etiam bono homini affert Utilitatem promotionis, præparationis, agnitionis & emendationis.

4. Examinet opera sua, qvænam sit Causa qvis finis eorum, nam cùm operatur, nil aliud respicere debet qvàm solam divinam gloriam & hominum Salutem. Quisquis quadruplici hoc modo est præparatus, is verè dicitur à Deo tractus esse atq; è mundo evocatus, ut sit discipulus Christi: edoctus qvippe est externus ejus homo, qvaliter inverso modo pareat interno.

Q. Qualiter obstat huic tractioni cura temporalium, præprimis immoderata? R. Impedit qvominus reveletur Bonum summum; quoniam Dominus noster abscondit se ab iis, qvorum animus solicitè angitur à jacturâ rerum caducarum, sicut vicissim se manifestat his, qui animum à Creaturis avertunt & hactenùs Lumen immittunt, à qvo tracti redduntur apti Deum contemplandi.

Q. Cùm primi modi tractio sit tantùm incipientis ac neoconversi hominis, quæritur, qvænam secunda tractio sit? R. Tractio ea qvæ primam mox subseqvitur, fit mediante assiduâ contemplatione Imaginis Jesu Christi. Quodsi qvis primo modo tractus cupit progredi, necessum est trahatur in contemplationem Imaginis Christi, ad qvam si suaviter tractus est, observat in se comemorationem virtutum & operum, qvibus Dominus noster occupabatur, inter virtutes eas numeratur humilitas, & mansuetudo, amor fervens ergà amicos pariter & inimicos, stricta obedientia præstita in cunctis locis ac modis suæ vocationis, insignis Clementia & Beneficentia hominibus cunctis exhibita, paupertas qvoq; extrema, quam sustinere non recusavit is cujus Cœlum & Terra, adeò nil volens possidere pro-

prii

prii qvà proprii, modò dilecti Patris sui gloriam hominumq; salutem sic observaret. Nam nisi hæc omnia sic fecisset, inutile fuisset genus humanum simul ac totum qvod erat creatum, qvia Salute humanâ postpositâ non fuisset Deus glorificatus ab eo genere; qvod illo fine pulchrè & benè creatum, posteà perditum fuerat. Ista homo secundo modo tractus profundè semper meditatur.

Q. Nunqvid ergò hæc meditatio (commemoratio) sufficit, an restat quid faciendum, ut satisfiat vocationi tali? R. Id sanè restat, ut diligenter seipsum perspiciat scrutatus, qvàm sit dissimilis eidem Imagini, qvàm longè distet ab eâ perfectione, qvàm parvus adhuc sit ac merè Nihil: qvod restat, bonum ac utile se gerere juxtà Scripturæ & juxtà illuminati (divini) Viri consilium.

Q. Quid Utilitatis hauritur ab istâ contemplatione Imaginis Christi? R. Imensæ divitiæ capiuntur indè, nimirùm solatium & suavitas talis, qvâ vana mundi Voluptas & consolatio despectui habetur.

Hi duo tractionis modi sunt via brevior non omnibus nota, eoq; non trita ab omnibus, qvod Christianis propudiosum est, nimirùm non ambulare in viâ vulgari & antiqvâ, sed potius in peregrinâ & periculosâ vel ideò qvia latâ, cùm tamen & hi qvi in præfatâ breviori Viâ ambulant, adhuc à proximâ & brevissimâ Veritatis Viâ longius decurrant. Hi sæpesæpius in suâ Viâ currunt concitatius eo fine ut acquirant, hactenùs autem seipsos possident sub sponsione certitudinis, qvapropter utut utrumq; modum sanctè observant, non tamen perseverant obstante tentatione, qvin potius fugâ se eripiunt abjectâ supellectile.

Q. Si hæc modorum observantia bona & sancta est, quæritur, quamdiu sit persistendum in tali exercitatione? R. Tamdiu, donec benignus Dominus trahat propius, qvod si per vitam non traxerit ultrò, esto, nullatenùs tamen ea est intermittenda. Quamprimùm autem observat tertiam tractionem, confestim

Digitized by Google

se dedat Domino sine consilio & sine cogitatu, hoc est, sine modo & sine ideali conceptu sic ut Dominum patiatur operari secum liberè tanqvàm cum proprio organo.

Q. An etiam sic observatur gloria Dei? R. Quin etiam; imò ad majorem Dei gloriam cedit, si qvis pauxillo tempore sic Deo redditus manserit, qvàm si permultis annis juxtà priores duos modos se exercuerit.

Q. Quonàm ergò est Christiani hominis diligentia impendenda? R. Eò, ut ordinem ac instituta Dei advertat, eoq; præfatos modos juxtà ordinem sivè eam qvâ seqvuntur seriem tractet, ne quà modorum confusione seipsum impediat.

Q. Indica nunc etiam viam brevissimam, quæ est paucissimis cògnita & trita? R. Ea est tractio tertia, quà scilicet S. Spiritus
1.Cor.2. homini datur, qvà etiam panditur janua ad cœlestia Mysteriorũ atria, ubi nuda veritas est & perfectio, tantaq; divitiarum multitudo, qvam oculus non vidit, auris non audivit, & in Cor hominis non venit, nec linguis hominum exprimi potest.

Q. Qualiter autem fit hæc magna revelatio? R. Nonnunqvàm fit per modum tractionis, qvandoq; per modum resignationis: Verùm hoc obiter nôsse expedit, impossibile esse, ut qvis ad summam hujus Vitæ perfectionem pertingat, nisi externus homo conversus sit in internum.

Q. Cur autem summam dicis perfectionem, si hujus Vitæ perfectio est imperfectio? R. Cùm suos comparationis gradus habeat mortalium perfectio, hinc meritò per adjectam voculam (summa) intelligendus datur gradus summus seu ea perfectio, quâ in caducâ vitâ superior nulla est nec esse potest, & hactenùs dictio hæc nihil præjudicat perfectioni cœlesti, cujus respectu mortalis perfectio est imperfecta sivè longè inferior si comparetur. Idcircò etiam mortalis perfectio meritò vocatur summa cum discretione, ubi totus homo possidetur à Deo, ubi divitiæ revelantur admirandæ, quæ verbis nequeunt describi, imò quas natura humana nonnisi ad pauca momenta sustinere potest. O quàm imperfecta est natura, quæ vix illuminationem

nationem poteſt tolerare, vix ſuſtinere obtutum! perfectum eſt quod revelatur, perfectè perfectum conſpicitur; ſed eheu! momentaneus eſt ejus aſpectus, quod pro naturæ beneficio ocyus rapitur: hæc alternatio eſt imperfectio ſeu perfecti deſertio. Hæc Vita æterna eſt nonniſi mortem ſubſequens, dehinc ſubſumitur, mortem varimodè tùm extus tùm intus præoccupare hominem prius, quàm Vitæ æternæ revelatione beatur, nec hora nec dies nec annus ſufficit pro impetrandâ hâc revelatione, qvia cuncta ſuo tempore; ſed huc reqviritur ſimplicitas, ſinceritas & demisſio.

Q. Quid per trinarium hunc tractionis (exercitationis) modum efficitur in homine? R. Verâ Spiritûs & Corporis puritas, cujus causâ Dominus beatum prædicat hominem, cùm inquit: **Beati mundo corde, qvia Deum videbunt. Ecqvid enim Deo eſt amabilius & acceptius puro corde?**

Q. Dic qvibus Verbis poteſt ritè deſcribi Cor purum? R. Cor purum eſt ac dicitur ſedes prænobilis atq; ornata habitatio Spiritûs S., Templum Deitatis aureum, oratorium Filii Dei, in qvo adorat Patrem ſuum, altare ſummi ſacrificii, ubi Filius Patri ſuo offertur quotidiè; dicitur qvoq; cor purum Tribunal ſupremi Judicis, Cubiculum SS. Trinitatis, lucerna æterni luminis, Curia divinarum Perſonarum, Gazophylacium divitiarũ æternarum, Schola æternæ Sapientiæ, Archivum Myſteriorum Dei, compenſatio vitæ & pasſionis Chriſti, Nurus cœleſtis Patris, Sponſa Chriſti, Amicus Spiritûs S., deliciæ omnium ſanctorum, ſoror Angelorum, deſiderium & expectatio cœleſtis exercitûs, frater omnium piorum, abominatio malignorum Spirituum, victoria tentationum, ſcutum ſagittarum ludibrium, ſummi Boni receptaculum, Theſaurus virtutum, Exemplar luminoſum, deperditarum rerum reproductivum organum.

Q. Quinam autem ſunt quorum Cor meritò dicitur purum? R. Sunt hi, qvibus Dei gratia ſufficit, qvos præter Deum delectat nihil, qvorum animus defixus in Deo eſt ſemper eoq; abſtra-

ctus à cunctis rebus, qvarum Deus vera causa non est, qvi, qvantum in iis, carent imaginationibus, hoc est, Ideis peregrinis affectionum, cupidinis, angoris, sollicitudinis, omnisq; generis curarum, qui deniq; omnia non secundum morem hodiernum in malam, sed secundum morem antiqvum, in bonam partem vertunt: Neq; enim frustrà scriptum est, mundis esse omnia munda, sic etiam mansuetis & humilibus nil est amarum, offensivum & odiosum.

Q. Ad tractum redeundo, cùm sit necessum, ut trahat Deus hominem juxtà illud Christi: Nemo venit ad me, nisi Pater, qvi misit me, traxerit illum: Tractio verò hominis per Deum facta videatur quodammodò excludere liberum arbitrium, qværitur, num Deus trahat omnes in Universum homines uno modo? R. Si Deus traheret omnes uno modo, aut tolleretur liberum arbitrium, aut homo culpæ excideret: cùm autem tractio fiat juxtà proportionem arbitrii, desiderii & obseqvutionis humanæ, hinc uno modo fieri neqvit, sed modis diversis.

Joh. 6.

Q. Qvot modis perficitur ea tractio? R. Assignati sunt qvidem antecedenter tres modi, sed isti fuerunt singulares partim ex parte hominis, partim ex parte Dei, qvia per medium Luminis divini, hîc autem ad tuam qvæstionem sunt etiam assignandi alii tres modi, qvi sunt communes & tantùm in genere observati, præter quos benignus Dominus sibi reservat 6. alios modos, qvibus trahere solet, qvos sibi elegit esse charissimos; exemplum eorum exhibent Christi discipuli.

Q. De tribus modis vulgaribus quæ habes tradito? R. Tractio primi modi fit per Creaturas, per qvas seipsum Deus præbet cognoscendum in lumine creato animarum, id qvod S. Paulus indicat dicens: qvod ethnici è creaturis Deum cognoscere & revereri debuerunt. Ista autem tractio per Creaturas est saltem nutus & cunctatio Dei.

Secundi modi tractio fit mediante alloquio animæ, ut cùm æterna veritas occulto modo se objicit animæ, quæ hoc & non alio modo cognoscit & amplectitur veritatem, prout ait S. Augustinus,

ſtinus, qvod qvantum gentiles de rebus veris eloqvuti ſunt, tantum perceperunt è regulis Dei æternis, nequaquàm verò è propriâ & naturali eorum indagine. Hoc ipſum confirmat S. Ambroſius, cùm dicit, Veritatem omnem provenire à Spiritu S. à quocunq; demum ea ſit prolata. Itaq; cùm anima ſe in ſua penetralia quodammodò receperit, conſtat non rarò fieri, qvin Veritas æterna ſe perceptibili modo animæ objiciat, qvaliter id nonnunqvàm in ſomno matutino obſervamus. Hic tractus duplex eſt, quà partim per blanditiem fit, partim per objurgationem, eſtq; vel maximè atq; in genere communis Chriſtianis.

Tertii modi tractio non fit ſuâ ſponte, ſed impetratur præviâ animæ præparatione, ut cùm homo ſuo arbitrio totaliter abrenunciando expectat, quid ſibi à Deo ſit affuturum, trahit clementisſimus Pater creatam hominis Voluntatem ſine perceptione reſiſtentiæ, atq; tunc fit, qvod Deus hominem ſeqvitur ubiq; & tanqvàm ſingulari cum beneplacito compellit: hanc tractionem (qvam adunationem ſeu complexum nominare liceat) habet homo ab eo Bono ſummo, qvod Cœlum, Terram omnesq; Creaturas condidit, quod propter hominem ſe inſuper humiliavit in mortem usq;. Aſt qvà homo magis Deo placet qvàm univerſus ornatus Cœli & Terræ, ſicut ſcriptum eſt: quod Deo placet eſſe inter homines, indè venit, qvod eos quæſitos hortetur in cunctis rebus. Prov. 8. Verùm hâc ſingulari tractione trahit Deus electos ſuos chariſſimos Amicos, cujus exemplum præbuerunt Diſcipuli, qvos Chriſtus ad hanc tractionem præparabat verſo ad eos vultu ſuo benigno, inversâq; eorum voluntate mediantibus plurimis paſſionibus. Quoad autem hi qvalemcunq; divinæ præparationis actionem tolerabant ſinè repugnatione, factum eſt hoc, ut ultimatim ad eam tractionem (qvæ ſextuplex eſt) pervenerint in perfectione, prout paulò poſt probabitur.

Q. Cùm tractio hæc ſit tàm excellens, dic cur De⁹ non etiam me vel alios, prout olim Apoſtolos, præparat ad eam, ne ſubſeqventer

ter sic trahit? R. Duæ hujus tractûs assignantur causæ, qvarum

1. est libera Dei Voluntas, quà tantùm qvosdam homines eligit, qui sibi sint secreti & acceptissimi, ad eum ferè modum, quo Reges adserviendum quosdam adsciscunt, qui aulico amictu induuntur, alios verò liberè eligunt, qui sint iisdem à consiliis Secretis. Hoc qvoad increatam potestatem liberi arbitrii, quod Dei est; verùm qvo ad potestatem creatam liberi arbitrii, qvod hominis est, in eâ sita est causa.

2. nimirum quod homo unus præ alio plusminus præparationi divinæ auscultat, unus præ alio magis inhæret divino alloqvio, vocationem & tractionem Dei avidius observat, eoq; præ cæteris longè majori sedulitate conatur defectus deponere, impedimenta removere &c. & hinc (qvod probè notandum) fit, ut unus præ alio magis, hoc est, juxtà mensuram conatûs trahatur.

Q. Ecquid habebant discipuli Christi præ aliis, quorum respectu Dominus eligebat eos seorsim in Amicos? R. Eorum præcellentia consistebat in eo, quod cordiali pœnitudine petebant remissionem pristinæ rudis ac ignorantiâ plenæ vitæ, qvod suavem doctrinam, sanctam vitam, mortem acerbissimam, immensam charitatem & resignationem Domini nostri sedulo revolvebant, seipsos deserendo & Deo offerendo, ad hæc qvod Voluntatem Dei continuò observabant in spe & expectatione, depositis cunctis mediis obstantibus, qvantum in iis erat, quod autem deerat eis, à Dei Virtute precabantur obtinendum. Horum omnium respectu tanqvàm causâ causante trahebantur singulariter, qvo modo etiam hodiè trahuntur, qvotqvot se sic exercent, qualiter discipuli se exercuerunt.

Q. Nondum videtur ad quæstionem satis responsum esse, Joh. 15. cùm obstet objectio, nimirùm, qvod ea omnia Discipuli non potuerunt propriis Viribus peragere, testimonio Christi dicentis: sine me nihil potestis: consequens hinc est, debuisse eos & voluntatem eorum trahi singulariter ad eas exercitationes? R. Verum

Verum sanè, imò verissimum est, nos nihil boni posse perficere sine primo illo seu communi influxu S. Spiritûs; sed & qvod seqvitur, æq; verum, imò verissimum est, nimirùm teneri hominem id qvod suum est, seu qvod pro virili potest, adjungere; cùm fieri possit, imò quod frequentissimè fit, ut homo volenter divino influxui resistat secùs qvàm divina Providentia est arbitrata, qvæ potius statuit non justificare hominem citrà liberam ejus (hominis) voluntatem. Hujus qvoq; lucidissimum exemplar potest desumi ab influentiâ luminis v.g. Oculi non vident in obscuro, præoccupati verò à lumine solari vel alio tùm oculos, tùm res objectas Clarificante, vident: & hinc ut videant oculi, non est in solâ potestate hominis situm, verùm etiam in cooperatione luminis. Sic & à parte luminis dicendum est, qvod sola præsentia luminis tametsi clarissimi non sufficit; qvò videat homo clausis vel obtectis oculis, qvin & reqviritur, ut oculos aperiat abjecto velamine, nam cæci nec lumen ipsum cernunt. Id potest hoc loco benè applicari, ubi datur occasio explicandi tractum discipulorum, de qvo superius dictum est, qvod non vulgaris sed singularis sit, qvanqvàm per plures vias fiat.

Q. Dic, quæso, juxtà ordinem, qvotuplici Viâ Deus non solùm traxerit suos discipulos, sed adhuc trahat suos Amicos? R. Sextuplici viâ traxit Deus discipulos, quarum ostensio causatur passim excursum, nihilominus cunctæ sunt juxtà ordinem evolvendæ: qvantum ergò ad

Primam Viam, notandum id est, quod cùm Pater æternus discipulos suos prævenit divino eos illucendo lumine, aperiebant discipuli oculos suos abjectis cunctis velamentis (mediis obscurantibus) in qvantum poterant: hinc operabatur Deus opus suum, id est, trahebat eos modo singulari ulterioris illuminationis, qvod ipsum facit Sol divinus, æternus Dei Filius, qvi corda hominum adhuc trahit obstaculis (velis tenebrarum) ab interno mentis oculo depulsis.

Secunda Via est, qvod Pater cœlestis traxit eos è vinculis

creaturarum temporalium eo fine, ut mediante hoc tract[illegible] potuerint pervenire ad veram resignationem. Ne autem [illegible] istis vinculis semel liberati in ea denuò inciderent, mittebat [illegible] per Filium suum doctrinam qvatuor regularum, qvæ fore[illegible] qvatuor columnæ Vitæ eorum.

Q. Cùm curiosis non sufficiat has regulas nominâsse, dic qv[illegible] so, qvales illæ sint, si qvà Curriculum Vitæ cuiqvam liceat jux[illegible] easdem iestituere? R. Apud Evangelistam scriptum invenimu[illegible]

Matth. 10. Non aurum, argentum, non pecuniam circumporteris n[illegible] loculum, non duas togas, non calceos nec baculum. &c. Qv[illegible] si qvis rectè consideret eam à temporalibus abstractionem, [illegible] veniet eam discipulis fuisse perqvàm necessariam, si unqvàm [illegible] Scholâ æterni Luminis receptos se cupiverint.

Q. Mira dicis: qvid ergò Schola sancti Spiritus habet in [illegible] R. Hæc Schola habet qvatuor proprietates, qvarum

1 est, qvod longissimè distet ab omni tempore, non sita sit [illegible] tertio Cœlo, & qvod omnes Cœlorum ordines atq; virtu[illegible] motrices superet, idq; omne qvod habet Symbolum durat[illegible]

2 est, qvod nequeat pati vel locum in se concedere ei, q[illegible] vel commune vel proprium sibi queat dici, ideoq; statim [illegible] turbet tale quid, si qvà in se deprehenderit.

3 est, qvod in seipsâ dimoratur, qvatenùs ibi nec ven[illegible] nec pluvia defectuũ reperitur, neq; ulla alia mutabilitatis cau[illegible]

4 est, quod clara est ipsa, pura & luminosa nec indiget Lu[illegible] Solis & Lunæ, qvarum aliàs proprium est oriri & occider[illegible] terramq; obscuritati reddere. Sol namq; æternus illumina[illegible] & clarificat eam incessanter.

Q. Siccine, qvà istæc Schola in quâ discipuli erudiendi er[illegible] longissimè distat à campo creaturarum temporalium, qvæ [illegible] miles sunt, angustæ, impuræ & inqvietæ, necessum er[illegible] eam trahi discipulos à compedibus rerum temporalium [illegible] tos? R. Omninò id erat necessum, qvia sicut dixit S. Hieron[illegible] mus, tàm impossibile est, ut Deus se demittat in tempus & [illegible] temporales, qvàm impossibile est lapidi habere angelicam [illegible] pientiam.

Q. Cu[illegible]

Q. Cùm Deus soleat homines abstrahere à Creaturis temporalibus, qvosdam mediante suavi perceptione, nonnullos verò mediante afflictione, quæritur adhuc, utro fune magis tracti fuerint Apostoli, num charitatis exhibitione, an calamitatis adjectione? R. Si quis eorum Vitam explorat, inveniet eos magis fuisse tractos durâ passione qvàm suavi affectione. Enimverò qvamdiu cum Christo ambulabant Apostoli, vivebant in mero contemtu & oppressione, post mortem etiam Salvatoris patiebantur ubiq; anxietates multas & magnas, priusqvàm tracti liberabantur à vinculis, qvanqvàm hoc ipsum non sine singulari amore Dei Patris factum fuerit: & certocertius est, tractum per passionem factum esse longè tutiorem, imò Christi vitæ ac passioni magis similem eo, qui fit per suavem affectionem, ut tacem qvod est acceptior juxtà dominicum dictum: quem amo castigo. Imò tametsi discipulos exhilarabat magna secretavè amicitia Domini, nihilominus gravia quævis antecedenter perferebant pro singulis donis sibi ipsis moriendo morte singulari, addo, qvamprimùm Deus unam iis abstulerat afflictionem, repentè iisdem miserat aliam nî graviorem, uti idipsum solet Deus facere suis intimis Amicis. Cognito hoc patiebantur discipuli omnia adusq; extremum, qvæ Deus passioni eorum destinaverat, donec tandem Luctus eorum convertebatur in gaudium ac desiderium mortis propter nomen Christi subeundæ. Apoc. 3.

Q. De tertiâ tractûs divini viâ qvid habes? R. Tertia Via est excussio Idearum. Nam Pater cœlestis Ideis orbatos volendo Apostolos trahebat eos ex involucris specierum corporalium, quas sibi de humanitate Christi reservaverant, hactenùs denudabat eorum animas sic, ut nihil minus gavisi fuerint de Idearum istarum simul ac omnium aliarum sequestratione, qvàm sub recenti eorum animæ Creatione factum fuisset, id quod intelligendum est, in quantum iis necessum erat, si doctrinæ qvicqvam è Scholâ S. Spiritûs reportare voluerint.

Q. Undè licet quod obscurè dicis, pernoscere clarius? R.

Quadruplex observatio reddit cognitionem lucid... quarum.

1 est, quod veritas & amor (quò tota doctrina Scholæ c... stis collimat, quod probè observandum est) non habent Id... imò nec extrà animam evagantur: quid quod Pictor etiam a... ficiosissimus nec Veritatem nec Charitatem potest ad pr... depingere, eâ solùm de causâ, qvod nulla reperiatur ea... Idea, sivè extrinsecùs sivè intrinsecùs: quin etiam si qua Idea p... diret ab amore, non verus tunc ibi amor esset, id quod & d... veritate sic est dicendum.

2. quod in cœlesti Scholâ non docetur mediantibus n... literarum, qvia nec ibi librorum apparatus est, qvatenùs cu... cta externa hæc sunt longè remotissima. Hìc enim verita... dicitur intus absq; Ideis, quæ & eatenùs, hoc est, defectu crea... tarum Idearum est & manet ineffabilis. Hoc ipsum observ... se humilem Franciscum ex eo colligendum est, qvod Frat... bus dissuadebat assiduam librorum lectionem, ignaris qu... literarum svadebat, ut tantùm super omnia ardenter desider... habere S. Spiritum puro corde flagitando sanctam ejus effic... ciam.

3. Quod ibi docetur Sapientia cum humilitate, sermo cum ... lentio, vita cum morte, scientia cum oblivione, cujus exe... plum S. præbet Johannes, qui cùm considerabat fontem æt... næ Sapientiæ, dormiebat. S. Paulus autem ignorabat, num fu... rit in Corpore tunc necnè, cùm trahebatur conspectum æte... nam Veritatem. Ad discipulos id applicando, opus e... privari eosdem cunctis Ideis, quò in præfatâ Scholâ potuer... erudiri.

4. Quod ubi locus datur & occasio specierum recipiendar... ibi quoq; tempus suppetat pro phantasiæ exercitio; secùs l... gè comparatum est cum Scholâ superni Spiritûs, in qu... tempus est aliquid, nec Idea efficit aliqvid: id autem qu... necessarium est, contactus quidam est, qvi fieri potest sine m... mento temporis.

Q. Cù

Q. Cùm S. Spiritus sit tàm mirabilis Doctor, ejusq; Schola tàm sublimis, ut nihil ejus possit per Ideas concipi (cogitari) da, quæso, exemplum secreti hujus contactûs tempus excludentis? R. Exempla mirabilis operationis hujus plura possent adduci; sufficiat autem loco exempli id qvod dici solet, nimirùm: Spiritus S. irruit in piscatorem & statim ex piscatore fit prædicator, tangit persequutorem & statim persequutor evadit Doctor, vocat Publicanum & confestim ex publicano fit Evangelista. Hinc observamus quàm Spiritus S. non doceat interstitio temporis mediante; verùm quamprimùm tangit, omne quod vult docuit. solus ergò contactus est consummata ejus doctrina, qvam cùm discipuli acqvirere cupiebant, evacuanda prius erat eorum anima atq; ab omnibus Ideis abstrahenda, sicut id præfatæ 4. positiones clarum reddunt.

Q. Nunquid discipulis in eo tractu qvo spoliabantur cunctis Ideis, obveniebat idem, quod S. Paulo in tertium Cœlum rapto, qui sicut & Moses in Monte Sinai Deum immediatè videbat? R. Id quidem factum non' est; siqvidem se noverant in Corpore existentes; nihilominus tamen corda eorum adeò in sublime trahebantur atq; per æternam veritatem illuminabantur, ut alii plusminus aliis perceperint de eo qvod Paulus in suo tractu perceperat.

Q. Cùm in doctrinâ tractionis divinæ ad quartum usq; tractum ventum sit, dic, quæso, etiam de eo qvid habes? R. Quarto modo trahebat Deus discipulos, qvemlibet è seipso, liberando eos à naturali sollicitudine, ex quo factum, ut, cùm internâ verâ pace liberâq; vacuitate fruebantur, cessaverint omnes anxietates, dolores & querelæ, qvibus aliàs valdoperè erant afflicti: in eo namq; tractu erat resignatio facta absoluta & ad supremum excellentiæ gradum indè provecta.

Q. Quò pertinebat autem hujusmodi tractio, qvæ supervacanea cuipiam videretur? R. Imò vel summè necessaria erat, cùm pertinebat eò, qvò Pater æternus imposterùm liberè suum beneplacitum potuerit in iis absolvere sine ullo impedimento,

qvale

qvale eſt aliàs reſiſtens Voluntas aut naturalis inclinatio. Nam ſi complacitum erat Domino præſidere in iis tanqvàm Magiſter ſuavis, liber, excellens & integer, à qvo diſcere debebant, alioſq; ſubſeqventer ſic informare, id quidem fieri non poterat, qvamdiu non erant miſſi in libertatem ſolûtâ captivitate internâ, ut quæ cum libertate, nobilitate, integritate & charitate ſimul ſtare nequit.

Q. Qvî factum, quod cunctis Ideis privati diſcipuli velut à ſeipſis prorſus abſcedentes in ſtatu naturali ſic permanſerint, ut quà pro naturæ defunctis haberi potuerint? R. Natura eorum non moriebatur hactenùs, quin potius erat magis talis ſub reſignatione eorum, quàm unquàm aliàs: nam determinatio naturalitatis qùaliſcunq; Creaturæ facta eſt juxtà quendam ordinem, qvi Domino naturæ placuit, & ideò habet Creatura naturam eam quam habet, hoc eſt, juxtà ordinationem divinam: contrà quam ſi quicquam ageret Creatura, faceret contrà naturam; hinc non erat contrà naturam, quod baculus Moſis converſus fuit in Serpentem & viciſſim, quia id factum fuerat juxtà ordinationem divinam: ſic quatenùs diſcipuli ſe totos mancipabant Voluntati divinæ, eatenùs reddebantur ſummè naturales, natura quippè eorum non exſpirabat in iis, quæ potius exaltata in ordinem rectiſsimum redigebatur; nonminus qvoq; Ideaſ habebant qvàm antecedenter, ſed acſi non habuiſſent: nam ab Ideis non patiebantur ſe moveri, quo ad ſe rurſus vel extra Deum ſe recipiendi cauſam accepiſſent. Proindè ſenſus ejus, qvod dictum eſt, diſcipulos fuiſſe privatos cunctis Ideis, clarior redditur ab exemplo Candelæ ardentis, quæ, ſi meridianæ ſolis Luci exponitur, non minus lumen ſuum effundit quàm in obſcuro; fruſtrà tamen lucet, quia lumen ejus cum lumine ſolis confunditur, majuſq; lumen minus in ſe ſic rapit, ne à ſeipſo luceat, ſed tantùm in majus diſpergatur. Hoc ad Ideas & ad naturam diſcipulorum comparativè relatum commonſtrat, qvod quicquid ſub exercitio eorum tunc operabantur, divini Luminis erat, quanquàm longè magis qvàm antecedenter naturales pleniq;

pleniq; Idearum erant, & ſic præfata privatio ſpectat ſtatum Idearum malè ordinatum.

Q. Siccinè usq; adeò erant perfecti diſcipuli, ut ultrò trahi nequiverint? R. Imò reſtabant adhuc duo modi, quibus trahi poterant, quorum prior in ordine ad reliquos eſt quintus, poſterior ſextus. Quinto modo trahebat Deus diſcipulos in ſeipſum mediante inſigni adunatione, ubi ſe tàm verè iis offerebat, qvàm verè Diſcipuli Deo ſe obtulerant, & tunc implebatur omne deſiderium non ſolùm diſcipulorum, verùm etiam divini beneplaciti nil Deo impoſterum volente ſine illis. Nec tantùm S. Spiritus divertebat ad eos, ſed unà etiam, Pater & Filius utpotè Deus indiviſus. Solùm hoc obſervandum venit hîc, quod quotiescunq; S. Spiritui tribuitur Charitas, ſicut Filio Sapientia, toties intelligenda ſit diſcretio perſonalis, hoc eſt, intuitu appropriationis conſiſtentis in vinculo Charitatis, aliàs nunqvàm & nusqvàm.

Q. Diſcipulis taliter à ſeipſis abſtractis Deoq; adunatis, qværitur, num Deus æqvaliter omnes in ſe traxerit, viciſsim qvoq; ſeipſum cunctis æqualiter reddiderit? R. Ex ipsâ converſione dimanare quandam diſtinctionem notandum eſt, quatenùs è diſcipulis, tametſi omnes deſeruerant ſeipſos, nihilominus unus præ alio ad Deum ſuaviori ſe & perfectiori deſiderio convertebat ad exemplum bonorum Angelorum, quorum unus præ altero amore ardentiori ad Deum ſe convertebant, quamvis omnes in ſtatu Sanctitatis permanſerant, & hinc Deus ſeipſum uni magis qvam alteri addicebat, qvod ipſum ex Hierarchiæ ordinibus patet. Par ratio, cur Deus diſcipulis ſuis ſe offerebat cum donis ſuis impari modo, videlicet, qvod omnium eorum converſio non erat uniformis. Exemplum qvoddam elucet ex hiſtoriâ S. Petri & S. Johannis, qvi, qvòd profundiori amore Deum aſpexerant, viciſſim donis excellentioribus magnificabantur: nam uni eorum commiſit Chriſtus curam paſtoralem, alterum dono viſionis condecoravit.

Q. Annon ad liberum arbitrium res fortè recidit? R. Imò

vel

vel maximè versatur hîc liberum arbitrium, qvatenùs Dei Voluntas plurimùm operatur, ubi dona sua distribuit qvando, quantum, & cuicunq; vult, qvod æq; ad Apostolos atq; ad alios homines spectat, quod in S. Paulo observatur.

Q. Si quod Apostolis datum est, ad alios qvoq; spectat, qværitur, an S. Spiritus sit tantùm in festo Pentecostes Apostolis in personâ datus? R. Cùm, sicuti Doctores docent, S. Spiritus in personâ detur hominibus toties, qvoties donatur iis gratia infundens Charitatem, seqvitur Discipulos multoties accepisse S. Spiritum antecedenter: ast quatenùs Spiritui S. ejusq; donis se totos perfectè obtulerant, in hoc respectu dici potest, eos ad diem Pentecostes demum accepisse S. Spiritum.

Q. Quid sexti modi tractio habet in se? R. Sexto modo trahebat & perducebat eos æternus Pater in Scholam sublimem Spiritûs S., quò cùm venissent, confestim pernoscebant S. Scripturæ absconditam profunditatem ac nudam illucentem Veritatem, quæ usq; adeò incomprehensibilis est omni tempore, ut omnem naturalem intellectum cunctorum Doctorum superet.

Q. Quotuplex est doctrina, qvam Scholâ S. Spiritûs tradit? R. Septuplex.

Q. Recense qvid habes de eâ? R. In eâ Scholâ objiciebatur discipulis

1. Magnitudo Dei & hactenùs infundebatur iis donum filialis timoris, qvem toto Vitæ tractu conservabant.

2. Cuncta reddebantur iis possibilia à concessâ indesinenti in Deum inspectione, unde in eos descendebat donum fortitudinis.

3. Docebantur custodire non tantùm mandata Dei, sed etiam consilium Christi, cum qvo accipiebant donum consilii.

4. Gustanda iis præbebatur suavitas secretæ familiaritatis Dei accepto simul dono mansuetudinis.

5. Docebantur qvaliter se custodire poterant versando inter Creaturas atq; dignoscere inter lumen divinum & naturalem instinctum, hinc iis dabatur donum artium.

6. Cu-

6. Cognoſcendum iis dabatur cum dono intelligentiæ, qvaliter differrent inter ſe ſtatus in qvo tunc erant conſtituti,& ſtatus in qvo antecedenter vixerant.

7. Dabatur iis doctrina Deiformis mutationis & amoroſæ communionis cum dono ſapientiæ. Hæc ſunt ſeptem puncta doctrinæ S. Spiritûs, in qvibus 7 dona comprehenduntur & numerus hic reſpondet numero ideali ſeptem artium liberalium in Scholâ ſeculari paſſim edoctarum.

Q. Qvod reſtat, qværitur, an etiam diſcipuli è Scholâ S. Spiritûs reportârint doctrinam Scholæ naturalis, artes ſcilicet & prudentiam mundanam? R. Imò & hujusmodi variarum artium notitiam acceperant in tantum, qvantum divinus honor, hominumq; Salus per eas promoveri poteſt, ſicut legimus, Petrum ſcripſiſſe: terram ex aqvâ & per aqvam conſiſtere: rursùs: futurum, ut elementa per ignem liquentur. Aſt quicquid in artibus eſt, qvod non ad promovendam Salutem animarum ſpectat, non dabatur noſcendum, cùm nihilo-ſeciùs ſine his beati erant & perfecti. Nam qvisqvis Deum ſcit, & ſimul cunctas alias artes & ſcientias noſcit, non magis beatus redditur intuitu aliarum ſcientiarum, ſed eſt tantùm beatus propter agnitionem Dei.

Q. Cùm homo qvi hujus doctrinæ capax eſſe cupit, teneatur ſe totum Deo dedicare, id autem ſemper fieri neqveat, neq; etiam tantum qvantum vult, qvid tunc eſt faciendum? R. Oportet tantum de ſe Deo tunc concedat, qvantum DEO linqvere poteſt, ſaltem ſolum ſoli, ſi non omne uni.

Q. Nonnè abſurdum eſt dicere aliqvem partim Deum habere, partim Deo carere? R. Hìc nec abſurdum eſt nec DEI carentia, dummodò qvis eo qvod eſſe vel obtinere non poteſt, per Deum & in Deo carere cupiat, certò perſuaſum habens potius poſſidere Deum carendo qvàm habendo. Nullius qvippè indiget, qvi Deum patitur, vel qvi Deo locum concedit in ſe, ad ſe, & cum ſe.

Q. Verùm cùm Dominus Deus ab initio perſæpè hominem illu-

illustrando accendit, imposterum verò nil ejus rei facit, homo autem paulatim sic deferveat, frigescat & rigescat, qvid indè discendum? R. Homini probo discendum est, præfatum Dei actum esse lusum & pellectum dehinc citissimè desinentem, qvia divinum. Qvod si breve hujus actûs spectaculum obtueris, hanc brevitatis causam nôris esse, qvia Deus ideò cooperatur ab initio, ut suos doceat, qvaliter sit suâ sponte operandum tunc, cùm Deus examinat specimina eorum non illuminando, non vocando, non cooperando amplius. Tunc certè opus est seipsum incitare, & proprio motu, proprio ardore, propriisvè sumtibus Deo servire.

Q. Qvomodò in hoc statu flectitur & reflectitur voluntas humana? R. A principio trahit qvidem Deus voluntatem funiculo donorum seu beneficiorum, ità qvoq; observat homo voluntatem Dei in Voluntate suâ operantem, undè multimodè lætatur. Ast factâ posteà reflexione totum vertitur in adversum, qvatenùs Dominus Deus noster vult, ut voluntati nostræ abrenunciemus (qvod sanè penitus adversum qvid est) & ut in summâ difficultate, in gravi passione adipiscamur eum, ut ignotum, ut occultum, ut aversum Deum & tamen verè non aversum.

Q. An ergò tractus divinus nullus est præter eum, cujus sensatio initiantium illectio est? R. Imò præter sensibilem, qvi facto initio remittit, & præter subitaneum, notabilem & momentaneum, qvi etiam impulsus vocatur, est alius qvem nominant secretum, tardum ac perdurantem, vel ideò, qvia insensibilis & ignotus est, vix unqvàm creditus, quia non animadversus. Est autem paulò antè proposita Dei Voluntas tractus hic, qvo scilicet Deus modo secretissimo ad seipsum ducere vult hominem contrà placitum hominis tamdiu, donec Voluntas naturalis subjugetur divinæ. Est etiam divina Voluntas, ut de velle & nolle nobis nulla cura sit, ut prospera & adversa non flectant arbitrium, ut dum quis accipit, habet vel caret, animus non declinet, utq; missis caducis rebus adhæreamus

mus

mus soli Deo. Beatus mortalis, qvi talis est vel efficitur, & iterum beatus dicendus est, qvia degustat beatitudinem ipsam in ipsâ mortalitate modo inexplicabili, & hactenùs status iste qviminus sensationis ac modalitatis, plus autem veræ ad DEUM fiduciæ habet, est præferendus Statui amoris & illectionis, qvi minus essentialis resignationis habet.

Q. Etsi de divinâ tractione nunc satis dictum sit, incidunt tamen mihi qvædam circumstantiæ, qvæ dignæ videntur quæstione, liceat ergò interrogare ac simul responsum à te requirere super ea qvæ seqvuntur, ut: qvoniam homo vocatur Microcosmus eò qvod qvâdam harmoniá symbolizet cunctis creaturis, nimirùm qvoad subsistentiam cum lapidibus, qvoad Vitam cum vegetabilibus, qvoad sensitivam cum brutis, qvoad mentem cum Angelis; dic annon intelligatur homo per verbum omnia, cùm Christus dicit: qvandò à terrâ ero elevatus, Joh. 12. omnia ad me traham? R. Sine dubio intelligitur ibi tractus hominis, imò & cunctæ Creaturæ sunt media, qvibus Deus trahit hominem. Rebus qvidem desideriosis pellectum trahit hominem, noxiis & adversis velut qvadrigis provehit eum.

Q. Quid si homo, ut sæpè fit, non sentit ullum tractum? R. Suâ culpâ non trahitur, qvi vel non orat, vel non laborat, ut trahatur. Rete Domini expansum est super totum mundum, idcircò competit homini ut piscem imitatus incurrat in rete: qvi irretitur, sine morâ & capitur & trahitur. Porrigit Deus manum, hominis est prehendere eam, sic namq; trahitur qvia volenter. Quodsi mens à peccatis & defectibus suis mundata est, trahitur parvo spiritualis Contemplationis adminiculo sursum in Scholam supercœlestis cognitionis, adeoq; comparatur levi plumæ, si nullibi hæserit, sursum tendenti, si hæserit, deorsum vergenti. Hujusmodi animus liberatur à corporali reticulo, & fertur in secretam tranqvillitatem, ità ut omnis respectus ejus & arbitrium adhæreat Deo inseparabiliter.

Istæc Spiritus cum Deo adunatio ad hominem relata vocatur transfiguratio, qvâ mediante cuncta qvæ homo forinsecùs

accipit, ædificantur in ipso in qvem homo tractus est Deo: idcircò qvicquid agit, sivè edat, bibat, sivè dormiat, vigilet &c. hæc omnia opera sunt summa Laus & gloria Dei.

Q. Dic in quo sita sit summa hominis perfectio? R. In Silentio interno cum suspensis potentiis, in puritate indicibili & in angelicâ similitudine sublimatur animus, ejusq; rei veritas indè constat, qvod homo taliter exspoliatur omni disparitate vel dissimilitudine obtento prægustu æternùm fruituræ beatitudinis.

Q. Quomodò futurum est, ut homo restituat Deo gloriam sub permanentiâ roboris (duritatis naturalis) & sub paupertate animæ? R. Id eo modo fieri potest, cùm scilicet homo qvantum per Deum licet, desistit ab omni actione tàm externâ qvàm internâ & juxtà ordinem vel mediatè vel immediatè adipiscitur Deum simul atq; seipsum, deniq; cùm etiam cuncta ea bona dona, qvæ accepit, Deo reddit ceu alienum debitum. Hoc modo restituitur Deo gloria sua.

Q. Quot gradibus interstinguitur mortalis hominis perfectio? R. Quatuor modis: Primum puritatis gradum attingit homo, si Voluntatem suam cum discretione decenter (juxtà ordinem) habet aversam à cunctis rebus temporalibus. Secundum attingit, qui persistit in pace & requie cordis sui. Tertium attingit, qvi animo imperterrito cuncta contingentia à Deo suscipit Deo deditus. Quartum attingit depuratus animus, qvi sui & rerum omnium immemor in Deo annihilat seipsum. Hæc summa est & perfectissima puritas.

Q. Dic, qvi his nobilibus modis perficitur, qvaliter se ad eos habere debeat? R. Non debet sibi complacere in iis Dei operibus, sed in profundâ submissione sivè fiant in eo sivè non fiant, indignum se peccatorem reputare, interim in Deo acqviescere, donec perficiantur in eo, ad laudem & gloriam secretorum ejusmodi operum, qvæ Deus ubi vult, operatur. Quicunq; Deum secretò operantem patitur, nimirùm in ratione operis omnipotentiam Patris, in ratione Luminis sapientiam Filii, in ratione conservationis Charitatem S. Spiritûs, is qvoad sensus

qvi

qvi trahuntur, qvoad potentias qvæ illuminantur, & qvoad potestates qvæ tolluntur in altum, totus cum Deo unitur.

Q. Cùm autem objectum hoc (secretum otium) non semper se sistat præsenter, nimirùm sic ut natura id sentiat, præsertim cùm homo sæpenumerò se tenuem ac indigum reperit, qværitur, qvid faciendum sit tempore carentiæ? R. Constanter persistendum est in prædictâ insensilitate & modo abstracto, nec recurrendum ad pristinæ sufficientiæ media. Nam homo, cujus Voluntas in Deum absorpta est, tametsi non semper sensibilem devotionem vel desiderium habeat, non tamen hâc ratione est minus purus vel magis profanus, qvoniam Deus tantò tutiorem in Spiritu reddit hominem, qvantò naturam ejus magis extenuat, homo qvoq; sub necessitudine persæpè percellitur timore & afflictione.

Q. Quænam timoris Utilitas? R. Si timor non sit ingens, hæc ejus Utilitas est, qvod tutum facit hominem velut sub antemurali seu propugnaculo, qvo conservatur munitus, ne nimis liber reddatur & temerarius, prodigus scilicet boni desertor. Quod si Deus id ità ordinavit, è summâ Charitate factum credendum est.

Q. Cùm tractus divinus à nonnullis illustretur à simili Virtutis magneticæ, qvà Magnes ferrum attractum sibi retinet, ferrum verò, cujus natura non est movere se sursum, percepto lapidis tractu non amplius qviescit, sed suprà seipsum scandit in sublime, qværitur, an tractus divinus se habeat simili modo? R. Id qvidem ità dicere licet, qvanqvàm non omnes qvi trahuntur, promptè seqvantur; qvin nec Magnes omnia Corpora ferrea trahit, qvia non nisi ea, qvæ pondere respondent proportioni: sic Deus trahit alios magis alios minus juxtà dispositiones eorum, omnes tamen trahit, qvia omnes (qvantum in se) salvos habere cupit. Quod autem dona Dei (tractus scilicet & monitio) magnâ disparitate accipiantur & observentur, id non Dei causâ sed hominis culpâ fit: hinc omnes cœcutiunt, qvi dicunt non trahi se à Deo, sicut qvidem trahuntur aliqvi. Differt

fert autem tractus superficialis à fundamentali juxtà diversitatem præparationis & juxtà capacitatem subjecti tractabilis: nam multi sunt, qvi dona tractûs hujus non sentiunt, alii sentiendo non attendunt. Idcircò cùm advenit Dominus cum largis suis donis & reperit animum sollicitum peregrinum hospitem tractantem, cogitur recedere ablatis secum donis suis, qvæ alioqvin incessanter donat cunctis iis, qvi corda sua Deo conservant in puritate. Non venit Deus ad eum, qvi amat alium præter eum, qvi maximus est cuncta implens, omnia perficiens. Hinc illæ lachrimæ, hinc & æterna nostra damna. Ad qvid enim omnis nostra cura & conatus, si nec ipsosnos, nec DEI præsentiam observamus? inutilis ea admodum est atq; pœnalis, quia culpata. Contrarium reperitur in iis, qvi fundum suũ evacuatum servant in puritate, nam ejusmodi fundum tangit Magnes divinus verè ac sincerè, quia dispositum (præparatum); imò cùm tactus Dei se habeat juxtà nobilitatem (dispositionem) subjecti sic ut qvo purior animus, hoc fortior sit tactus, fit, ut tactum sentiat tantò facilius tantoq; sincerius seqvatur, qvantò præ aliis est tactus impensius. Nihil enim tales homines sibi retinent de donis acceptis (in qvibus gloriantur debiles) lætitiam mittunt, solatium suspendunt &c. solùm sursum scandentes ad Deum, suæq; naturæ obliti semper seqventes id qvod trahit Numen.

Q. An singulis convenit scrutari, num sint à Deo tacti necne? R. Omnibus convenit sine discrimine.

Q. Qvales sunt qvi non tanguntur integrè? R. Illi, qvi multis modis incipiunt benè sic ut & alii multa dehinc & magna bona sperent; ast in progressu deficiunt subitò præcipitati in mores antiqvos, in curas Creaturarum, id est, qvæ naturæ subjacent rerum. Hujusmodi homines qvidam comparavit canibus ignobilibus qvibus nulla venandi cupiditas est, qvia currendo non curant feras, sed tantùm seqvuntur sui similes canes venaticos brevi spatio, venatione & viâ paulò post relictâ vagantes pro suâ phantasiâ. Idem dicit accidere incipientibus

minus

minus prudentibus, qvi non progrediendo (proficiendo) sistunt cursum in Vitâ eorum. In Veritate, dicit, breve tempus est, qvò morâ factâ captâvè voluptate quis cursum suspendit æterno interim Bono relicto tanto qvidem intervallo, ut minimè queat attingi imposterum. Eapropter qvicunq; dimorantur, restant in æternum destituti, donec æternus Deus est in veritate, id qvod exemplo qvinq; desipientium virginum declarat Dominus in parabolâ.

Q. Ergóne vicissim licet nobiles homines comparare canibus venaticis, qvi feram è vestigio perseqvuntur tantâ pernicitate, donec eam capiant spretis interim interjectis remoris (vepribus)? R. Apta etiam hæc est comparatio, cùm nobiles homines cuncti qvi bonum æternum observârunt, nullâ causâ permoveantur cessare, donec id conseqvantur.

Q. Estnè possibile, ut qvod per negligentiam est perditum suppleatur tempus? R. Est, dummodò misericors Dominus eousq; concesserit Vitam: hoc ipsum supplementum consistit in eo, ut perniciosum naturæ objectum præfatum cursum intercipiens veloci & constanti aversione, oratione, firmaq; fiduciâ in Dei misericordiam (in qvâ tota nostra salus pendet) abigamus, insuperq; accuratâ suiipsius observatione immediatè Deo adhæreamus. Medio hoc uno suppletur perditum tempus omne.

CAP. V.

De Coercitione hominis externi.

TRactio Dei supponit in homine aliqvid, qvod Deo non est placitum, à qvo cùm abstrahatur Mens, necessum est intelligi qvid sit qvod causam reddit abstractioni. Est autem id omne qvod mundo velut per qvandam consanguini-

guinitatem affine eſt, atq; quodammodò hinc affixum ei. v. g. Externus homo id eſt, & omne ejus verſus contenta mundi deſiderium, à qvo qvis poſſit ac debeat abſtrahi, oſtenſum eſt in capite præcedenti. Opportunum ergò nunc erit tractare etiam de homine externo, qvi maximè ſolet cuivis tractioni reſiſtere, qvaliter queat adeò coërceri ut redigatur in ditionem Spiritûs: quæritur ſic:

Q. Cùm Homo externus vivat juxtà carnem, juxtà mundum & juxtà tentationes, econtrà internus hæc omnia fugiendo vivat juxtà Spiritum ſic ut ſeipſum vincat in cunctis rebus foris & intus, id qvod externus non curat, dic, qvæſo, qvibus mediis (modis) poſſit ſubigi ac regi homo externus? R. Id Dominus noſter Jeſus Chriſtus docuit per parabolam qvinq; Virginum prudentium & quinq; deſipientium, qvæ Vitam externi & interni hominis deſcribit. In prudentibus conſpicitur vigilantia, patientia, & expectatio, in imprudentibus negligentia, oſcitatio & ſtupiditas. Videndum itaq; eſt, quid vigilantia & prudentia requirat, qvâ mediante regatur externus homo. Quinq; autem modis ſubactus regitur homo externus, qvi & hactenùs ſolicitè ſunt obſervandi, eorum

1. Conſiſtit in temperantiâ rerum qvæ naturalem neceſſitatem concernunt, quales ſunt cibus, potus, amictus, ſomnus & vigiliæ. Ideò opus eſt ſic iis uti, ut natura dehinc ſumat tantum quantum ei eſt neceſſarium, ne ad peccandum robur acqvirat.

2 eſt, ſimplicitatem quærere in omni re, amiciri habitu veſtium vili & ſimplici, ſe gerere ſimpliciter eundo, ſtando, loqvendo, operando, ubiq; verecundum eſſe & compoſitum, mores geſtusvè ſimplices habere.

3 eſt fugere vana pravaq; conſortia, præprimis homines, qvi ſæpè & audacter loqvuntur vanitatem, quatenùs oportet eum eſſe ſolicitum ſuarum rerum obſervatorem.

4 eſt, vivere in ſudore vultûs, hoc eſt, manibus ſuis laborare, ne unquàm otioſè vivat, quàm dives etiam ſit, ſi qvidem otium eſt oſtium ad omnem impuritatem. 5. O-

5. Omnem conatum impendere, qvo sensus suos devincat avertendo se à cunctis, qvæ fortè accidunt tentationibus, qvia viriliter est resistendum, nunqvàm autem iis consentiendum. Nil magis inservit huc, qvàm si qvis suas tentationes humiliter revelat sancto homini, cujus consilio se conferat ad disciplinam Corporis juxtà candidam discretionem & ad orationem devotam. Nam qvi seipsos non regunt taliter juxtà externum hominem, hi omnes coràm Deo annumerantur Virginibus desipientibus.

Q. Quid ergò competit virginibus prudentibus? R. Cùm inter eas non solùm Virgines, sed etiam alii, inprimis Cælibes connumerandi sint, decet eos ornare se juxtà internum hominem, cujus fundamentum est cordis humilitas: nam Dei Fratres & Sorores vocabuntur, qvi faciunt Voluntatem ejus & qvi sunt cælibes, non debent judicare nuptos, neq; desiderare ut aliis placeant in Vitâ virtuosâ præterqvàm soli Deo, alioqvin sunt Pharisæis similes. Virginitas non est mandato imposita, præcepta autem est humilitas. Virgo superba, superbus Cælebs sunt coràm Deo longè deteriores & pigriores qvàm humiles conjugati. Ancilla neminem debet despicere, omnes autem diligere, non magni se æstimare, sed semper in timore continere. Crescentibus & complacentibus peccatis obrigescit Charitas cum cunctis Virtutibus. Legimus, qvod Virgines sequuntur Agnum, qvocunq; ierit, hoc est, si permanserint in verâ puritate & humilitate: nam si qva deturpantur à superbiâ vel aliis grandibus peccatis, præcedunt longius pii Conjuges. Apoc. 14

Q. Ad qvid ergò virginitati dantur tanta Encomia? R. Eò quod Virginitas habet originem à Deo ipso, quid quod & Angeli à Deo didicerunt eam, qvod ea in Cœlo ad inventa est, ibidem quoq; mansura in æternum post diem novissimam postq; resurrectionem mortuorum. Nam, sicut legimus, in Cœlo non nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei, æternas nuptias cum Deo habituri, soluti scilicet ab hominibus, solumq; alligati Deo ad proferendum fructûs æternos. Magnâ tunc potientur Matth. 22.

tientur poteſtate adverſus Diabolos, inſuper etiam canent canticum novum, qvod aliàs nemo canere potest. In teneras mentes hujusmodi Virginum poſuit Deus thronum ſuum, qvia deſiderat eſſe cum illis, dummodò juxtà ſuum internum hominem vixerint in humilitate, benignitate, reſignatione, cordeq; ad Charitatem Dei reflexo, ad hanc aliàs nemo poteſt accedere niſi cum humilitate, qvæ donum Dei eſt exuperans cuncta dona temporalia. Humilitas qvippè conducit cor humanum ad veram pacem, ſicut viciſſim nemo eſt impacatus aut defectuoſus, niſi cui deeſt humilitas, ſic ſi homo verè humilis eſſet, nunqvàm peccaret, qvia humilis obediendo ſervat mandata. Proindè & beatisſima Mater Chriſti non poterat peccare, qvia verè humilis erat. Deus magna operatur ibi, ubi reperit veram humilitatem S. Auguſtinus ait: qvi eſt humilimus ſuper terram, is eſt ſanctisſimus.

Apoc. 4.

Q. Cùm itaq; in humilitate virtutes reliqvæ qvaſi in circulo contineantur, dignare hîc ſubjungere ſigna humilitatis? R. Signa hominis humilis ſunt hæc: is antè omnia ſe ſemper intuendo indignum reputat omni gratiâ cunctisq; donis, indignum ſe qvoq; tenet eo, qvod juxtà pſalmum Deus memor eſt ejus, & qvod eum fecerit hominem, agnoſcit qvoq; ſe eſſe indignum eo, qvod Deus ſuſtentat eum inceſſanter, pro qvibus omnibus etiam Deo gratias reddit inceſſanter cum magnâ humilitate. Non extollit, non jactat, non laudat ſe ullibi, ſed potius agnoſcit ſe Deo longè plus debere pro cunctis donis, hinc Deus eſt ei ultima ſivè finalis intentio & reſpectus in omnibus rebus. Dedecet enim prudentem virginem (humilem hominem) habere duos fines in ſuis rebus, id eſt duplicem intentionem, reſpectum Dei ſimul & ſuiipſius, vel etiam reſpectum ad aliud qvidpiam temporale. Quicquid autem habet homo cum charitate ergà Deum, id debet tantùm eſſe adjutorium & ordinatio ad gloriam Dei ſub Deo, ſic ut ſolùm promoveat acceſſum ad Deum. Talis homo humilis eſt Virgo prudens, nemò præter eà. Magis enim amandus eſt Dominus ipſe qvàm

donum

donum ejus, hinc prudens Virgo ob quælibetcunq; dona non pluris æſtimat ſe qvàm erat æſtimanda antequàm naſceretur, ſiquidem Deus cùm donum dat, donat cum eo ſimul ſemetipſum; hoc autem facit ideò, qvia in tali homine non impeditur, qvin poteſt qvod vult in eo operari. Deus qvoq; perficit eos nunqvàm deſiſtendo à ſuâ Clementiâ, ſi qvà fideles reperit, tales autem & nos ſumus, ſi locum ei cedimus patiendo cum eo, obſeqvendo ei, & ſine philautiâ operando cum eo.

Ad ſigna qvoq; refertur indoles humilis hominis, ut qvi ſe cenſet indignum loco ubi eſt vel cum qvo eſt. Infimum qværit locum, & partem viliſſimam habet ſibi acceptam in rebus conceſſis vel ſuæ neceſſitati dicatis. Nullibi conqueritur de paſſione ſuâ, nec ſuper ullā afflictionem ducit querelam coràm Deo præterqvàm ſub magnâ anxietate & timore. dum ſcilicet augetur paſſio, qvoniam à manu Dei recipit hæc omnia: non culpam conjicit in eum, à qvo affligitur, qvia à Deo aſſumit res cunctas in juſtificatione, Deus enim nil unqvàm permittit accidere homini propter aliudqvid, niſi propter bonum ejus. Virgines præfatæ ſic vivunt & moriuntur ſine faſtidio. Hæc eſt compendioſa ad Deum & ad Cætum prudentium virginum veniendi via, ſecùs qvi tales non ſunt, annumerantur virginibus imprudentibus, tametſi idipſum non credant. Qvi vult in Deo veraciter eſſe, eum oportet coràm ſeipſo & coràm cunctis hominibus deſipere, & qvisqvis vult ſuam ſervare animam, debet eam amittere deſerendo hîc vanam gloriam. Porrò qvicunq; cupit ad veram humilitatem pervenire, eum oportet ſervare tria ſeqventia, nimirùm humilem reſignationem, paſſionem, & charitatem.

Joh. 12.

Q. Qualiter poteſt aliqvis addiſcere reſignationem? R. Taliter: oportet eum non ſolùm deſerere grandia peccata, ſed etiam in rebus ſpiritualibus debet nullam qværere voluptatem, ut nec in bono exercitio, puta jejuniis, vigiliis, precibus, lectione, cogitatione appetere ſolatium, guſtum, dulcedinem aut deſiderare mercedem: nam & paratus debet eſſe homo

 deſe-

deferendi jubilationem, contemplationem & similia, cum Deus vult, sicut ei videatur non dari suprà se hominem magis vanũ, despectum, frigidum & negligentem, quamvis in suis operibus nihil scienter negligere aut otiosè intermittere teneatur. Hoc modo annihilatur homo in seipso, qvia amittitur hîc in bonis operibus omnis voluntatis proprietas, philautia, sapientia, arbitratus, affectatio & complacentia propria: sic qvò id profundius in eo est, eò veraciùs, qvoniam hanc ipsam submersionem affert ei Deus ipse, & qvod Deus est abyssus humilitatis, hactenùs comprehendit eum anima in humilitate profundâ, & Deus vicissim sese adunat eidem animæ. Sic immutatur homo in Deum, qvasi alius homo factus esset, id qvod efficit S. Spiritus qvi regit eum.

Q. Qualiter potest qvis servare secundum, nimirùm passionem? R. Quatenùs passio inservit ad resignationem & humilitatem, opus est, servare eam sic, ut patienter & pacificè quantum potest, homo perferat omne probrum, prosperum & adversum, gratum & ingratum, par & impar, lucrum vel damnum, contemtum, detractionem & similia, quomodocunq; fiant, foris vel intus, etiamsi nonnunquàm videatur bonum non esse, sed potiùs malum, (juxtà suam rationem) aut etiam Virtuti vel saluti adversum. Patiatur ubiq; volenter libenter fidendo Domino Deo, etiamsi non intelligat quare obveniant ei tot & talia: nam sic futurum est, ut indè egregii pronascantur fructûs humilitatis. Omnis hîc exarescit Sapientia & arbitrium hominis, cùm omnia in melius cedere oporteat, si sustinuerit. Quodsi qvandoq; videatur ei damnum emergere è rebus temporalibus vel spiritualibus sibi acceptis, nihilominus futurum est, ut per humilem eam cruciantem resignationem se longè promoveat in Deo ad veras Virtutes.

Q. Qualiter potest insuper servare charitatem, ut ea inserviat humilitati? R. Charitas nuspiam præclarius exercetur præterquàm in abstinendo & sustinendo. Et tametsi verum sit, quod aliquis in charitate possit tàm in sublime scandere, ut Deum ample-

amplectatur mediante unitate voluntatis, nihilosecius etiam verum est, quod Deus descendit in patientem & resignatum hominem cum omni quod est, & tunc comprehenditur ab animâ amante, ipse verò amplexando rapit in se totam eam. Sic anima seipsam perdit cùm revertitur in suam originem, undè dimanavit, ast per id secura redditur in hâc Vitâ, quantum possibile, de æternâ Dei fruitione. Et ideò quibus hoc affuturum est, opus habent verâ humilitate, ut & hîc Deum discant contemplari quantum permissum est, adhoc sunt necessaria tria puncta seqventia: Primum est, ut homo habeat sinceram intentionem, puta nil aliud desiderandi quàm Deum, nil aliud amandi quàm Deum, sed soli ei complacendi: sic homo benè contemplabitur. Secundum est, ut beneficia Dei contempletur sustinendo humiliter, seq; ex charitate offerendo totaliter, non autem extollendo se, cùm Deus ei dat absconditarum rerum intelligentiam. Tertium est, ut habeat sedulitatem in spirituali exercitio, qvo suas cogitationes sursum dirigit ad Deum, qualicunq; meditatione, modo plausibili magisvè tractivo, sivè sit de Divinitate vel humanitate Christi, sivè de sanctâ vitâ, sivè de innocenti passione ejus, sivè sit aliud quidpiam, quatenùs quodlibet punctum S. Scripturæ complectitur in se divinum qvendam sensum, qvi potest indè extrahi.

Q. Qvid, quæso, hinc est concludendum? R. Id, qvod homo posset qvicqvid vellet à Deo impetrare, si haberet id, qvod tria præfata puncta in se continent, nimirùm veram intentionem cum patientiâ, resignationem ex charitate in humilitate, & Zelum ardentem in exercitio spirituali. Huc autem plurimùm adjuvat sana natura, robustum caput & sensus subtiles idonei, & ideò valdè proficit in Vitâ spirituali, qvi hæc per gratiam Dei obtinet. Cæterùm omnes virtutes & opera virtuosa dependent à 6 punctis seqventibus 1 est vera humilitas 2 in passione patientia 3 Resignatio in cunctis rebus 4 vera charitas 5 divina intentio in omnibus 6 Sedulitas in Exercitio spirituali. His observatis devincitur externus homo atq; redit in Unitatem cum interno.

 Q. Cùm

Q. Cùm alibi edoctum imò & utile sit, ut certis quibusdam modis exerceatur homo externus, ne naturalis ruditas præpediat eum, qvominus ad Viam Veritatis progrediatur, dic, qvæso, cur hi tàm parvipendantur & parabolicè comparentur foliis sterilibus, qvæ ventus dejicit, ut conculcata putrescant & infimum vertantur? R. Tametsi initiantibus & neoconversis sint valdè utiles & necessarii, non tamen eatenus sunt magnipendendi, qvoniam sunt prima rudimenta qvæ longissimè adhuc ab ipsâ veritate distant, & quia sunt media remotissima, pueris familiaria, hactenùs vilissima sunt: cedunt namq; semper dignitate minora majoribus. Cùm autem degener mundi ætas delicatis filiis imponat, ut qvæ magna sunt parvi, qvæ parvæ sunt magnifaciant, oportet monere sedulò, ne semper in umbrâ sedeant, sed propius ad lucem accedant ocyus. Sunt enim permulti modorum tàm tenaces, ut aliud audire nolint, qvin & ab hâc amentiâ nemo valet liberare eos, nam sivè ad voluptatem tegendam sivè ad custodiendam consuetudinem, certè non sine insigni suo detrimento id faciunt. Hi animi viles sunt ac nusqvàm progressi, hinc rudimenta eorum dicuntur vilia, cùm fieri qveat, imò persæpè fiat, ut qui non satis circumspecti sunt (qvàm speciosi sunt modales) persistant in omni malitiâ & pravitate Cordis pariformiter atq; illi qvi speciem pietatis habent nullam. Qvid qvod nonnulli eorum sub specie pietatis proni ruunt in longè graviora crimina, qvàm qvæ patrare possent in seculari vitâ. Indè quidem si quæris, an Species sanctæ Vitæ nil demat pœnæ, qvæ Vitæ criminosæ juxtà mensuram aliàs adjudicata est? Cape Veritatem, nempè: eorum damnationem longè majorem, terribilem, horribilem reddi per eandem Speciem Sanctimoniæ, cùm ea qvæ habent Sanctitatis media ad Vitæ æternæ emendationem non ceu par est usurpant, hinc satius iis esset in mundo vivere, cùm fieri sic posset, ut medio exactionis emendentur, qvo carent aliqvi eorum in Statu ecclesiasticæ libertatis.

Q. Cùm multi sint homines nil nisi modos externos attendentes,

dentes, qværitur, qvæ cauſa ſit ejus facti, num ignorantia an malitia, qvatenus neutra videtur locum habere ſub multiplici informatione aut verbi divini explicatione? R. Cauſa ejus refertur in qvibusdam ad malitiam, in pler isq; ad ignorantiam, in aliis ad utramq; parum in his efficiente prædicatione verbi, cùm ſint inſenſiles, eoq; juxtà Verbum non ſatis explorantes, qvænam eorum neglecta ſit plaga, qvinam defectus & obſtacula progreſſum remorantia.

Q. Nonnè poteſt tàm malitia qvàm ignorantia tolli methodo peculiari tametſi minus uſitatâ? R. Id poteſt omninò fieri tàm publicè qvàm privatim, optimè tamen inter initiantes, noviter converſos & pueros, in qvibus viget diſcendi cupiditas. Summoperè igitur opus eſt, ut iis ſtatim ab initio imprimatur Syllabus rerum diſcendarum, qvoniam hoc ſolum medium eſt præoccupans & malitiam & ignorantiam: id autem quod eſt diſcendum, eſt ipſa diſciplina dans Sapientiam, corrigens malitiam. Cernimus enim adultos & obſtinatos, cùm examinantur, nihil ejus ex ordine ſcire, qvod eſt ſciendum & faciendum, & ſic eorum defectus cognoſcitur. Neceſſum eſt conſequenter, ut cognito diſcendarum rerum indice diligenter inſtruatur Juventus, qvid inter omnia à principio diſcendum ſit, qvo maneant in eo exercitio, donec probè didicerint. Tertiò neceſſe eſt, ut ſtatim à quo bonum qvendam externum modum didicerunt, informentur, qvaliter progrediendum ſit ad ſtudia altiora, ne hæreant in primis viis, rudi ſcilicet externâ præparatione, ubi nulla eſt perfectio. Hæc valdè neceſſaria, præliminaria ſi negliguntur, neglecta ſunt omnia, ordo ſcilicet & indè pendens perfecta diſciplina, nam qui nihil ſcit nil proficit: ſi verò Juventuti imprimuntur eo tempore qvo apti ſunt, fervidi ac ſeduli, poteſt magna indè ſperari Utilitas, cùm fieri nequeat, qvin aliqvi eorum ſuâ ſponte poſtmodum nitantur progredi: qui multa ſcit, multa tentat. Qvin & in ipsâ bonâ diſciplinâ eſt metus ac periculum, ne multi etiam qvàm benè ſunt inſtructi, deſciſcant à diſciplinâ & ex toto degenerent mutati in deterius, hinc oritur quæſtio:

Q.

Q. Unde provenit istæc mutatio? R. Exin damnosa provenit mutatio, qvod qvi aptissimè principia disciplinæ christianæ hauserunt, seipsos non custodiunt nec operam adjiciunt progressui, eapropter labuntur in carnis opera, in errores & tenebras, qvæ manifestum signum sunt, qvod corda eorum aversa sunt à Deo, qvia reversa in Ægyptum. Indè quidem patet, qvàm necessaria sit progressio & circumspectio, ne homo inconstantiæ aliàs redditus excidat tali bono, qvod à principio sub industriâ suâ conqvisiverat. Cùm inconstantia humana satis explicari neqveat, securus nemo est de conservando bono studio, qvod ut feliciter inchoavit, sic infeliciter perdi potest: eam autem immutationem arcet exercitium in desiderio progressûs continuatum.

Q. Qvalis est ea morum immutatio, qvæ sequitur disciplinam inchoatam, sed posteà neglectam? R. Eâ indies cernimus diversimodè deturpari bonæ Spei homines, sivè per seductionem sivè per naturalem inconstantiam emolliantur animi. Nam qvi antecedenter desiderio tàm ardenti incipiebant, ut etiam oculos ab homine mundano averterent, jam nullo hortatu possunt à sociali commercio avelli. Qui à principio aures à quolibet verbo otioso abstrahebant, nunc nullo imperio coërceri possunt, ut ab inutilibus quæstionibus pariter & multiloquio abstineant. Qui devotionem in silentio & unitate conabantur custodire, subitò remittunt, quamprimùm cujusdam officii curam externè suscipiunt. Qui non ità pridem ad perfectionem ardentius ferebantur offensi quocunq; joco vel defectu, jam absq; ullo conscientiæ sensu delectantur obscæno vel nefario sermone parum curando, imò & deridendo proximum indè offensum vel contristatum. Quis numeret eos, qui firmiter sibi proponunt quascunq; sustinere tentationes, quin etiam martyrii tormenta subire, qui etiam dum adhuc requie & pace fruuntur, Diabolum ipsum aut spernunt, aut tentant, quos non cernamus summâ eorum inconstantiâ atq; pudore factos perversos & obstinatos, quamprimùm in

pro-

proborum & sanctorum virorum consortio, parvo tantùm tempore vivere debuerunt? Imò sunt alii qvoq;, qvi animo ferventi subjiciunt se omnis generis duris servitiis ità ut aliorũ onera plictri habeant; ast si molestiam tulerunt aliqvo tempore, vilescit animus mutato proposito, sic ut communissimum vix qveant servare modum, adeò sensibiles interim, morosi & tædiosi facti ægrè & magnâ impatientiâ ferunt injuncta sibi onera. Indè non habent scrupulosi qvod mirentur, cùm vident tot jurgia inter ejusdem communitatis Socios, qvi alioqvin exemplo pacis tenentur esse illustres: habent autem qvod dicant eos, de qvibus magna atq; miranda sperabantur cæpta, in vanitatem collapsos esse. Eccè humanam inconstantiam unicuiq; stupendam, timendam & cavendam, vel ideò, qvod hactenùs per totum Vitæ cursum ignoremus damna & pericula, qvæ animæ possint olim accidere. Certè ob sonticam eam caussam à Christo toties monemur vigilare & cavere, qvin ab Apostolo, prospicere, ne qvi stat, cadat.

Q. Nunqvid prava hæccè morum constitutio sivè per immutationem sivè per habitum, sivè per naturam talis deturpat omnes in universum homines, sicut qvidem externè apparet? R. Plurimos qvidem, non tamen omnes. Notorium namq; est, non adeò paucos, probos, devotos ac spirituales homines reperiri, qvi ab initio difficulter tolerabant disciplinam, brevi tamen tempore eò profecti sunt, ut summo eorum exemplo præluxerint aliis: tales verè nuncupantur conversi, tanqvàm qvi simul speciem & ipsam Virtutem pietatis habent.

Q. Dic & qvid illis faciendum sit, qvi qvidem boni sunt, non verò usq; adeò nobiles? R. Oportet eos præcidere fundũ & eradicare defectûs, qvemcunq; malum ordinem sivè in appetitu, sivè in modis aliis inventum: hoc enim per gratiam Dei tàm est possibile qvàm necessarium.

Q. Estnè in hâc præcisione observandus etiam modus? R. Est: nam sine eo si fuerit, præciditur non tantum inutile, sed etiam utile qvod est naturæ. Et certè sunt aliqvi, qvi naturam

ipſam nimiâ caſtigatione caſtrant & perdunt, defectus verò pravasq; inclinationes, qvæ in naturæ gremio inveniuntur, intactas relinqvunt: turpiter hi errant in modo ad perditionem, tales autem plerumq; ſunt fervidi ac rudes homines, qvi tempus maturitatis expectare nequeunt, qvi ipſo momento qvo fundum fodere, purgare, atq; ad fæcunditatem præparare volunt, ipſos ſimul fructus carpere præſumunt; attamen deſtructo bono & laudabili naturæ fundo careant neceſſum eſt fructibus, hoc eſt beatâ, devotâ ac divinâ Vitâ, tunc ſcilicet cùm tempus eſt collectionis. Licet ergò corpus caſtigare moderatè & juxtà capacitatem, non ultrà, cùm omne nimium vertatur in vitium.

Q. Recenſe modum, qvo ſit natura bona tractanda, ut reddatur melior? R. Oportet eam condere (præparare) condimento ſanctiſſimæ Vitæ Chriſti, cujus tanta vis eſt, ut vel exemplariter ſaltem exhibita perficere cuncta valeat, qvæ ſine eâ manent infecta. Hæc ipſa enim eſt, qvâ homo ſuſtentari debet ſine appropriatione, hæc eſt, ad qvam humana ratio flecti atq; deorſum trahi debet ad veram, non fictam humilitatem, cujus qvidem modus is eſt, continua ſcilicet demerſio in fundum omnis veritatis, qvæ Chriſtus eſt. Nam hodiè, cras & per totam Vitam ſuam debet bonus homo ſic comparatus eſſe, ut omnes ejus potentiæ, ſemper attentæ & velut præcinctæ unaquæq; in ſuâ qvadrâ obſervent, ne tàm ſenſus qvàm ipſa Voluntas ſibiipſis aut nimium familiares fiant aut per ſuperbiam averſæ, ſed ut omnes ſuperioris Regiminis miniſtræ in ſuo obſeqvio morem gerant juxtà eum ordinem, qvo ſunt ſubjectæ divinæ voluntati, ſic ut qvicqvid fit & non fit, juxtà nutum ejus fiat qvi ſolus præſidet. Quid quod ſtricta hæc obſervantia ſit ex debito concreatæ ſubjectionis, hinc patet, qvàm nihil ejus, quod in ſervitio præſtitit homo, etiamſi totius mundi ſervitia eſſent, ſibi appropriare debeat, ſed potius ſe ſic habere, ac ſi qvæ fecit, ab alio facta eſſent: nam eo tantùm modo poteſt fieri, ut Deus opus ſuũ divinum irrefragabiliter in eo operetur.

Q. Recenſe etiam modum præciſionis & eradicationis? R. Modus is in hocconſiſtit, ut homo devotus, quò facilius defectûs eradicet, ſeipſum totum ſcrutetur ac velut circumfodiat quàm diligentisſimè fundum ſuum obſervando qvid ibi reperiatur eradicandum, & ſi quas ibi invenerit adverſas quisquilias, has ſinè morâ quàm parvæ etiam ſint, ejiciat. Ità namq; poteſt fieri, ut brevi tempore expurgatum ac denudatum fundũ æterno Soli exponat illuminandum: quisquis autem obſervantiam eam ac induſtriam neglexerit, nihil unqvàm proficiet. Eccè in quo conſiſtat purificationis modus, nimirùm (ut ſæpeſæpiùs dictum eſt) in ſtudio, obſervantiâ & diligentiâ.

Q. Quid ſequitur illuminationem continuatam? R. Fœcundam reddit ſtirpem hominis adeò, ut creſcat in arborem fructiferam, hoc eſt, ut homo bonus proficiat evadatq; in hominem divinum, qui tunc nil niſi ſolum Deum reſpicit, curat & patitur, hinc nec mundus nec diabolus nec infernus quicquam poteſtatis in eum habeat. Qvo magis etiam Diabolus tali homini adverſatur, hoc ipſe penitius Deo coarctatur, ſic ut ſi poſſibile eſſet eum in infernum trahi, ibidem Deum & beatitudinem inveniri oporteat. Ideoq; divinus homo non habet qvod timeat objecta in adverſum ſibi obverſantia, cùm nihil ſit qvod poſſit ei obſtare in lapſum. Per illuminationem qvippè continuatam penetratur tandem totus ipſe, ut concaleſcat & inardeſcat, eoq; cum lumine calefactore ſuo uniatur penitus. Deniq; qvi ſolem antecedenter habebat ſibi lucentem, quotiescunq; ſe prudenter ad eum obvertebat, is eo nunc ſemper fruitur ſine interruptione, indè ergò fieri nequit, qvin media ſpontè elabantur omnia, qvaliacunq; etiam ſint, ſivè ſcientia, exercitatio, ſivè oratio, Sanctorum imaginatio &c. Dictum autem eſt, ea ſpontè elabi, ne qvis exiſtimet, ea eſſe antè tempus abjicienda, imò cùm differentia ſit facienda inter media bona, qvæ provehunt & inter mala qvæ impediunt hîc quidem non mala ſed bona intelliguntur, qvorum elapſus ità homini concedendus eſt, uti malorum eradicatio ei injungenda. Ubi notandum,

tandum, bona media elabi per singularem Dei gratiam, cùm Spiritus hominis à Deo trahitur in altum, hoc est, suprà humanum intellectum, qvò tantâ sub elongatione perdatur omnis discernendi facultas. In eâ duarum substantiarum conjunctione nihil est præterqvàm secreta, tranqvilla, silens unitas, nec de respectu, humilitate, patientiâ, (qvaliter diversæ virtutes nominabantur) qvicqvam auditur amplius, tunc enim, cùm evanescit omnis diversitas, mutatur humilitas Deiq; respectus in simplicitatem simplicissimam & essentialem secretam tranquillitatem, qvæ vix & ne vix percipi potest. Hoc est permagnum Dei opus, qvod perficere Deo placuit in unoqvoq; fidelium, ad qvod etiam creati, ad qvod nati sumus, hactenùs qvoq; tenemur cum Christo emori mundo, Deoq; in puritate vivere. Si qvis ergò est verus Christianus, comparet hoc opus solum cum humanis spontenatis traditionibus, & habebit qvò eligat quod sibi est utilius, Deo verò acceptius.

Q. Ad externum hominem nunc redeundo, cui multa externè accidunt, dic quibus cautelis possit homo effugere tot casses & laqueos à Satanâ structos, qui omnes sunt falsa objecta ad decipiendum incautos oblata? R. Solâ verâ resignatione: nam quisquis affectat nihil, non potest à nihilo decipi.

Q. Cùm homines multi mereant tùm aspidi tùm araneis comparari, qvorum venenata natura cuncta in se recepta convertit in simile venenum, eò quod aliis vitio vertunt qvicqvid vel vident vel audiunt, suisq; gestibus brutalibus & verbis immodestis citrà licentiam, & citrà mandatum alios lacessunt, quæritur quali præservativo se muniat aliquis? R. Abstinendum & sustinendum est, id est, tacendum & perferendum: hæc parva medicina resistit cunctis hiscè venenis, quæ solent plerumq; solas inferiores (sensitivæ) potentias inficere, non item superiores (mentis) potestates. Ideoq; cùm quis in bono statu consistit expectando S. Spiritum, interim autem à quopiam excipitur duris insulsisq; verbis vel gestibus, necessum est pacatis suis affectibus utut lacessitis patiatur, seq; taliter Voluntati divinæ

divinæ ſubjectum teneat, ſic namq; nil ei nocebit, qvin eſt futurum, ut & hoc modo præparetur indies.

Q. Qvid debet homo vitare in ſeipſo? R. Oportet ſe præſervare ab omni verbo malo, ſtulto & intempeſtivo: ſiqvidem de linguæ refrænatione multa loqvitur S. Scriptura, & S. Spiritus docuit Apoſtolos loqvi novis linguis, id qvod in Spiritu nobis applicando ſic eſt intelligendum, qvaſi diceres, oportet antiqvam lingvam, loqventem malum renovare, fræno regere & ſtudioſè curare, qvid loqvi homo debeat, qvoniam in hoc latet egregium artificium, ſine quo nil proficit homo.

Q. Qvem finem reſpicit cauta loqvela? R. Si qvis loqvitur, tenetur prius obſervare, an qvæ proferre vult verba, ſpectent honorem Dei, deindè emendationem proximi, poſtremò qvoq; propriam hominis pacem. Nam qvæ hunc non concernunt ſcopum, ſunt ſtulti, inutilis, aut noxii hominis verba, qvæ non ſolùm in vituperium Dei cedunt, verùm etiam ſunt venena illa, qvæ proximùm ſæpè lethaliter inficiunt, & ipſum malè ſanum loquentem ſuà pace privant.

Q. Quale colloquium cæteris magis commendatur, ad qvod ſe homo freqventius componat? R. Utiliſſimum & neceſſariiſſimum eſt colloqviũ cum Deo, (utinam hoc poſſet fieri inceſſanter), qvia ferè omnis receſſus ab eo peccatum eſt. Tenetur unusquisq; linguá ſuâ laudare Deum omni qvo poteſt modo, eiq; debitas referre gratias: & hoc reſpectu rejecit Bernhardus multiloquium externum ſivè clamoſas verborum nundinationes, viciſſim autem laudavit interna Dei alloqvia, qvò freqventiora hoc laudabiliora ea aſſerendo, quà ſolum hoc nunqvàm dici poſſit nimium. Hoc ipſum ſic eſſe facilè colliget, qvisqvis perpendit, qvantas injurias Deus ab homine patitur, qvatenùs in cunctis locis cunctisvè modis, in verbis & factis humanis impeditur Deus, qvominus poſſit operari in eâ ſuâ Creaturâ, qvam fine ſuæ operationis ſibi condidit: hæc omnia tolerat clementiſſimus Dominus, hæc omnia patitur, perfert, ſilet, parcit, expectat tàm admirabili longanimitate, ho-

mo verò excæcatus non considerat, qvaliter Saluti suæ obsistat; annon, si nihil aliud esset qvàm hoc divinæ gratiæ opus, tenetur qvilibet circumspectus incessanter Deo redexhibere gratissimum suum animum.

Q. Quid, quæso, decet homines loqui in conversationibus? R. Novis linguis loqvi decet familiariter, de Deo scilicet, de probâ & virtuosâ Vitâ; neq; enim decet disputare de tàm sublimi materiâ, qualis est de Æternitate, Trinitate &c. qvæ nostrum captum superat, qvantòminus par est loqui falsa, impudica & id genus alia, præsertim inter pocula, cùm etiam perditissima sui & proximi damnatio pendeat à loquelâ, utut cum ratione expressâ, quia contagiosa talis est. Cavendũ itaq; non solùm sibi est à pravo commercio, sed etiam fugienda sunt colloqvia hypocritarum, qui non adeò notabili sed longè perniciosiori veneno quia subtili contaminant penitiora hominis, Spiritum scilicet, incessanter namq; circumambulat communis omnium Adversarius, qvò hominem decipiat artificio etiam subtilissimo, quia ad genium (inclinationem) effícto.

Q. Cùm mores Christianorum hodiè tantoperè varient, vitaq; spiritualis sit rara maleq; intellecta, quæ & à multis ignaris ac deceptis perperàm ostentetur, necessum est, reduci homines ad certa qvædam genera, quorum proprietas per qvandam depingatur figuram gratiâ illustrationis, quæritur ergò: quales possunt in tàm latâ Christianorum Republica depingi per figuram serpentis, qvi reptitione mentitur simplicitatem, veneno odium, volubilitate astutiam prodit? R. Sunt inter Christianos indifferenter multi imò qvàm plurimi, qui vitam spiritualem non arbitrantur aliam esse, nisi eam qvam inter se communi modo ducunt mutato scilicet vulgari exercitio in habitum & assuetudinem. Itaq; simplicitatem referunt in certo vivendi modo, puta in commodâ corporis nutritióne, in lento gressu, externâ benevolentiâ, attamen dura quævis non sustinent, qvia ubiq; suam quærunt satietatem, prætereà invidiosè

osè judicant non ipsis concolores, ut plurimùm etiam seqvuntur suas concupiscentias quærendo conversationes, familiaritates, blandiloqvia &c. & hactenùs opinantur necessarias hascè Vitæ commoditates & Creaturarum usurpationes iis quam maximè licere, qvia nec unqvàm Deo displicere, dummodò in conversatione bonâ vixerint fugatis mortalibus peccatis. Verùm hoc modo sæpè cum antiquo serpente labuntur in peccata privata & publica, quibus tùm sibi tùm aliis bonis vehementer nocent: hâc ratione significantur iconismo Serpentis.

Q. An etiam sunt qvidam, qvorum mores depingit natura Basilisci? R. Omninò: tales autem sunt, qvi qvidem qvoad externam bonitatem ac discretionem sub abjecto habitu promicantem laudantur, verùm tamen pro specie habitûs sunt pariter abjecti animi pleni tentationum impuritatis seu spiritualis incastitatis, cùm non resistant concupiscentiis, sed potius proseqvantur voluptates internorum sensuum.

Q. Dic undè proveniat istæc amentia? R. Indubium est eam exindè provenire, quia in suis quotidianis exercitationibus non habent eum veri finis respectum, qvem debent habere, eâ de causâ concedunt Satanæ liberum aditum tentandi eos graviter, pari de causâ reperiuntur anxii (laboriosi) in tentationibus majoribus sic ut sæpenumerò labantur in externam incastitatem aliosq; defectus pœnales.

Q. Quotuplici signo noscuntur tales? qvotuplici etiam, qvi his contrarii sunt? R. Utrinq; triplici.

1. Signum est: illi sunt valdè inconstantes aliisq; qvorum observant defectus offensi: isti qui verè pii sunt, sunt per lumen divinæ gratiæ constantes sibiq; semper præsentes, cumq; mentalis eorum oculus sit simplex, hinc non respiciunt aliorum quos reprehendant defectus, hinc etiam fit ut Unitatem internam persentiant quæ illis prorsus incognita est.

2. Signum est: homines fictæ spiritualitatis sunt admodum inventiosi, subtiles, syllogistæ, qui imaginando, speculando & ratiocinando in id incumbunt toti, quò possint altum sapere,

ver-

verbisq; demonſtrare, quæ poſtmodum nec ipſis nec aliis ſapiunt præ nimiâ rerum ſubtilitate. Cùm autem nullus profectus è tàm multiplici rerum ſubtilium ac intricatarum varietate pronaſcatur, quam tales contentioſi velut ſaniori doctrinæ nunqvàm cedentes nimis fervidè nec minus obſtinatè propugnant, indè apparet eos eſſe literâ inflatos, ut taceam hoc qvod ſpiritualis eorum ſuperbia magis apparet ex eo, quod exercitium virtutis tanqvàm nimis moleſtum poſthabeant. Aſt probi, qvi his contrarii ſunt, pollent infuſâ Sapientiâ, quà absq; omni difficultate vel prolixitate verum dicunt & probant, hactenùs eorum doctrina eſt ſimplex & proficua, non alta, non ſuptilis, non verboſa, non captioſa, non literalis: nam qvæ talis eſt non provehit ſed impedit, non conſtruit ſed deſtruit; quæ verò non promovet fervoris incrementum doctrina, piis exoſa eſt penitus.

3. Signum eſt: illi quorum falſitate intoxicatus eſt Spiritus, unum hominem plus minus diligunt alio, ſeq; reputant optimos eſſe ac ſapientisſimos, quapropter imponunt aliis ſuos mores, doctrinam, opiniones & rationes recipiendi velut ipſam Veritatem rejectis iis, quæ non ab iis edocta ſunt. O quàm ſunt noxii aliis exemplo ſuo, doctrinâ & moribus, qui usq; ad necem propugnant aſſumta eorum dogmata, imò & iis infenſi ſatis ſunt, qui non externè ſe admodum eorum gerunt. Citrà neceſſitatem capiunt media vivendi excesſivè, minora peccata quæ paſſim patrant floccipendunt, non juſti ſunt, non recti, non verè humiles. Quod reſtat, non ſunt benefici, non pauperem ſuſcipiunt nec proximum juvant ſincero ac ſenſibili adjumento, non compatientes ſunt nec miſericordes, eapropter intus in iisipſis non ſentiunt amorem Dei ut nec virtutem veram, quod omnium deterrimum eſt.

Aſt qui his contrarii ſunt verè pii, contrario ſe gerunt modo ubiq;, comprimis in dilectione, ſiquidem eorum Spiritus emittit flores charitatis, quorum odor Cœlum & Terram penetrat promiſcuè, quia verſus omnes homines adusq; Deum ipſum,

ipſum, per id exemplum Chriſtì imitati, qvi ſe totum exponebat pro cunctis hominibus. Sic deſcribuntur homines, qvi ſunt incaſti foris & intus, ſivè qvoad Vitam & Spiritum, qvi Speciem præ ſe ferunt virtute Deoq; relictis, idcircò non ineptè Baſiliſci iconiſmo depinguntur.

Q. Annon & inter Chriſtianos ſunt, qvos aptè natura Draconis depingat? R. Omnes qvi ſpirituali avaritiæ ſunt dediti, ſolent Draconi comparari.

Q. Quotuplices ſunt hi? R. Avari Spiritu, qvi reperiuntur contrarii pauperibus Spiritu interſtinguuntur qvadruplici genere, qvorum

1 eſt, qvos cernimus ſine ordine inclinare ad obtinendum corporis commoditatem, ob qvam Solatium mendicant à Creaturis, idq; ſic cum recidivâ qvotidianâ, qvatenus eorum deſideria ſunt impetuoſa, ignea & qvaqvaverſum diſcurrentia. Hinc fieri neqvit, quin vanis curioſitatibus illaqueentur, rerumq; ſuarum obliti perqvirant, gloſſentur, deferant atq; proſcindant omnia. Sub peregrinâ, eaq; vanisſimâ ſollicitudine diſtrahuntur eorum cogitationes, mox hâc mox illâc velut undæ à procellis agitatæ, & ſic de mane ad veſperum, qvin recurrente die non uno ſed omnibus vanitati datur animus, nec à minimis poſſunt ſibi parcere, qvibus non turbetur eorum tranqvillitas. Hîc ſi qvis dixerit, ea fieri poſſe ſine peccato mortali, is nôrit non fieri poſſe ſine ingenti damno.

2 eſt, qvi ſtatim atq; iisdem gratia Dei paululum ſubtrahitur, redduntur valdè inconſtantes ſic ut de faciendâ pœnitentiâ nunc talem mox alium modum arripiant. v. g. Cùm qvis proponit ſibi hodiè ſilere, cras loqvi, jam omnia linqvere, mox ſua retinere, nunc hominum converſatione uti, mox ſolitariè vivere. Adhæc ſi qvis qvandoq; cupit multum legere, aliqvandò multa meditari, nunc Sacramenti uſu fervet, mox iterum defervet. Hæc omnia ſummam arguunt cordis inconſtantiam provenientem ab amore Creaturarum malè ordinato. Si aliqvis diceret hîc, eâ cordis inconſtantiâ poſſe

qvoq; tentari eos, qvi Creaturas non usq; adeò amant, nôrit oportet, hanc inconſtantiam habere etiam alias cauſas, qvarum non facta eſt excluſio, qvatenus ea provenit etiam à diſproportionato reſpectu virtutum & modorum externorum ad Dei reſpectum relato, qvod qvidem hodiedum valdè commune eſt, ſicuti totâ die obſervamus transgresſiones mandati humani gravius imputari transgresſione mandati divini, honorem Creaturarum animatarum & inanimatarum exactiori veneratione perfici quam venerationem Dei, inanibus precibus diutius inſiſti quàm validis &c. ſummâ qvidem imprudentiâ ac deceptione; qvin etiamſi qvis Deum reſpicit ſub exercitio ſuo, non tamen non poteſt eſſe inconſtans vel eâ ratione, qvia non ſolum Deum præponit cunctis virtutibus, cunctisvè modis, cùm extrà dubium ſit ab omni inconſtantiâ iri liberatum eos, qvi Deum ſuper Virtutes reſpiciunt & ſuper omnes Creaturas diligunt.

3 eſt etiam inconſtantium ſed frigidiorum, qvi tametſi Deum diligunt, non tamen eum ſolum ſed ſimul commodum temporale diligunt, quaſi liceat res alienas per Charitatem D E I efficere vel contrahere: exin apparet tàm parvam frigidamvè eſſe Charitatem quàm magna cordis eorum Vanitas eſt. Quid quod non advertentibus iis natura ſecretò quærit ſuum bonum & utile in cunctis divini cultûs operibus, dehinc apparet, qvod in ſeligendis modis deliberent diutius immorati convehendorum conſiliorum ſollicitudini. Præterea nimium ſibi parcunt, contemtum averſantur, regimen doctrinæ & correptionis impatienter ferunt, cùm tamen ipſi ad regendum ac docendum inclinent fiſi eloquentiæ ſuæ infructuoſæ. Pro parvis bonis operibus cupiunt etiam multa encomia, nec minus invitas virtutes, ſi qvæ iis ſunt, publicitus prædicari gaudent ſummâ Vanitate, ut philautiam prætercam ſilentio. Annon in talibus occultam ſuperbiam latitare dicendum eſt tantæ inconſtantiæ genitricem? ſummo igitur cum periculo ambulant per anguſtas ſemitas mortalium peccatorum, undè ſi quà pede vacillante exorbitent, præcipiti lapſu ruunt in infernum.

4 eſt, quos inconſtantia tradidit in oblivionem Dei, ſuiipſius, veritatis, omniumq; virtutum: is enim eſt ſuperbiæ effectus noviſſimus, qvod conjicit ſibi ſubditos in anxietatem, qvo neſciant qvid iis factu opus ſit. Oblivionem Dei ſeqvitur incuria exercitii & tædium converſionis, dehinc facilimè relabitur homo in omnis generis peccata, ac ſi neqvicqvam cognitionis de Deo habuiſſet unqvàm: hoc autem facto verendum eſt, ut vix & nevix reſurgat, nì ſeriò convertat ſe ad Vitam & Mortem clementiſſimi Domini noſtri. Qvod ſi verò à gravioribus peccatis ſibi caveat & tantùm intus labe peccatorum affectus maneat, applicat animum ad ſtudia, ad regimen aliaq; multa negotia, quo ſtatum ſuum exaltet.

Q. Quid ſi tales, uti ſæpè fit, in ſtatum dignitatis evehuntur, qvò alios regant, annon plus mali qvàm boni infertur communitati? R. Omninò: qvoniam per id qvod foris apparent conſtantes & ſpirituales, inferunt damnum ſimplicibus ac bonis, qvi tunc in ſuæ inverſionis viâ conſiſtunt, exemplo verò ſuperiorum abſterriti in ipſo progreſſu curſûs ſui pedem figunt.

Q. Quodnam eſt exemplum eorum, qvo remorantur profectum puſillorum? R. Exemplar detrimentoſum conſiſtit in eo, qvod cultum ac miniſterium externum ſtrictè obſervant non ſine moleſto labore, & ſuper ſtrictam hanc obſervantiam, cui obſtringunt omnes homines, totum chriſtianæ Vitæ & neceſſitatis cardinem volvunt, quaſi nil utile nil neceſſarium ſit prætereà. Cùm autem defectu doctrinæ promoventis ſubſiſtant hic boni homines, nec ultrà progrediantur tàm qui voluerant quàm qvì potuerant, quis neget eorum exemplum officere plurimis irreparabili damno? Per id autem quod ſpiritualiter avari usq; ad Vitæ ſuæ finem perſiſtunt in ſuperbiâ & pervicaciâ, qvâ non tantùm ſeipſos, verùm etiam alios multos unà perimunt, figurâ Draconis meritò deſignari poſſunt.

Q. Annon inveniuntur etiam inter Chriſtianos qvidam, qvo-

rum figura desumitur à naturâ Leonis? R. Sic etiam: Nam uti superbum hoc animal est juxtà antiqvam fabulam toti qvadrupedum generi præfectum; ità docent Theosophi superbiam spiritualem esse tentationem omnium supremam; eâ ergò figurâ depinguntur, qui in Vitâ spirituali tentationibus acutis irretiuntur, è quibus se sine singulari Dei gratiâ evolvere nequeunt. Cùm enim Vita spiritualis sit altioris indaginis, donumq; multis aliis præcellens, seqvitur eos esse nimis præsumtuosos ideò qvod tantùm suo arbitratu non etiam divino adjutorio eam aggredi tentant, quæ præsumtio non nisi superbiæ effectus est: hi quoniam in rebus externis, non autem in Deo defigunt animum, perveniunt nunqvàm ad finem exoptatum.

Q. Cùm naturali propensione Creaturæ cunctæ ad quietem & oblectationem, taliter quoq; pii homines ad Deum ferantur, cur imputatur aliis, quod in semetipsis pariter & in Creaturis sinè scitu erroris statum quietum quærunt? R. Ideò tantoperè imputatur malis, quod indè oritur superbia omnium suprema & tentatio maxima, à qvâ non facilè datur recessus propter bonum appetibile quod è delectatione & qviete naturaliter percipitur.

Q. Quid sentis de eo, qvod plerumq; Juvenibus minusvè exercitatis hominibus usu venit, qvi bonum sine curâ diem qværunt, eamq; externam quietem & otium cum gaudio suscipiunt? R. Sic sentiendum est, qvod totum id qvod amplexantur, secundùm naturam sit, secùs enim si natura impeditur in suâ qviete, non potest fieri, qvin tandem in peccatum convertantur omnia. Hæc autem fuga curarum vitæ est, cùm sensus hominis sunt liberi & vacui, undè tranqvillitas sensuum, dummodo incuriæ gratiâ ab imaginativæ actibus se liberare valeat. Decipiuntur autem omnes, qui se demittunt in tranquillitatem naturalem sub exercitii interni defectu, qvatenùs non inqvirunt nec inveniunt Deum per medium charitatis.

Q. Cùm homines quidam reperiantur qvorum animus tranqvillus est haud dubiè ob naturam temperatam & pacatam,

quæ-

quæritur, an eadem ſit tranqvillitas cum eâ, quam ex intentione qvidam in falſo ſuppoſito æmulantur? R. Utraq; eſt eadem, qvia qvò natura in uno propendet, eò in altero perducit conſuetudo, ità qvidem fit, ut per aſſuetudinem acqvirant tranqvillitatem, qvi ſibi propoſuerunt eam qvam de naturâ non habent; qvi verò jam poſſident eam, liberantur à turbis & Idearum multiplicitate, eoq; id aſſeqvuntur uſu qvod aliis eſt de naturâ. Verùm non invenitur Deus ſub hâc ipsâ tranquillitate, qvæ merè naturalis eſt, paganis ac Judæis tàm familiaris qvàm chriſtianis etiam pesſimis, imò qvæ tantò major ac ſenſibilior eſt, qvantò qvis omiſsâ ſcrutatione conſcientiæ à cunctis actionibus & accidentibus ſe poteſt liberare, id qvod etiam humana aſtutia facilè perficit.

Q. Annon & bonis commendatur iſta tranqvillitas? R. Neutiqvàm! Bonis namq, nulla eſt tranqvillitas, qvamdiu perfecti non ſunt; ſed & perfectorum diverſisſima eſt tranquillitatis Conditio; aliàs autem qvà charitas Dei nunqvàm eſt otioſa, non poteſt homo bonus diu immorari naturali tranqvillitati (qvam non ineptè alii appellant otium) alioqvin non Deũ ſed ſeipſum quæreret. Quod autem quietem Sanctorum attinet, quæ per Deum & in Deo obtinetur, ea eſt jucunda omnium rerum excluſio facta cum ſimplicisſimo obtutu in Claritatem Dei incomprehenſibilem. Et hæc ipſa ſancta tranquillitas activè ſemper quæritur in Deo ardenti cum deſiderio, imò & invenitur ſub inclinatione non otiosâ & tametſi obtinetur in charitate ferventiori, nihilominus tamen ſemper quæritur. Eſt ergò nec illa quæ perfectorum eſt otioſa tranqvillitas, qvia ſemper interno actui juncta.

Q. Quæritur ergò, nunqvid præfata tranqvillitas naturalis peccatum ſit necnè? R. Quatenus cunctis hominibus naturatenùs ineſt, qvò velint, ſi poſſent, otioſi eſſe, eatenùs non eſt peccatum in ſeipsâ, id eſt, quoad eſſe; verùm cùm ſine virtutum Exercitio ſtudiosè comparatur, vertitur in peccatum, ſiquidem excæcat hominem, qvò Deum obliviſcatur, ſeipſum quoq; &

omnia, exindè labitur miser in spiritualem superbiam, puta philautiam &c. qvæ Cæcitas ejus dehinc manifesta redditur, quod nonnunquàm arbitratur se Deo adhærere in Unitate, cùm tamen nil minus unqvàm fieri queat.

Q. Cùm autem præfata tranquillitas sit falsa, quid sequitur indè? R. Falsò putat homo virtutem exercitium impedire eum, qvominus suâ rectè fruatur reqvie, hoc modo perseveranter resistit influxui & operationi divinæ.

Q. Quomodò vocantur juxtà Scripturam, qvi nil nisi falsam in naturâ quærunt reqviem? R. Hypocritæ vocantur ore divino, qvatenùs virtute virtutem se putant possidere, cùm tamen virtuti totaliter sint contrarii, quocircà in iis completur verbum Scripturæ: Vos semper resistitis S. Spiritui.

Q. Cùm falsum ex falso nasci soleat, annon è falso hoc otio oritur falsitas alia? R. Omninò provenit indè falsa quædam spiritualitas, nimirùm ea quam vocant spiritualem libidinem, quatenus homo qvi sine ardenti versus Deum desiderio tranqvillitatem cupit in otio, est aptus ad subeundas omnis generis tentationes. Etenim quatenùs à Deo aversus, adq; seipsũ conversus est amore naturali, eatenùs qværit in semetipso solatium & voluptatem pro lubitu fingendo Ideas acceptas & promittendo sibi futuras delicias, insuper pro obtinendâ suâ commoditate adversa multa patitur. Quisquis taliter facit, seipsum possidet in malè ordinatâ sufficientiâ, non obstante gravi qvorundam pœnitentiâ qvam faciunt tùm ad gloriam sanctitatis eorum, tùm ad promerendam magnam mercedem, cui ob philautiam etiam succurrit natura, qvæ cupida est tàm temporalis gloriæ qvàm mercedis æternæ.

Q. Cùm tales homines plurimùm exorent Deum, nonnunqvàm etiam juxtà singulares petitiones utut ineptas exaudiri videantur, scriptum autem sit, Deum non exaudire peccatores, dic qvid indè censendum est? R. Rectè adjecisti verbum videantur, cùm non exaudiantur sic, ut Dominus dono gratiæ satisdet iis, sed tantùm videntur exaudiri, qvoniam cùm evenit

nit id quod ſuis expetierant precibus,cenſendum eſt id permittente Domino effectum eſſe per Spiritum malignum: ſic ſunt decepti qui opinantur ea ſibi à Domino obveniſſe propter merita & beatitatem eorum.

Q. Cùm noverim ſpiritualiter ſuperbientes homines,internâ Dei gratiâ & ſolatio carentes, ignorare qvantum iis deficiat, exhilarari tamen à quovis externo ſolatio, nec minus libidinosè propendere ad voluptatem internam, dum putant fore, ut prægustent ſuavitatem naturæ à Spiritu inverſæ, quæritur, num hæc ad ſpiritualem impuritatem pertineant necnè? R. Hæc omnia ſunt & vocantur ſpiritualis libido, cùm conſtet eam eſſe inclinationem ad amorem naturalem reflexũ ſemper ad ſemetipſum, undè nequit fieri qvin commodum proprium qværat ſemper, ubiq; ſivè in omnibus.

Q. Cùm mihi occurrerint aliqvi tàm obſtinato deſiderio qvarundam rerum cupidi, ut potiundarum ſpe fruſtrati velut in furorem acti ſint viſi, dic, quæſo, an etiam vobis unqvàm tales fuerint conſpecti? R. Et ſunt conſpecti & experti plures tàm depravati appetitûs ſpiritualis, ut etiam qvàm pesſimè audierint: tanta qvippè eſt ea inquies, ut nonnulli obſideantur à Diabolo, poſteaqvàm libidinem ſuam explere neqveunt non obtento eo quod ſivè à Deo, ſivè ab hominibus, ſivè aliundè tàm pervicaciter concupiſcunt. Annon hæc ipſa eorum Vita tota adverſa eſt S. Spiritui?

Q. Ut autem è contrarietate eluceat dictorum enormitas, oſtende paucis, qvinam ſit ex oppoſito deſirderioſus bonorum ſtatus? R. Quatenùs homo bonus ſe totum ſimul ac qvæ eidem adhærent bona, actiones virtutes impendit ad ſolam Dei gloriam, hactenùs nil ſufficit ei ſatiando præterquàm Bonum ſummum quod incomprehenſibilis Deus eſt.

Q. Annon divinus & naturalis amor comparatè in aliqvo conveniunt? ſi hoc, qværitur in qvo differant? R. Conveniunt in externo operum apparatu tantâ paritate, ut nulla perſpiciatur diſparitas; verùm in reſpectu finis interno differunt to-

toto Cœlo. Nam Spiritus bonus desiderando semper qværit gloriam Dei corde sursum levato, idq; tàm privatim quàm publicè; ast amor naturalis semper ad seipsum reflexus amat suum potius qvàm Deum, indè labitur homo in qvadruplex peccatum, puta in superbiam spiritualem, in Avaritiam, repletionem & in libidinem, cujus exemplum exhibet lapsus primi hominis, superbiæ quidem mandati transgressione, avaritiæ verò sapientiæ aviditate, repletionis fructûs interdicti esu, libidinis deniq; mulieris compressione. Cuncta crimina hæc ut mox inseqvebantur philautiam, ità eandem comitantur hucusq; in omnibus seipsos ardentibus.

Q. Cùm satis dictum sit de spirituali superbiâ & avaritiâ, quæritur, annon & plures dentur tentationes spirituales, qvæ timendum sit ne ad majorem cumulentur deceptionem eorum, qvi sunt superbi & avari facti? R. Adhuc duæ supersunt iis ut plurimum familiares, qvi se comtemplativos reputant, prioris omnium pessimæ signum est naturalis qvies in otio percepta; hujus causâ putant qvi decepti sunt, se liberos esse à peccato, Deoq; immediatè unitos eò quod & mandata Dei & virtutes activas transcenderint, quibus eatenùs hoc otium præponunt pertinaciter, detrectantq; obedientiam in subjectione. Quod autem sic auscultant divinæ operationi eoq; putant operationem Dei intercipi ab actione, recusant operari juxtà virtutis requisitum: Et ut eorum otium sit consummatum, Deum nec obtinere, nec orare, nec desiderare, nec amare, nec confiteri, nec laudare, nec gratiis venerari cupiunt. Opinantur autem, eos cuncta jam possidere qvæ exoranda erant, ut hactenùs sit super vacanea omnis oratio, imò & inconveniens paupertati, quam profitentur, Spiritûs; carere qvoq; se putant propriâ voluntate postquàm possessiones suas deseruerunt sine seipsos implicandi permultis opinionibus, hactenùs persuasum habent, superâsse eos nunc omnia, qvorum causâ mandata & institutiones traditæ sunt. Præter hæc etiam, qvod superatis virtutibus se censent solutos operum vinculo, prætexunt

xunt laborem longè graviorem qvi depositioni virtutum qvàm qvi earum acquisitioni impenditur. Tàm magnum eorum argumentum est pro excludendâ obedientiâ & vindicandâ libertate.

Q. Recordor me tales homines vidisse, qvi si non ex toto saltem forinsecùs obedientiæ formam prætulerunt, ad qvid ergò dicis eos subducere se obedientiæ? R. Quantumvis tales obedientiam nonnunqvàm foris simulent, qvà tamen simulata est, nulla est: qvid qvod intrinsecùs nec verbo nec facto cuiqvàm subjecti sunt, qvatenùs apertè homines pronunciant tamdiu imperfectos ignarosvè libertatis & paupertatis spiritualis, qvamdiu allaborant virtuti acqvirendæ. Indè liquet, qvàm opinentur se amplius non posse proficere in virtutibus, neq; peccare, qvia evectos super Choros Angelorum & super omnia merita humana. Ad hæc notorium est, qvod tales homines qvi à suis opinionibus excæcati putant suppressâ voluntate se carni mortuos esse, qvoad Spiritum autem in Vitâ tranqvillâ unitos Deo, sunt execrabili superstitione tentati, sic ut falsò insuper credant iis non esse latam legem, nec imputatum iri ad reatum, qvicqvid ab iis factum fuerit animo libero, qvoad id natura concupiscit, qvoad etiam summæ eorum innocentiæ libertas competit, ne fortè meritorium eorum turbetur otium (qvies). Qvid ergò mirum, si qvi pro lubitu suo vivunt absq; conscientiâ, nunqvàm solliciti sint de exercitio virtutum, nisi fortè gratiâ hominum, qvo videantur ab aliis. Juxtà vivum hoc exemplar probet seqvi velit, num sibi conveniat necnè!

Q. Cùm juxtà Scripturam sit impossibile, ut ullus mortalis homo antè & post Christum sit vel fuerit sine peccato, verum autem & hoc sit, qvod homines modò descripti non fateantur sua peccata sine quibus esse nequeunt, annon sunt iis præferendi publicani & peccatores, suorum criminum Confessores? R. Id sacra Scriptura asseverat, cui omninò credendum est, id qvoq; eventus rerum probat, cùm sit compertum, ta-

les converti posse qvàm difficilimè, quatenùs eorum aliqvi ab ipso maligno obsidentur Spiritu, reliqvì verò tantâ pollent ingenii subtilitate, ut verbis vix unqvàm queant convinci. Hi omnes non sunt absimiles damnatis Spiritibus, qvoniam & hi non habent desiderium, non amorem, non confessionem, non devotionem, non gratitudinem, non benedictionem: sunt enim damnati. In hoc saltem differunt, qvod Spiritus damnati jam sunt in æternitate, homines verò iisdem similes in tempore adhuc, diem autem non observantes, qvà Dei justitia revelabitur super eos.

Q. Convinci si neqveunt, undè constat deceptos eos esse? R. Ipsa Vita Domini nostri unà cum S. Scripturâ est Lapis Lydius, cujus affrictu probatur eos esse deceptos, est qvoq; regula, qvà cognoscimus Jesum Christum semper amare, benedicere, desiderare & laudare Patrem suum, atq; per hoc exemplum commonere nos debiti nostri consistentis in ejus imitatione & assimilatione. Is enim tametsi erat & est unitus divinæ naturæ, undè vocatur Splendor cœlestis Patris, nihilominus ad pauloantè descriptum otium nunqvàm pervenit; adhæc benedictus noster Salvator, cumq; eo omnes sancti fruuntur ipso Deo in Unitate, qvæ ipsa beatitudo est, sic ut eorum desiderium censeatur nunc in æternum satiatum, attamen est atq; manet in iis sine satietate desiderium æternum amandi Deum eoq; fruendi sine fine. Hâc de causâ perfrui eo qvo fruendum est, taliterq; incessanter operari est ipsa sanctorum Beatitudo, & talis sivè eadem una Vita est bonorum hominum omnium, id est, non nisi juxtà mensuram & intensionem charitatis cujuslibet discreta, sicut & est una permanens in æternum justitia.

Q. Qualis est deniq; spiritualis tentatio qvarta, sivè secunda hominum contemplativorum, qui in personâ parvorum Antichristorum parant Viam ad Apistiam & damnationem? R. Quanquàm & hi sint è genere contemplativorum, distiguuntur tamen à prioribus, quod tametsi in multis inter se conveniant,

ant in qvibusdam tamen dissentiunt, ut in hoc, qvod illi se profitentur non posse proficere in virtutibus, isti verò dicunt se posse mercedem promereri. Est autem secunda eorum tentatio, qvod falluntur falso eo mentis conceptu, qvasi sint etiam liberi à qualicunq; exercitio, hactenùs se solùm gerunt modo passivo dicentes, opera quæ Deus in iis tanqvàm in suâ officinâ ac per eos velut cum instrumento appropriato fabricat, præcellere in causâ meriti & mercedis cunctis iis operibus, qvæ alii operantur homines æq; in gratiâ Dei. Per hoc autem proditur eorum deceptio, qvod tametsi nihil operantur, nolint tamen ipsi mercede carere.

Q. Cùm tales ad patiendum quævis Dei opera se coaptaverint, non mirum est, si sic cum tempore obdurescant, ut quæ illis accidunt adversa, facilè tolerent, sic autem observatur, eos in qvibusdam mentiri probos homines; quæritur ergò, annon & alia falsitas in iis deprehendatur? R. Id etiam: nam quatenùs cuncta quæ faciunt, divinæ operationi adscribunt, quasi nil nisi quod Deus actum velit, per eos fiat, eò dementiæ perveniunt, quo censeant eorum opera carere peccato, omnesq; eorum impulsûs, motûs & actus bonos vel malos & quicquid indè sequitur, esse instinctiones (operationes) S. Spiritûs. In hoc apparet, quod falsi sint & graviter decepti, cùm S. Spiritus nullo modo, in nullo homine unqvàm excitet vel operetur res inutiles, Vitæ Christi pariter & S. Scripturæ adversas.

Q. Quo signo cognoscuntur tales, si sunt tàm promti errorem suum miris modis interpretandi ac defendendi? R. Noscuntur hi signo obstinati arbitrii, ut qui malint mori quàm cedere repugnanti Veritati etiam in minimo puncto suarum opinionum, quas semel defendendas susceperunt.

Q. Cùm è præfatis liquidò appareat morbos hoscè spirituales esse deploratos vix unqvàm curabiles, quæritur meritò, quomodò à morbo quis præservare se queat, cujus vel anceps vel nulla est curatio? R. Ne quis afficiatur hujuscemodi lethū inferentibus morbis, muniat se oportet antidoto seqventibus

ingredientibus confectâ. Juxtà Scripturam enim & juxtà exemplar vitæ Christi probatæ fidei est, qvod

1. Nulli homini liceat se subtrahere observantiæ mandatorum Dei, ut nec virtutum exercitationi.

2. Nemo potest adunari Deo in otio sine desiderio & charitate Dei.

3. Nemo potest vel esse vel fieri sanctus sine bonis operibus. qvatenùs omnes homines ad bona opera obligantur.

4. Nemo potest conquiescere in Deo sine divino amore.

5. Nemo potest eidem applicari, qvod non vel sentit vel desiderat.

6. Nemo debet suo otio (quiete) impedire vel prorsus excludere operationes Dei, cum qvivis propriâ suâ gratitudine teneatur cum Deo cooperari.

7. Nemo debet servire Deo sine laude, glorificatione & gratiarum actione, Deus quippè est conditor Creaturarum omnium omnipotens ac dives sine fine: solus ipse potest dare & auferre pro placitu homo verò donum Dei recipiens potest proficere, crescere & ambulare de virtute in virtutem quamdiu vivit: nam cùm operatur homo, cooperatur Deus, cùm homo laborat, donat Deus incrementum.

Q. Qvodnam autem & qvale est opus ipsius Dei? R. Id in seipso consideratum est immutabile & æternum non habens profectum, incrementum, nec largiens meritum Creaturæ divinum opus suscipienti, cùm Deus nil aliud operetur qvàm seipsum, ideoq; longè alius est respectus operis divini, aliaq; conditio operis naturalis, qvalia Creaturæ per Dei potentiam habent velut qvid proprium in naturâ, in gratiâ & in gloriâ; & cuncta hæc opera naturalia qvanqvàm meritoria sint & gratiæ Dei tribuantur, qvà tamen naturæ conatum unà respiciunt, longissimo intervallo distant ab eo opere, qvod solius Dei est adeoq; nec meritorium, quia divinum, imò Deus ipse.

Q. Cùm otium præfatum esse falsum ac deceptorium exin appareat, quod Deus æternùm beatus est, tametsi nil sui divini

vini operis operetur in homine otioso, vel in nullo, vel in alio, vel tantùm in Creaturâ Angelicâ, adeoq; ex ipso opere divino nil Sanctitatis accrescat homini, nil emendationis aut meriti, quæritur, undè nostra procedat Sanctitas & Beatitudo? R. Ex eâ tuâ negatione liqvet abundè, non posse beatos nos fieri in otio, ergò non sine amore & confessione Dei, non sine propriis operibus, oportet autem nos sanctos ac beatos effici mediantibus virtutibus & operibus nostris, charitate, confessione, cultu &c. qvæ omnia in gratiâ Dei cooperante facta & futura credimus.

Q. Ne qvis decipiatur, quæritur, qualiter se queat homo ornare virtutibus intus & extus? R. Vera virtus rectissimè potest conqviri juxtà Scripturæ institutionem. Ad hæc expedit Deo se tradere cum omnibus actionibus, qvia sic pervenitur ad Deum mediatè, medio scilicet donorum Dei promoventium. Id quidem omnium primò faciendum est, qvia futurum sic, ut Deus nos tangat activâ charitate, se undiqvaq; diffundente hominesq; replente. Hæc charitas ideò dicitur communis, qvia cunctis impendenda sine delectu: hâc autem conqvisitâ expedit emanare cum eá, & subseqventer remeare cum laude Dei in verâ Charitate, sicq; in pace perseverare constanter & simpliciter. Possibile enim, ut simul per charitatem activam & per charitatem divinam nos ipsos promoveamus in Unitatem Dei, ubi æternum est permanendum. Hoc ipso Charitatis effluxu ac refluxu possidetur vera virtus & non alio.

Q. Qvid de communi Charitate dicis? R. Qvod ea in multis hominibus hodiedum exstincta est, sicut in omni statu reperiatur charitas partialis nuspiam perfecta. Qvilibet amat seipsum & eos tantùm, qvibus frui potest. Communis autem charitas qvam oportet habere, nihil excludit imitata charitatem Dei, hinc si se posset communicare simul bonis & malis, libenter faceret propter Deum & cum hâc charitate debet homo operari.

Q. Cùm autem de laude & confessione dixeris, non posse sine iisdem beatificari hominem, qvomodò potest salvari contemplatio, quies & tranqvillitas? R. Unum non excludit alterum, qvoniam hæc spectant internum, illa externum hominem.

Q. Quodsi prægustum qvis habuerit immensæ Dei gloriæ, qvalis effectus indè seqvitur? R. Sublimatur mens ejus tantoperè in charitate, gratitudine & veneratione Dei, ut qvod minus Deo est, nullo unqvàm tempore sapiat homini. Nam qvicqvid creatum est aut potest creari, immensum distat à Deo, ut unà cum Angelis perfectisq; Spiritibus merum nihil sint respectu altitudinis divinæ. Hæc supersubstantialis essentia trahit animum humanum tàm potenter in sublime suprà seipsum, ut eo sub transitu excidat omnis actio laudis & confessionis. Taliter bonæ Vitæ homines desideriosè pertranseunt virtutes singulas, imò & eas transcendunt, prout in specie cernimus à magno Carbonum igne flammam erumpere altumvè petere relicto ignis strue, qvoniam opus est ut homo animum suum ab omni cogitatione, imaginatione & operatione sensitivæ sinat liberè elevari suprà sua & aliarum Creaturarum opera in immensurabilem altitudinem supersubstantialis Deitatis: in tali homine potest Deus facere opus suum, qvaliter & qvandò vult sine impedimento.

Q. Si verò adeptum hominis elabitur iterum, qvæ causa mutationis? R. Hæc indè provenit, qvod acceptando suavitatem sibi appropriavit, à qvo vel maximè sibi cavendum est, si velit perseverare in fundo divino.

Q. Dic cur hoc nobile fundum reperiatur magis in juvenili qvàm senili ætate? R. Ideò quia senes appropriata sua instituta & modos obstinatè retinent, suntq; præ defectu mansuetudinis impatientes & faciles ad judicandum, cùm tamen mansuetudo nedum inserviat huic fundo, qvin etiam plus operetur intrò qvàm resignatio, quæ spectat externum hominem.

Q. Siccinè censes quod fundum internum maneat abscondi-

tum

tum his, quorum operatio non extenditur ultrà externum animalem hominem? R. Imò externus sensitivus homo præ ruditate & amentiâ non potest ad hoc profundum Dei pertingere, cùm & vulgare sit eum, qvi velut re benè gestâ cum Deo se in sublime pervenisse putat, ne infimum gradum interni sui fundi veraciter agnovisse. Insuper si Deus misericors tales homines introrsum trahere vult, contendunt cunctis viribus, quò Deum superbè extrudant, ac si Diabolus esset suis interim appropriatis modis inhærendo. Per id corrumpunt fructum in fundo interno aliàs nascentem, sicut uredo fruges terræ destruit; & præter id omne accedit malignus Spiritus curiosè pervestigatum, num aliqvid inveniat ibi quod suum est, & si qvà vos invenerit adhæsivos, jam visco tenacius hæret, donec Vitam fallat vosq; prosternat.

Q. Quomodò sunt corrigendi qui suum externum hominem nolunt abstrahere à querelis, inutilibus colloquiis & variis externis actionibus? R. Oportet, ut suum internum hominem soli Deo subjiciant, externum autem humiliter submittant tùm Deo tùm cunctis Creaturis. Nam sicut fidelis servus attendit sedulò, quò faciat quod mandat Dominus; ità debet externus homo sagaciter internum observare, ut qvotiescunq; mandaverit aliqvid, obediat ei quantum possibile, in omnibus modis & actionibus: & sic deberent silere, sustinere, vitare, seq; invertere in fundum internum. Ast hoc non faciunt externi homines, qvi juxtà suos sensuales modos solùm operantur, aliosq; insuper eò tractos hisdem externis modis implicant, qvod fieri minimè debet.

Q. Dic à quo sit instituta interna hæc Vita & undè imitationis habeat rationem? R. Hæc sancta Vita est solùm à Spiritu S. instituta in unaqvâq; divinâ animâ, qvæ solum eum intendit, propterea manendum est in mansione virtutum internarũ exturbatâ philautiâ & affectatione, qvæ semper sustinaculum quærit. Noscenda & imitanda est charitas Christi, qvam in cruce exhibuit sub acerbissimâ miserrimâ desertione, cui similem

lem nullus unqvàm homo habuit & ob qvam Patri ſuo acceptisſimus erat, cùm clamavit: Deus meus qvare me dereliqviſti: tunc enim juxtà virtutes erat verus poſſeſſor ejus qvâ utitur nunc, Deitatis, qvæ ipſe eſt. Hæc Chriſti charitas eſt, quæ ſenſum omnem ſuperat, cùm qvod neceſſarium nobis erat & videns & volens peramanter paſſus eſt. Ad cujus Exemplum ſi qvis dum ſe deſertum ac miſerum ſentit, perſiſteret ubiq; in reſignatione æquali, eſſet cœleſti Patri acceptisſimus.

Q. Cùm in abſtractis talibus hominibus Deus procul dubio regnet, dic, quæſo, qvid fundum eorum fructificet? R. Ibi naſcitur pax Dei eſſentialis, qvà ſemel adeptà cavendum eſt, ne adimatur iterum ab Angelis, dæmonibus, vel ullâ Creaturâ.

Q. Quid ergò cum exteriori homine faciendum, qvi eſt in culpâ, ut præcaveri vix queat ademtio? R. In hoc fundo opus eſt, ut homo interior in poteſtate ſuâ habeat exteriorem hominem ſuppreſſum tenendo eum Deo ſingulisq; Creaturis ſubjectum, inſuper & ſuſpectum habendo cui non fidatur. Externus homo regendus eſt fræno, ne homini interno ſit obſtaculo in ſuis nobilibus modis & actionibus, neq; etiam in cupitorum defectibus, cùm fieri nequeat pro tempore, ut homo ſit ſine cupiditate & oblectamento.

Q. Quomodò poteſt regi externus homo? R. Sic poteſt, ſi virtualis diſcretio dominium habet ordinando, ut omnis oblectatio ſit ſolùm in Deo & propter Deum. Quod ut tantò felicius procedat, implorandum eſt Dei adjutorium: hoc enim cùm Deus non derogat roganti, fit, ut Deus largiatur ei divinam potentiam qvæ fortificat, & ſapientiam, qvæ illuminat, & Clementiam, qvâ penetrat, id qvod probè notandum eſt.

Q. Cùm in præcedenti paginâ dixeris Reſignationem ſpectare tantùm exteriorem hominem, videtur materiam hanc exigere, ut aliqvid hîc adjicias de reſignatione, inprimis qvia tàm cupidus ſum nôſſe, cur Reſignationi tantum tribuatur? R. Hoc ideò fit, qvia vera reſignatio eſt capax omnium gene-

ne-

nerationum, donorum & virtutum, qvas Deus unqvàm daturus est; contrà mœstitia maximoperè obstat, corrumpit vitam, obscurat lumen, ignemq; divinum in corde humano exstinguit. Quisquis per amorem sibi abrenunciat sivè in proprietate sivè in utilitate, sivè in servitio proximi, qvocunq; demum in opere, ità ut purè propter Deum seipsum linqvat, is in cunctis operibus suæ resignationis similis fit Christo, qvi propter salutem aliorum seipsum deseruit patiendo crucis torturam. Noscendum autem est, resignationem supponere Sapientiam, qvæ consistit in edomatione (mortificatione) veteris Adami, adeoq; necessum esse, ut Sapientiæ deditus probet seipsum, num vetus homo devictus & naturalis cupiditas defuncta sit in eo. Nam sicut dici solet: Unius corruptio est alterius generatio; ità fieri neqvit, qvin mortuo naturali homine oriatur nova generatio, proles scilicet nobilior. Sed novi hominis qvalitates sunt humilitas, patientia, obedientia, suiq; abnegatio, qvas in se observet sapiens necessum est, si cupit cognoscere, num sit carnaliter mortuus. Probet unusqvisq; seipsum, dicit Apostolus, qvasi absq; fructu esset, si proba desit. Sed novi hominis qualitates cognoscuntur facilè è signis sequentibus, nimirùm si homo divinus non solùm coràm Deo verùm etiam coràm hominibus in tàm profundam humilitatis abyssum se demittit, ità ut se contemnat præ omnibus, nunqvàm aliis præstantiorem se reputando, id namq; docet Apostolus, undè tàm absoluta humilitas verum exhibet signum carnis virtualiter mortuæ. Alterum signum est, si homo se sentit tàm patientem, ut qvibuscunq; afflictionibus ei obviantibus, sivè sint dolor, anxietas, angustia, ignominia, probrum &c. se obviam sistat, easq; intrepido animo perferat nec inquirat undè proveniant, nùm à Deo, an ab hominibus, cum vel sine suo merito. Nam qui immotus deprehenditur cùm laudatur aut vituperatur, nec accusatione vindicat illatam sibi injuriam, is velut defunctum cadaver Creaturis subjectum est ac dicitur. Idcircò dictum est: beati patientes; imò Dominus

ipſe vindictam in ſe transſum ſit, ne homo vindicando injuriam ultionis igne conſumatur. Tertium ſignum eſt, ſi homo à temporalium Creaturarum curâ tàm alienus eſt, ut earum tanqvàm nonentium planè nullam concupiſcat, ſed totum ſe Deo dicatum, imò in Deum ſe totum converſum habeat. Talis homo verè Chriſtum ſeqvitur, qvi cuncta deſerit præter ſolam Dei voluntatem, non utendo Creaturis alio fine niſi pro ſuâ necesſitate & pro voluntate Dei. Tria hæc ſigna ſunt Lapis Lydius, qvo probatur, num homo creaturis, afflictionibus & ſuperbiæ mortuus ſit necnè, ſiqvidem in prædictorum abnegatione conſiſtit carnis mortificatio. Sed dicent multi præfatam mortificationem eſſe homini imposſibilem, qvà fieri nequit, ne qvæ nutritur & fovetur caro afficiat & fallat hominem. Verùm etiamſi innumera exempla proſtent eorum, qvi mandatam carnis mortificationem in effectum deduxerunt, non tamen negandum eſt, effectum hunc eſſe planè imposſibilem iis, qui nunqvàm eidem adhibuerunt operam. Quodſi mortificatio carnis eſt tantùm effectus externus, quid dicent de paſſione excellentiori qvà longè difficiliori, qvæ ob id vocatur mors ſpiritualis ſeu pasſio informis? hæc namq; afficit Spiritum à Carnis vinculis jam liberum. Quàm dura ſit tentatio, exemplum Jobi declarat, qvæ non rarò omnem diſſolvit patientiam etiam in robuſtis & probatis. Hìc namq; reqviritur mortificatio Spiritûs, ut non ſolùm ſupponamus Spiritum tentationi absq; ſolatii cupidine; ſed prorſus cupiamus etiam mori in eâ juxtà exemplar Chriſti in cruce mortui. Sic enim teſte conſcientiâ implemus illud Apoſtoli, qvod cum Chriſto in cruce mortui ſumus, noſtrumq; Spiritum Solatii expertem in manus Domini tradidimus. Ecce ſequelam Chriſti, qvæ in afflictione & cruce conſiſtit, quæ etſi variisſima ſit, nihilominus qvaliscunq; afflictio pertinet ad qvadraturam circuli, hoc eſt, crucis Chriſti. Et qvia ipſe Dominus hanc viam afflictionis invenit, in eâq; relictis veſtigiis nobis præivit, conſtat, hanc viam eſſe brevisſimam (tutiſſimam) eunti ad Patrem,

trem, qvia per Filium, propterea ſcriptum eſt in S. Petri Epiſtolâ, qvod (qvi peccatum non fecit, pro nobis mortuus eſt datus exemplo, ut ſua ſeqvamur veſtigia.

CAP. VI.

De Converſione & Inverſione.

QValiter ſit homini externo neceſſum coërceri, qvò ſe avertat à Creaturis oſtenſum eſt in præcedenti Capite, proximè nunc eſt tractandum de converſione ejus ad ipſum verum bonum. Eam deſcribit Dionyſius his verbis: Ad veritatem ſe convertere nil aliud eſt qvàm averſio ab amore & cupidine omnium rerum creatarum, & conjunctio ſui cum Bono increato æterno. Sunt enim tria magna impedimenta, qvæ hominis intercipiunt converſionem, utpotè amor Vitæ caducæ, oblectatio è Creaturis habita & voluptas carnis. Qvi ab ambitione & concupiſcentiâ capti ſunt, ſi in iisdem ad ſpatioſum tempus perſtiterint, afficiuntur tandem ſtupore ſeu inſenſilitate cordis, ſic ut adverſitates qvaslibet libenter ſuſtineant, modò ſuâ taliter poſſint frui voluptate dehinc ſimiles facti antiqvis Iſraëlitis, qvi in Ægyptum remeare malebant ad intolerabilem laborem luxuriante animâ Carnes & allium, qvalem cibum præferebant cibo cœleſti & reqviei magnâ cordis pravitate. Nonnè in noſtris chriſtianis completus eſt typus luxuriantis populi Iſraëlitici, cùm priſcis carnis Cupiditatibus dediti ſumus dedignati obſervantiam dominicorum præceptorum?

Q. Si vel unica Creatura tantoperè indurat, ne Deus qveat ingredi in ſuam poſſeſſionem, qvid eſt dicendum de iis, qvi ſpeciem habent, virtutem non habent, qvi deſertâ aqvâ vivâ non lumen in ſe nec vitam habent, qvales ſunt, qvi externis modalibus atq; per ſenſus intrò illatis ſpeciebus tenacius inſiſtunt non

divertendo inputidum suum fundum, è qvo deberent scaturire vivæ aqvæ, qvi hactenùs non sitiunt, non quærunt Deum? R. Qvicunq; de inventis & institutis propriis sibi complacent ità ut sibi putent sufficere, dummodò qvas intrò per sensus intulerunt species observaverint, indeq; profluxa facta absolverint consueto, cæco, frigido, durovè modo sicut heri & nudius tertius, ità hodiè, cras & in futuros dies singulos, de iis dicendum venit, qvod aquam vivam, hoc est, qvàm suavis sit Dominus, non degustaverint unqvàm; indè qvoq; veraciter subsumendum, eorum fundum esse simile cisternæ, in qvâ non nisi putens aqva stagnat de foris intrò illata. Qvemadmodum enim aqva in cisternis asservata putret ac putet, ità qvoq; superbia, austeritas, ruditas, obstinatio, invidia, maliloqvium, judicium excessivum &c. in cunctis iis deprehenditur, qvi non sedulò incumbunt depurationi cordis, qværendo potius sufficientiam ab institutis externis. Talium hominum Vita est Deo tàm exosa, atq; alia quævis esse potest, qvod indè conspicuum redditur, qvoniam Deus ipse in tantam injuriam graviter animadvertit convocatis ad judicium non tantùm cœlitibus & Amicis, verùm etiam terrâ & cunctis aliis creaturis dicendo per
Jerem. 25. Prophetam: Attendite & admiramini Cœli, qvoniam populus iste patravit duplicem malitiam: Me fontem aqvæ vivæ deseruerunt & foderunt sibi cisternas, cisternas fractas non servantes aqvam. (Quicquid enim humanarum inventionum ex arbitratu proprio promanat, tàm citò deficit qvàm leviter pro-
Jerem. 3. rumpit.) Et ideò dicit Dominus: Incasti fuistis nimium, atq; polluti: hoc est, qvod me deseruistis fontem vivarum aqvarum & fodistis vobis cisternas.

Q. Annon putentium aqvarum receptaculis assimilantur & hi, qvi tanquàm simplices ac stolidos derident eos, qvibus in suis tentationibus consilio efficaci succurrere tenebantur? R. Tales præ cunctis aliis aptissimè comparantur retinaculis olentiũ aqvarum, qvorum, proh dolor! tantus est numerus, ut sit necessum cuivis bono homini persuadere patientiam & silentium.

cùm

cùm longè ſatius ſit ſolatium averſari, qvàm deriſionis ſcandalo gravius tentari. Qvorumcunq; fundum ſcaturientis aqvæ vivæ fons eſt, eorum ſimplex eſt judicium ſine reſpectu perſonarum, in iis non invenitur deriſio, contemtus, vilipenſio, aut præcox judicium aliorum, qvæ nihil aliud ſunt qvàm tetri vapores è putridis aquis exhalantes, quin potius divina charitas promanat è corde eorum.

Q. Qvales autem ſunt, qvi ſapientes volunt videri, & qvi verbis ſuis pondus, factis ſpeciem addunt? R. Ciſternis etiam ſimiles ſunt hi, qvorum ficta ſanctitas externa ſpecies eſt, nam tales comparantur aquæ in receptaculum transportatæ, rupto verò vaſe profuſæ penitùs: Impellentibus quippè procellis, imò & ipſo mortis aculeo ferientibus animam afflictionibus deperit ſpecies fallax omnis detecto fundo ſordido. Tanta tunc in hominibus ſpiritualibus miſeria ſpectanda venit ut tali exemplo terreantur etiam qvorum ſtatus diverſus erat, qvia & tutior & laudabilior.

Q. Qvid intelligitur in ſenſu ſpirituali per immunditiem fornicationis, de qvâ Dominus apud Prophetam qveritur? R. Per eam indicatur perſeverantia in objectis & ſpeciebus caducis adamatis, qvarum ratione abutitur homo ſuis ſenſibus corrupto intellectu. Enimverò cùm deceat hominem per cunctas Creaturas obverſantes ſibi aut ad tractandum objectas ultrò ad Deum progredi, fit tamen inverſo modo, ut per eas concedat ad eas & inter illas oberret ſemper. Hæc eſt pollutio ſpiritualis, turpis admodum, à qvâ benignus Dominus peccantem animam revocare nititur dicens: Convertere, convertere ad Dominum Deum tuum; ſuſcipiam te, & infundam vivam aqvam (veram pœnitentiam & charitatem) dummodò ex toto corde ad me convertas te.

Q. Annon immenſa eſt & admiranda Dei Clementia, qvi non obſtante prævaricatione continuâ enormi tamq; acerbâ qverelà & animadverſione dignâ, revocat peccatorem, cui condonet, imò qvem ſuſcipiat in Amicitiam, ſi ſe ad Dominum

converteret puro corde? R. Ità eſt; & hactenùs commendat Deus juxtà Apoſtolum charitatem ſuam verſus nos ingratos &c. ne ſe excuſet qvispiam, quod obſervandum eſt; ſed pari Jerem. qvoq; obſervatione dignum eſt, qvod dicit Dominus: Niſi au- 2. tem ad me convertimini, futurum eſt, ut vobiſcum eam in judicium. Vocari autem ad judicium nimis periculoſum eſt.

Q. Siccinè metuendum eſt, ut homo perdat ſuam cauſam? R. Qvinimò certisſimum eſt Deum in qvâvis causâ juſtificari, omnes autem in judicium vocatos judicari. Cavendum ſic ſedulò eſt, ne qvis irrevocabilem audiat ſententiam his paucis verbis complexam: Non novi vos; cujus cauſa erat, qvia non eſtis oves meæ. Quæ enim ſunt oves ejus, vocem ejus audiunt, nec alium ſeqvuntur, uti dicit Dominus.

Q. Eſtnè poſſibile, ut omnis qvi vult, convertatur? R. Imò nil magis poſſibile, qvatenus tempus eſt ſubjectum poteſtati humanæ, ità qvidem ut qvod hodiè in ſervitute Domini elaboro, cur cras intermittam non ſit ratio, culpa ſic mea eſt, ſi tempus diſtinguo in meam perniciem, neq; juvat mendacium impoſſibilitatis prætexere, ſi dies unus & alter me poſſibilitatis convincit. Nam ſicut occaſio erat vel fugienda vel arripienda, ità & tempus erat obſervandum ſedulò. Qvod autem Voluntatis inverſio ſit poteſtati humanæ è dono gratuito ſubjecta, conſtat è ſuperioribus. Fateatur ſic peccator culpam ſibi jure meritoq; imputari citrà impoſſibilitatis prætextum, tanqvàm otioſo ac ſomnolento, eoq; infido operario. Illuminati atq; fideles operarii dominantur voluntati, eoq; & tempori, tantò magis occaſioni: nam qvamprimùm animadvertunt occaſionem Concupiſcentiæ, fugiunt eam, demiſſosq; ſe in vulnera Chriſti occulunt amorem & pasſionem Cordibus ſuis imprimendo, imò & frontem ſignaculo Crucis obſignando. Si quæris, qvid indè ſolaminis reportant, reſpondetur, eos armari ſic armis juſtitiæ, qvibus omnes injurioſi temporis tentationes vincunt. Tunc ſcilicet affectiones & cupidines emoriuntur, cùm animi evacuantur à formis ſeu Ideis, atq; ſic conver-

vertuntur in chaos opacum informe, tranqvillum à summo Bono undiq; complexum.

Cæterùm vacuitatem (inane) animi reducti non immeritò vocamus similitudinariè chaos, siqvidem per effectum Creationis Idearum & discretionem formalitatum, undè interna virtutum opera conflantur, apparet qvantum microcosmus macrocosmi similitudinem referat. Nam cùm Imago divina sit purus ac merus Actus, seqvitur chaos ejus non trahere moram temporis in respectu ad inanitatem, verùm appetere discretionem suæ materiæ & reclusionem formarum absconditarum, undè neqvit fieri, qvin prodeant infinitæ Ideæ informatrices, operatrices, discretrices, coadunatrices & perfectrices informis materiæ, qvæ dum nonnisi de cœlesti Prosapiâ sunt, non valent producere nisi Entia, fructûs sivè opera cœlestia, sivè cœlestibus similia, & istæc operatio novaq; constitutio qvam spiritualem aliàs vocant, vocatur Theosophorum nomine inversio sivè intraversio hominis, qvod etymon videtur oppositum esse extraversioni ejus, qvà terreni. Inversio hæc non rectius potest intelligi præterqvàm è cognitione extraversionis, undè solemus dicere: Contraria juxtà se posita magis elucescunt. In extraversione cognoscimus etiam Hyle seu Chaos sensitivæ animæ, qvæ menti (Spiritui) opponitur, ejus appetitus est juxtà carnem seu juxtà sensitivæ naturam, qvi proindè solet in Scripturâ indicari per etymon concupiscentiæ, hactenùs qvæ indè prosiliunt formæ & formata vocantur opera prava, mala, ingrata &c. qvia qvatenus effectus hi se habent juxtà suam causam, hactenùs etiam eorum permanentia se habet qvoad originem, qvæ est caduca & transitoria. Quicquid autem à Deo factum est ad tempus solùm (interiturum) id non est gratum in oculis ejus simpliciter, sed tantùm propter aliqvid. Sed id sunt Creaturæ omnes exceptis spiritibus permanentibus; idcircò quicquid à sensitiva productum cernimus, ingratum Deo dicendum, tametsi non includeretur Legis Codicillo qvia nihil meriti inest ei, quod permanens dici posset, adeoq;

eoq; & nihil mercedis, totâ ergò naturâ suâ ingratum Deo, quia non procedit ex causâ quia, sed ex causâ propter quid. Porrò cùm sensitiva sit Creatura transiens, hinc ejus Chaos, actio & productio non sunt nisi effectus transitorii consimiles iis, qvi sunt reliqvarum Creaturarum, proindè quæ sunt cœlestia, non potest coëfficere, utpotè quæ non sentiendo ignorat, qvæ comprehendendo non curat, saltem in suetâ sibiq; connaturali actione manendo. Est autem hujus sensitivæ proprium cudere in suo Chao simulachra Creaturarum, quarum effigies per organa sensuum oblatas servat, delineat, depingit, illustrat, taliterq; infinitas Idearum congerit naturas, pro quarum ratione, discretione, confusione, coagmentatione, excussione sibi parat scopos, & pro ratione finium iterum novas Creaturas ideales, qvas dum concepit, transmittit velut in suum uterum, ubi colliguntur, coguntur & foventur, qualis actio vocatur cogitatus vel meditatio. Constat ergò, quicquid insensitivâ causaliter productum vel spontè natum est, esse simulachrum mundi aut mundialis constituti, transitorii & ingrati, nonnisi extrà hominem consistentis. Extraversionem quod attinet, est ea appetitus Creaturarum sensibus objectarum, quæ longius ab homine ejusq; constituto distant, nam cunctis motionibus naturalibus fertur homo ad Creaturas fingendo, meditando, discernendo, judicando, proponendo sibi Creaturarum Usum fine commoditatis temporalis, atq; in tali cursu laborat, currit, studet, corpus periculo subjicit, eoq; totam suam mentem velut per consensum trahit ad assensum, sic per integram suam Vitam versatur in externo, circà externum, cum externo, quin etiam tùm extrà se cùm est intrà se, ità ut in interiori suo consideratus inveniatur nonnisi innumerabilium externorum congestorum simulachrorũ receptaculum. Eccè hominem externum, naturalem, carnalem, miserum, de quo verè dicitur, quod extrà seipsum est, quia externis totus quantus immersus sub periculo submersionis. Eccè extraversionem quam scriptura jubet deponere. Quibus mediis ad depositionẽ status naturalis perveniatur, est alibi edoctũ.

Hic

Hîc expedit nôsse, intraversionem assimilari extraversioni, qvoad modum operationis, verùm in statu Contrarietatis. Nam homo inversus est totus alienus ab extraversione, mundo mortuus sivè ab Ideis mundanis vacuatus cujus mens non solùm à sensitivâ se prorsus abstraxit, verùm etiam eandem secum à mundo abduxit, aut si non prorsus abduxit, ab eâ tamen se hactenùs sequestravit. In Chao mentis subitò consurgunt Ideæ cœlestes (id qvod apprimè notandum est) qvæ dum non sunt visæ, habent se per modum revelatæ & creditæ proportionis, suntq; nonnisi menti propriæ per fidem Deo gratæ redditæ, undè & qvi ex iisdem progeneratur partus non est nisi permanens & æternus, æternus scilicet Dei Filius, Christus. Qvodsi partus cœlestis est, cœlestes quoq; sint ejus conceptus necessum est; cœlestes autem sunt, qvia non nisi revelatæ fidei, & hi sunt verè intrà hominem, qvia ad Deum conversum, imò sunt & creati in eo qvi habitat in mente seu potius in qvo mens habitat. Quamdiu sic hominis Chaos disgregatur, non nisi formæ cœlestes proveniunt, qvamprimùm autem clauditur, obruitur ab irrumpentibus externis injuriis, (quæ quidem alternatio est homini valdè familiaris) nec explicatur iterùm nisi sedatis procellis & obscurantibus nebulis discussis. Tunc Regnum Dei rursus promicat, & juxtà Idearum divinarum explicationem prodeunt species cœlestes, ibi actio (operatio) indefessa, dulcis consideratio, suavis expectatio, voluntas libera, appetitus gratus, spes absoluta &c. Hæc autem cùm sint in ipso hominis intimo, eâ de Causâ homo intrà seipsum conversus non curat ea qvæ foris sunt, nec sentit suum Corpus, qvod tunc reputatur tanqvàm res extrà se posita, proptereà scriptum est; Regnum Dei intrà vos est. Homo ergò in se inversus objectum suum, circà qvod se occupet, habet bonum optimum, qvod Christus est, undè seqvitur opus esse, ut is qui Christum sibi præfixit, intueatur & contempletur in se cuncta ea, qvæ adhærent eidem. Adhærent autem Christo non tantùm vita æterna, sed & dona redemtionis, institutionis, nutritionis

onis &c. In dono nutritionis ſpectanda veniunt cuncta externa bona ad ſuſtentationem homini collata quò pertinet finis Creationis & Scopus Creaturarum. In dono redemtionis ſpectanda veniunt cuncta interna bona paſſionis, meriti & juſtitiæ Chriſti. In dono inſtitutionis ſpectanda veniunt dona doctrinæ ſuæ, Evangelii, Legis, Scripturæ; imò Speculum Vitæ ſuæ. Juxtà hæc dona formantur opera Regni DEi (virtutum effluxus) & juxtà ſe habet internus proventus Idearum in opera perfecta, grata & accepta properantium. Habet ex his homo qvo inceſſanter ſe occupet, habet qvo vincat peccatum, habet qvo ſanctus fiat, habet qvo juſtificatus permaneat, habet qvo ſe corrigat, ſi extravagando lapſus ſit. Nam per Conſiderationem doni nutritionis excitatur gratitudo & charitas, & in hâc motione ſunt plures Ideæ & charitativi effluxus. Per Conſiderationem Redemtionis præparatur humilitas & pœnitentia, & in hâc motione plures Ideæ compaſſionis, doloris, ſubjectionis in opera interna & externa ſe evolventes ſub determinatione Voluntatis dominicæ. Per inſtitutionis conſiderationem introducitur obedientia, & in hâc motione plures Ideæ operatrices qvaqvaverſum ſubrepentes & in ſervitutis opera ſe explicantes ſub determinatione juſsûs ſivè is ſit Dei ſivè Eccleſiæ, ſivè proximi, amici vel inimici. Dicat nunc unus è Chriſtianis, num horum aliqvid in ſe per totam vitam ſuam expertus fuerit, aut planè nihil? Si unqvàm aliqvid, non habet qvod ſuæ inverſionis prætexat impoſſibilitatem, falſum enim dicit. Nam ſi ſemel per horam inverſus fuit, non habet locum impoſſibilitas, nec pro ſemper ſi ſemel. Sed vix invenietur Chriſtianus, qui aſſeveret veraciter, ſe nunqvàm fuiſſe ad temporis momentum inverſum, ſi fuit unqvàm Chriſtianus; qvi potius fateatur, inverſionem fuiſſe ab extraverſione ablatam. Tua ergò, homo, culpa eſt non Dei, ſi dona tibi elargita non conſideras, nam ut gratè dona conſideres, multum temporis impendendum eſt, qvia permulta ſunt & plura qvàm ut narrentur. Vix tibi ſufficiet dies integer, qvo revol-

revolvas id genus bonorum externorum, qvæ Deus per Vitam tibi largitus est. Num tibi sufficiet dies ad rememorandum donum informationis tuæ, ut jam taceam donum Redemtionis & speculum Vitæ Christi, ad cujus contemplationem tibi nec dies nec hebdomadæ sufficiunt? Eccè protensum temporis terminum, qvo duret tua inversio, grandia locorum spatia, quibus capessendis totus tuus animus non sufficit. Undè ergò tempus desumes impendendum curæ seculari? Certè tua est electio, dispositio, tua facultas, qvia tua voluntas. Huc illud tritum proverbium: qvidqvid agis, prudenter agas & respice finem.

Q. Dic undè proveniat Conversio? R. Omnis Conversio plerumq; triplici de causâ oritur. Primò, aut propter metum damnationis: secundò, aut propter optatum vitæ æternæ: tertiò, aut propter divinum amorem & clementiam. Priores duæ permixtæ sunt philautiâ Deoq; hactenùs non tàm acceptæ sicut tertia. Sunt ergò tales Christiani trium generum, qvorum

1 est, qvi tantùm timent pœnam inferni. Eorum vita tàm prava est, ut ipsimet reatûs sui convicti agnoscant, se iri damnatum, si absq; conversione tunc fortè morerentur:) qvi si ex revelatione mortis horam cognoscerent, sine dubio differrent conversionem in eos dies). Cùm autem mortis incertum tempus perpendant, non potest fieri, qvin tanto metu corripiantur, ut præ internis cogitationum tormentis quiescere nequeant, donec correctâ vitâ pœnitentiam egerint. Hi putant sibi sufficere, dummodò evaserint æternum ignem per fugam Criminum, peccata verò quotidiana non fugiunt, tanto minus verâ pœnitentiâ expiant, cùm pœnitentia eorum sit valdè exigua, hinc deest iis animus peccata & defectûs superandi mediante debito actu pœnitentiæ, quid quod amor eorum pusillus est, hác ratione deest iis etiam inclinatio & desiderium virtutes acqvirendi. Mundana ergò & carnalis eorum Vita est, cùm sint & maneant frigidi, pigri, negligentes, vani, leves, hilares, delicati; inprimis non pro necessitate sed pro comodi-

tate suâ vivunt excesſivo modo, cujus causâ etiam proprium quæstum & comodum ubicunq; licet, qværunt, præter id qvod gloriam venando intactam suam servare cupiunt famam. Intùs manent obstinati, sibiipsis relicti, elati, superbi, solliciti, & tamen in suis rebus improvidi, extùs verò vulgaribus modis & consuetudinibus secularibus addicti eo fine ut ab hominibus videantur. Quamprimùm tentatione vexantur, fiunt impatientes, austeri, contumaces, inhumani, contentiosi: In prosperis suprà modum lætantur & inflantur, in adversis verò abjiciunt animum, aliorum defectûs observant, ut judicatos eos audacter traducant. Ecqvis autem non videt eos summo expositos esse periculo, cùm prolabantur in ipsa peccata mortalia, priusquàm advertant? Proindè eorum conversio est merè externa, & terminata, undè venit, quod Congregationibus spiritualibus sint graves, & vicisſim ipsi graventur ab illis. Capaces omnium sunt tales homines, quorum ope Diabolus cuncta, qvæ unqvàm potest intendere, in effectum deducat tanqvàm per sua organa & mancipia, utcunq; sancti appareant foris. Neq; satis id est, quin etiam in cunctis cæptis & factis qvàm inconstantes sunt, de qvibus aptè dubitatur, num sint in fide permansuri, partim quod Diabolus perspectos eos habet, partim quod eos variis modis pertentat & seducit, undè fit, ut si quandoq; recogitant, quanto periculo expositi sint, qvanta sit anxietas, qvâ sub mortalium peccatorum prægresſorum servitute torquentur, abjectâ patientiâ in dubia multa cadant, & nî Sanctorum Dei amicorum ope, qvi aut inter illos tunc aut propè Deum habitant, è tantâ eriperentur anxietate, haud dubiè relaberentur in pristina peccata, imò eorum aliqvi præ desperatione revertuntur ad peccata, inprimis si præ superbiâ tentationes suas verentur revelare, non est, qui illis succurrat; hinc pejores unqvàm redditi emancipant se Diabolo. Hæc à Diabolo obsessa mancipia peccatis non amplius resistunt, qvia tentationes perferre nolunt, compertum qvoq; est nonullos eorum amentes factos esse præ gravitate tentationum.

num.

num. Ubi notandum, si qvà fiat, qvod horum aliqvi perruptis velut tentationibus circà vitæ finem adipiscantur veram pœnitentiam & charitatem, id esse minus vulgare beneficium & superabundantis divinæ misericordiæ documentum, hi si salvantur, vix tantum impetrant, ut transferantur in infimam classem seu chorum ultimum Angelorum. Causam ejus evolves ex præmissis esse eam, qvod nullum animum habuerunt ad Conversionem, qvicqvid autem Conversionis in iis deprehensum est, ex mero metu, compulsu & sensu damnationis factum est, qvapropter etiam ægrè & vix sunt intromissi in infimum Chorum Angelorum. Prodest ergò iis, qvorum conversio ex metu est, aut qvi præ tædio laboris in melius non proficiunt, vivere in aliqvo mundi statu, in qvo subjecti sunt variis calamitatibus eorum contumaciam reprimentibus, & ad Conversionem eos compellentibus.

2. eorum est, qvi non solùm infernum, sed omnem tentationem metuunt, hâc de causâ non tantùm à mortalibus verùm etiam à qvotidianis peccatis, qvæ aversantur, se custodire conantur, hactenùs dolent de pristinis peccatis magno cum gemitu duràq; pœnitentiâ. Eorum conatus etsi major est qvàm priorum, nihilominus si non progressi in statu eo moriuntur, vix extolluntur in Chorum penultimum, nimirùm Archangelorum. Causa hujus impedimenti jam antè indicata est, qvatenùs eorum conversio non est ex mero amore, sed à metu promeritæ pœnæ extorta, qvod insuper Deo non satis fiderunt, hactenùs caruerunt libero ad Deum aditu, quem alioqvin parat spes & fiducia habita in misericordiam, passionem & meritum Christi. Ideò autem merces eorum grandior est mercede priorum, qvia proximum suum bonis exemplis magis docuerunt & roborârunt.

3. eorum est, qvi non solùm infernum, sed etiam qvalemcunq; peccatorum pœnam metuunt, hinc ad evadendũ qvamlibet pœnam abstinent à cunctis mortalibus & quotidianis peccatis, qvin & defectus humanos, qvàm minimi etiam sint, devitant,

vitant, hoc autem ut tantò faciliùs præstare valeant, impendunt operam seipsos quantumpote, superandi, qvâ ratione multum se occupant in expeditione operum pœnitentiæ atq; virtutum. Ast qvia non ultrà progrediuntur, qvin potiùs ad mortem usq; in statu eodem permanent, possibile est, ut in virtutum Chorũ suscipiantur, non æq; in sublimiorem, idq; ideò, qvia ex genere eorum sunt, qui metu pœnarum convertuntur. Attamen plus gloriæ obtinent præ prioribus, qvia ad mortificandum suos sensus plus illis insudàrunt.

Q. Quales sunt, qui convertuntur à desiderio Vitæ æternæ? R. Hi reducuntur itidem ad tria genera. Unum eorum est, qvos gaudium æternum & oblectatio ineffabilis plus allicit qvàm metus inferni, utpotè qvod gaudio æterno comparato cum transitorio, rapiuntur in tantam admirationem ac desiderium æternorum cœlestium bonorum, ut mundo sivè cupiditatibus mundanis abrenuncient, seq; ipsos Deo serviendum applicent. Hujusmodi homines antecellunt prioribus propter nobilius fundamentum, aptum insuper ad suscipiendam emendationem. Nactâ enim conversione se dedunt exercitio non solùm peccata tàm parva quàm magna aversando, verùm etiam virtutes sibi comparando. Consideratâ Bonorum cœlestium excellentiâ non est tàm magnus labor, nec passio tàm gravis, qvam sustinere gravarentur, qvin ad labores perferendos, adq; recipiendam perfectiorem gratiam sunt longè aptiores præfatis hominibus, in qvo si obeunt statu potest fieri, ut tanti laboris ac diligentiæ respectu suscipiantur in qvartum Chorum potestatum, qvem qvidem ideò transcendere neqveunt, qvod sic seipsos, hoc est, quæstum & commodum proprium Bonorũ cœlestium (qvod fundamentum & scopus eorum est) plus qvæsiverunt qvàm gloriam Dei. Et qvanqvàm culpa hæc sit accidentalis profecta ex naturali imperitiâ & revelatæ cognitionis carentiâ, nihilominus imputatur iis, eò quod media eorum oculis præfixa, hoc est, verbi Dei, sanctorumq; doctrinam & hominum proborum exempla non tantum curàrunt,

qvan-

qvantum potuerant & debuerant, undè fuit impeditus progressus exercitii. Nam nôsse debuerant progressum esse potissimùm situm in passione & tentatione: sola passio est quæ castigando erudit eos qui non cognoscunt seipsos, quæ reprehendendo revelat hominibus, qualiter cœlestis Boni adeptionem cum proprietate possideant postpositâ Dei gloriâ, seq; ipsos sic plus ament quàm Deum. Quodsi obaudiunt verbum prædicatum, si posthabent exempla aliorum velut res familiares, minusvè afficientes, mittuntur iis remedia fortiora, tentationes scilicet & afflictiones, quæ vicem supplent afficiendo homines valentius tamdiu, donec seipsos probent, cognoscant, abjiciant, abnegent, Deum super omnia, proximum verò sicut seipsos diligant, atq; sic justitiâ Dei potiantur. Hinc si præfati homines suum transcenderunt statum eoq; progressi fuerunt, ut abnegando seipsos Deum solum respiciant, elevantur in statum altiorem, in qvo secundi generis homines persistunt; qvodsi persistunt in amore Dei usq; ad mortem absq; infrigidatione, possibile est, ut perveniant ad quintum Chorum Principatuum. Deniq; si in virtute justitiæ, hoc est in passione opprobrii, perseqvutionis, damni &c. perrexerint, futurum est, ut mirum in modum roborati perducantur de virtute in virtutem, sic ut seipsos amplius contemnant, nesciant, amittant, pace & quiete internâ fruantur victâ scilicet tentatione & passione. Hic status priori adhuc perfectior est, quapropter dicitur possibile esse, ut qvi in eodem defunguntur, transferantur in Chorum Dominationum.

Q. Dic quales sunt, qui convertuntur propter amorem Dei? R. Tales sunt, qui considerant Clementiam Dei conferentis homini tot tantaq; dona (beneficia) absq; ullo suo merito: è profundiori istâ consideratione resultat gratitudo & desiderium Deo æternum serviendi sub Voluntatis suæ perfectâ resignatione. Sentit autem unusquisq; se ignorare ea, quæ pro Dei gloriâ juxtà Voluntatem ejus sunt facienda, indè cogitur homo cum timore, tremore ac desiderio rogare Deum, & interrogare cum

Paulo,

Paulo, quid factu opus sit, quid intermitti debeat, insuper & ingemiscendo optare futurum, ut Deus operetur in & per eum, quicquid placuerit ei cum Voto se operam daturum, ut Voluntas Domini liberè fiat in eo. Indè liquet, talem hominem non percelli metu inferni nec inescari Cœlestibus cupediis; dolere qvidem magnoperè de peccatis suis, non tamen metu pœnæ, sed amore Dei, suæq; infidelitatis pœnitudine, quæ semper convellendo solicitat eum ad expiandum eam, quapropter non solùm inferni pœnam pronunciat justam, sed sibi ipsi vellet adjudicatam, si jus & potestatem in se haberet. Nota verò quod sequitur: Non judicabitur unquàm talis homo à Deo; si quæris, undè hoc? R. Quia & justus inventus est judicando peccata sua & pro virili seipsum torturâ affecit mediante actu gravis pœnitentiæ, nam scriptum est: Si nosipsos judicaremus, utiq; non judicaremur à Domino. Imò si talis homo totius mundi peccata commisisset, nihilominus ei remitterentur instanter, & quod notandum insuper, si moriatur in eo statu, possibile est, ut transferatur in septimum Chorum Thronorum. Thronus enim Dei factus est, quia vas electum ac purgatum. Qvodsi verò indies in amore & justitiâ cresceret, progrederetur ex eo statu in superiorem & cum Angelis Cherubim ambularet in lumine divino paratus laudare & amare Deum, facere & intermittere, cunctaq; pati juxtà Voluntatem Dei in seculo & ævo. Hic amor purus & justus est, in qvo si perstiterit, possibile est, ut tandem evehatur in Chorum Seraphicum & dicat cum Paulo: Qvis me solvet à Corpore hujus mortis, ut vivam cum Christo? Eò autem si ventum sit, à nullâ curâ nisi proximi tangitur amplius, cujus ratione dicebat Paulus: Cupivi anathema esse pro fratribus meis. Ista sui perfecta oblatio fraternaq; cura placet Deo tantoperè, ut habitare in eo desideret, & prorsus eum sibi adunare, qvod cùm factum fuerit, homo verè dicere poterit: Vivo jam non ego, sed vivit in me Christus.

Q. Eò qvod omnes Christiani gratiam eam, qvam è baptismo reportârunt, peccatis suis perdant rupto scilicet fœdere fa-

cto

ctō inter Deum promittentem & inter hominem spondentem, est gratia gratiæ superaddita, nimirùm ut renovato fœdere restituatur homo in integrum (in pristinam gratiam) dummodò ex integro aversus à peccatis convertat se ad Deum ex integro. Est ergò in modo Conversionis & aversionis situm totum negotium, qvem procul dubio ignorant omnes ii, qvi à Diaboli astu seducti privantur laboris præmio, id autem fit, cùm antiqva eorum peccata Conversionis specie obtegit, vicissim veram pietatis virtutem è corde fraudulenter rapit; Deniq; cùm tanta sit hujus rei difficultas, ut etiam maxima pars hominum se falsò credat esse conversos, quæritur, qualiter quis possit discernere inter verè conversum & nonconversum, qvaliter & seipsum dijudicare, num sit conversus necnè? R. Ea quæstio cùm non sit levis momenti, utpotè qvod homo qvò magis hoc cognoscit, eò facilius converti potest, dummodò sit bonæ voluntatis, præstat responsi loco describere homines conversos pariter & nonconversos, tanqvàm quod hoc modo facilius potest comprehendi designatum conversionis fundamentum. Signa ergò qvibus conversi & non conversi dignoscuntur, sequentia sunt, de conversis prius.

1. Verè conversus homo humilimè confitetur suum nihil, nemini se præfectum aut præ alio æstimatum cupit, sed omnib⁹ subjectum & obseqviosum; simplex in omnibus est, seipsum spernit, in bonum cuncta vertit, in Dei timore cuncta opera qvæ per mandatum ei injunguntur, gratè exeqvitur.

2. Conversi sunt etiam ergà proximum affabiles, amabiles, alterius opera commendantes, deniq; cùm amor mutuus efficiat, qvod de prosperitate proximi congaudeant & de afflictione ejus condoleant, coguntur ei succurrere in cunctis necessitatibus.

3. Sunt insuper valdè patientes in qvâcunq; calamitate qvamvis diuturnâ, pacifici, hostibus benigni & miti corde qværentes reconciliationem.

4. Inveniuntur misericordes & ad juvandum semper parati, dant

dant qvod habent spretâ caducâ farragine, hilari animo inclinant ad paupertatem & opprobrium, corde ad Deum elevato reddunt gratias pro custodiâ & sustentatione, curas verò temporales rejiciunt, qvò tantò beatius curent Deum & cœlestia.

5. Omnem curam satagunt impendere ad Dei gloriam & proximi commodum, de cætero sunt circumspecti in operum exercitio, ut faciant bonum quantum possibile, taliter in bonâ ergà Deum fiduciâ perseverant in bono.

6. In capessendâ necessitate victûs & amictûs observant modum temperantiæ ac sobrietatis subtracto eo quod erat superfluum. Pauco cibo nutriunt corpus sic, ne luxuriet, omni verò studio præcavent, ne animus largiori potu oneretur.

7. Tàm casti sunt ac verecundi (id namq; exigit divina & angelica præsentia) ut malint mori qvàm immorari considerationi Ideæ impudicæ, adeò student Cor suum servare in puritate & membra reliqua in firmâ custodiâ, ut hactenùs eâ careant sollicitudine, qvam infert læsa conscientia. Et ut suos sensus custodiant eò tutius, castigant corpus vigiliis, jejuniis, laboribus, precibus & continuatâ ad Deum devotione, eâ coërcitione tanqvàm fræno seqvax redditur Corpus atq; subjectum voluntati. Jam de nonconversis, qui quoad antedicta conversis contrarii sunt. Hi facilè dignoscuntur mediante vitioso apparatu, qvo se invicem tùm & alios probos aut simplices homines offendunt. Ex his sunt qvi

1. Nimium se æstimant, hi opera sua Authoritate qvâdam exaltant, cæterùm sunt incapaces subjectionis, qvia mandati impatientes, non parvam qvoq; operam impendunt magniloqvio & multiloqvio, qvod si qvis attentè observat, deprehendet eos gloriari de suis rebus & operibus, effata qvoq; sua obfirmare specie sanctæ humilitatis, ne qva suspicione vilescant. Si contemnuntur, vindicant qvamcunq; injuriam acerrimâ sensatione. Et qvatenus hi omnes sunt gloriosi, obstinati, temerarii, hactenùs sunt omnes imperio Satanæ subjecti, qvàm magni etiam sint.

2. Alio-

2. Aliorum pietatem oderunt, invidi sunt, elato animo contradicunt, convitiis ac derisionibus aliorum opera convellunt, qvod restat, promtissimi sunt ad puniendum, reprehendendum & maledicendum.

3. Sunt valdè iracundi, proximum traducunt, ab aliorum prosperitate cruciantur, prætereà discordes sunt, obtrectatores, confusi & murmurantes adversus omnes qvi non consentiunt illis.

4. Ardenti corde appetunt caducas res & voluptatem qværunt quandocunq; & qvalitercunq; possunt, id autem sic faciunt vel furtim vel impudenter ac temerè, utut iis imputetur: pro factis suis laudem cupiunt & temporalem mercedem qvam etiam noñulli (sub specie pietatis) promeritam putant, hos autem clam, palàm, omni modo persequuntur, qui eos non satis venerantur: quod restat, haud rarò committunt externam fraudulentiam, dolum vel mendacium, comprimis si causâ honoris vel conservandi vel conqvirendi id faciendum censeant.

5. In plerisq; agendis sunt cordis amari, ad bonum semper ignavi, aliàs feroces & sordidi, cæterùm somnolenti, pusillanimes & dubiosi.

6. Ventrem saginant cibo ac potu superfluo debitum victûs modum excedendo & ut insatiabiles sunt, ità Deo ingrati: ejusmodi ingluviem non solùm ægritudines seqvuntur, verùm etiam immodicæ Cupiditates, & Carnis libidines: non sine stupore cernimus noñullos ad Crapulam usq; satiatos quærere passim voluptates, imò luxuriare in verbis, in risu, in jocis, satyricis aut obscænis historiis, discursibus aut novellis: qvosdam verò reperimus ad rixas & pugnas dispositos, alios audimus clamare impudenter vel furenter. Alii repleto ventre obruuntur somno, & adeò pigrescunt, ut vix oratiunculam dicere queant, quod ipsum si fit inter eos qui sacris præsunt, non tantùm criminosum sed etiam propudiosum est tàm propter datum scandalum, qvàm propter neglectam sanctorum seqvelam, qvi

pauco victu imò & jejuniis corpus castigârunt, ne sibi aut suis sequacibus darent causam tot atq; tantorum defectuum. Hodiè toti S. Ecclesiæ sed falsò imponunt, qvi dum adversus eam rem dicunt, in scandala ecclesiasticorum inqvirunt, adeoq; communiter dicunt, spirituali homini non ea sufficere, quæ sufficiunt diviti seculari. Hæc ait Author noster, si par est dicere, qvod totâ die coram oculis obversatur, non potest fieri, quin tàm siticulosi spirituales tantâ Caligine mentis offundantur, ut vix restet, qvi perspiciat extremum periculum, ad quod perducti sunt tentatione Diaboli. Ejusmodi vertiginosos conducit malignus Spiritus ad lacum impuritatis omnisq; immunditiei, qvò rotantes, nutantes, inclinantes eò faciliùs præcipitet, & hanc Diaboli capturam observamus è Cogitationibus impuris & pravis concupiscentiis, Cæno scilicet qvo corda eorum fædando contaminat, & ideò tales sunt cæci ac vertiginosi, qvia nec cernunt, nec credunt, qvàm turpiter peccando Deum irritent: ut taceam, qvàm vehemens hæc pravæ concupiscentiæ commotio noceat utilitati ac merito, cùm reddat hominem ineptum ad bona opera, Deo & cunctis Sanctis perqvàm ingratum. Solùm hoc in hujus pergrandis vitii dedignatione repetere liceat, cunctos eos cæcos, qvi aliquam voluptatem quærunt in Cibo & Potu, consimiliq; Comessatorum Societate, post comessationem corripi lætitiâ inordinatâ, multiloquio, & impudentiâ, undè mens alienatur, omniq; devotione privatur, ità ut cùm tempus adest orandi, differat orationem in crastinum, cùm aut nequeat aut nolit devotè tunc orare; qvodsi differre veretur, attendat aliqvis orationi & deprehendet manifestam Dæmonis collusionem, cùm fieri nequeat, qvin ei præludat in Imaginatione cuncta ea illecebrosa dicta & facta inter comessendum habita, ità ut inter orandum cogatur ipse desuper ridere tanqvàm super mimesi simiæ: & tunc non videt cæcus cùm ridet, irrideri Deum. O grande piaculum, quâ plagâ expiandum?

7. Non multum curant neq; considerant pravas suas cogitatio-

tationes (imaginationes) licet indè causentur ingentes animæ carnisq; comotiones, qvas nec delere nec superare qveunt, cùm jam accensi sint velut igne gehennæ; qvin & haud rarò labuntur in consensum voluntatis, sic ut patrarent omne scelus, flagitium & facinus, si daretur causa vel occasio, tantâ incuriâ explent carnis luxuriam amore sui capti (excæcati). Interdum etiam fit, ut aliqvi eorum tàm inconstantes, ignorantes ac cæci evadant, ut prænimiâ difficultate Deo imponant ob interdictum carnalis concupiscentiæ, vellentq; futurum, ne Deus delicta eorum vel cognoscat vel ulciscatur.

Ista sunt signa, qvibus verè conversi à non conversis dignoscuntur, hæc omnibus nosse convenit.

Q. Cùm omnia hæc se habeant sic, ut à nullo Christiano qveant negari, ad qvid ergò ea fiducia, qvam peccatores hodiè adeò sibi persuasam habent, ut ejus gratiâ peccata cumulent, veramvè conversionem tanqvàm onus grave & sarcinam duram aversentur? R. Temeraria ac deceptoria est ea fiducia, qvæ ad interitum ducit improvidos, & qvantò nunc mundus deterior est, tantò gravius certiusvè periculum. Unusqvisq; ergò videat, qvaliter stet, nemo sit audax, nemo securus, qvàm benè se nunc habere putet, cumq; homo sit in momenta labilis, circumspiciat se oportet in timore Dei, ut si aversum ac lapsũ se sentiat, se verè ad Dominum convertat, cùm vacante adhuc tempore prosit remedium.

Q. Cùm vera conversio non-conversis sit onus grave, seqvitur eam conversionem vel non esse onus vel leve saltem: quod si hoc, quæritur, annon hoc onus sit onus, de qvo dixit Christus, qvod leve sit qvia suum? R. Omninò sic est, si pro eo sumitur, quod è conversione procedat imitatio Vitæ Christi: nam ea sequela Vitæ seu Virtutum Christi est Christianis imposita, jugum & onus non-conversis, conversis verò suave ac leve signaculum regiæ gloriæ. Uti ergò dominicum seqvelæ jugum est grave (ingratum) carnalibus, ità è gravitatis assertione cognoscuntur, qvi nonconversi, id est, carnales sunt.

Q. Cùm contradicentes à Veritate ipsâ confundantur, c
dum eſt, quò poſſint referri voces jugi & oneris? R. Cùm i
referatur ad homines ſingulos, ſeqvitur non ineptè div
hominis conditionem internam & externam iisdem ſigni
ſic ut jugum reſpiciat internum (ſpiritualem) onus verò e
num hominem.

Q. Dic undè interna hominis conditio ſit, quovè reſpicia
Conditio ea eſt indè, undè Spiritus hominis eſt, cujus ea c
tio eſt omnium nobiliſſima. Spiritus hominis autem eſt
tus è fundo lucidiſſimo Deitatis, & factus eſt juxtà ſimilitud
puriſſimæ Imaginis divinæ, eò ergò reſpicit ac debet reſpi
quia inſuper ad eam ipſam ſuam originem revocatur de nec
rio, qvin etiam eò trahitur, ut fiat particeps ſummi Boni. Id
quamprimùm homo tantum proficit in ſapientiâ, ut jam co
ſcat, obſervet & conſideret, quàm ſit à Deo fundatus ac re
tus in eo fundo profunditatis, qvàm etiam ipſe Deus in eo
interiori Spiritûs conditorio lateat abſconditus, hæc dubio
cul beatitudo eſt.

Q. Quid ergò Utilitatis promanat ab eo, quòd tàm occul
pluriınisq; hominibus abſconditum eſt? R. Satis magna r
tat Utilitas ex hoc, quod homo non obſtante quod nimis i
ranter animum ad mundana dirigit atq; dehinc in ſummo v
tur errore & cæcitate, nihilominus è ſummè nobili initio, u
animus dependet, perpetuam acqvirit vocationem, tract
impulſum & reflexum, ità ut non advertente ſe, cur, qvand
quibus auxiliis, velut ſpontè ſi non coactè inclinet verſus ſ
initium, id quod exindè liqvidò conſtat, quod nullibi veram
teſt reperire reqviem, nec veram habere ſufficientiam ex ull
terrenâ, adeò non ſufficit homini totus mundus, non mendic
vilis facultas, non nobili Comitatus, non Regi Regnum, ć
qvis totum mundum regeret, non ſufficeret ei totus mun
forſan nec plures: ſi qværis, undè hæc vanitas? Procul du
indè, quod tota mundi Univerſitas & diverſitas ſingillatim
hunt hominem ſecum ad internum rerum fundum utut re
ſi

ſum, idq; ſine ſcitu hominis: ſi rogas, dic quare? Dicam, qvia hoc omnium rerum fundum eſt unum ac idem, nimirum idem omnium rerum initium ac finis, Deus. Qvieſcit ſolùm anima pura, devota in uno Deo Creatore ejus. Hæc facies hominis interna, hæc nobilis illa conditio, hoc ſuave hominis jugum eſt. Si nondum capis, cape plura è ſimilitudine adhærentiæ: adhæret principiatum principio ſuo, Spiritus Deo, & Deus Spiritui. An Deum qvis fert, ſi Deo adhæret, an Deus fert hominem, cujus Deus eſt Dominus ejus, cujus cum Deo eſt Spiritus unus? Sed ſi homo portat Deum, nonnè jugum Deus eſt? ſi jugum, nonnè ſuave?

Q. Cùm tale qvidpiam naturatenùs ad omnes homines referri queat, dic qvibus jugum illud ſuave eſt? R. Suave tantùm iis eſt, qvorum animus à cunctis creaturis ſequeſtratus & intrò converſus eſt in præfatum Deitatis fundum, quorum etiam externum pondus corporeum leve redditum, hoc eſt, in ditionem Spiritus redactum eſt.

Q. Cur hiſcè tantùm & non in univerſum omnibus ſuave eſt? R. Quia quò ſuave ſit reqviritur, ut Deus, qui jam nomine jugi venit, ſit immediatè junctus ſeu unitus Spiritui, ſic namq; cum Deo omnis gratia, bonitas & virtus juxtim adeſt homini, cujus gratiâ homo dicitur omnia poſſe, omnia ferre & hactenùs ei nil grave eſt. Cùm autem inter Deum & hominem poſſit intercedere medium tollens Unitatem, id qvoq; fiat creberrimè, ſic ut nil vulgarius ſit præfatâ mediorum interpoſitione, dehinc liqvet, qvàm homo præclusâ gratiâ & virtute DEI nil queat, nil ferat, qvàm etiam ſubſequenter ſit grave jugum Dei. Hæc mediorum interpoſitio eſt cōmunis unicuiq; nonconverſo, imò etiam natalis omni homini.

Q. Cùm Spiritus hominis ſtatim à quo creatus eſt conſiſtat in medio quopiam inter tempus & æternitatem, ſitq; libertas ei conceſſa iſequendi utriusq; tractum diverſum (trahit enim Deus, trahit præterfluens tempus) dic velim, undè fiat, quod homo qvià potiori & fortiori, qualis eſt Deus æternus, videtur

tractus

tractus & unitus, admittat medium inter Deum & se, qu
parat eum ab hoc unico bono? R. Id ideò facilè imò fac
fit, quia homo liber qvidem ad eligendum natus & pot
voluntatis dotatus, cæcus tamen ac stupidus est, à primâ b
nativitate nil boni ac salutaris intelligens, nec qvaliter d
temporale & æternum noscens. dehinc errat in electione
qvitur magnetem temporis rapidum, qvi hactenùs præ
suavi æterni magnetis tractui, ab eo temporis magnete tr
homo imposterum tantò facilius ob quendam applaus
Consuetudine & familiaritate profectum, posthabito ma
nobiliori, qvem aliqvo modo cognovit. Taliter autem re
homo longius ab æterno, & qvod intercurrentibus medii
xus occasionem deserit, fit, ut Deum nonnisi longissimo
vallo obtueatur & vix intueatur, subseqventer etiam p
pendat cuncta ea, qvæ ad Deum pertinent, tanqvàm long
cessu distantia, æternitatem obliviscatur, nec nisi tempus,
ob viciniam magnum apparet, magnifaciat.

Q. Annon à simili possunt clariora reddi, qvæ hîc de n
proferuntur? R. Possunt, & quidem à simili hoc: si int
lem & speculum non datur medium lumen intercipiens
minatur speculum sic, ut solem perfectè repræsentet,
quàm propter distantiam pusillo Corpore. Non alite
minat Deus animam ac sol speculum, si medium non dat
ter Deum & animam; sed ea interest differentia, quod
solem & speculum tanto intervallo possit abesse medium l
tempore, inter Deum verò & inter animam quàm diffic
cùm mediorum sit infinitus numerus, quæ statim se int
nunt dato quopiam intervallo. Hoc autem diligenter e
servandum, qvod eo momento, quo removetur ab anir
mne medium intercipiens Deum, fiat illuminatio menti
modum coruscationis, cùm Deus nec velit nec possit suum
tare lumen, ne id illuminet omne, quod ei subjicitur in
diatè, & hactenùs acquirit peccator cognitionem termin
temporis conversionis suæ, juxtim & certitudinem re

c p

peccati & gratiæ adeptæ, qvod ipsum vulgò nominatur sensatio Conscientiæ. Ne verò qvæ propter hanc provenit è probatione incertitudo confundatur cum certitudine præfatâ, distinctio est facienda inter plenam & semiplenam illuminationem & inter eclipsationem, qvoad qvælibet se habet secundũ magis & minus. Ad plenam illuminationem refertur repræsentatio Dei, ut cùm Deus in animâ mundâ ac purgatâ suam ipse intuetur Imaginem, qvæ sanè Contuitio fieri neqvit, si qvædam Idea etiam qvàm minima deprehenditur in animâ: nam inter lumen & speculum efficit medium omne id, qvod homo vix unquàm potest discernere, adeoq; præbet obstaculũ, Deo qvidem nè illuminet, animæ verò ne repræsentet. De mediis verò nulla qvæstio est, num sint intelligendæ Ideæ puræ vel impuræ, cùm omnium purissimæ & minimæ sint æq; media ac omnes cæteræ qvalitercunq; vocatæ, indè qvidem latè patet, qvanta sit Mentis obscuritas, qvàm rara illuminatio, rarior adhuc repræsentatio, hæc omnia tamen veracissima.

Q. Quia Idea hominis Christi qvæ hospitatur in animâ est medium, qværitur meritò, an cum dispendio intercipiat divinam illuminationem? R. Idea hæc est omnium Idearum optima attamen & ipsa refertur ad mediationem, hinc etiam Christus nactus est nomen proprium Mediatoris inter Deum & hominem, sed longè alio qvàm subtractivo modo, propterea est alibi dictum ad summam (exquisitam) perfectionem referri qvoq; hujus Ideæ Carentiam. Aliàs autem hæc optima Idea purificat animam, dum suâvi ac virtute expellit qvascunq; Ideas alias sivè puras sivè impuras, ob hanc qvoq; similitudinem recipit anima Lumen à Deo ut Luna à Sole, redditq; obscurum Lumen, ut Luna terræ, indè tamen nulla ipsius Dei repræsentatio speranda est in animâ propter præsentis Ideæ medium. Sed hæc pertinent aliò.

Q. Qvaliter autem est comparatum cum iis, qvi animæ hanc puritatem ac nuditatem non attendunt, sed potius à multitudine mediorum se patiuntur obrui sic etiam, ne fundum animæ

ſe queat pandere? R. Hi mollesadhuc homines ſunt, pı
carnales, obhinc in ſummo verſantur periculo. qvon
ſanctis Viris ſemper creditum fuit certo indicio eſſe eos q
ſunt nunqvàm internum Mentis fundum luſtrâſſe nec un
deguſtâſſe, non fore olim fruituros Bono æterno: qvapr
neminem lateat oportet, non vivere eos juxtà regulam
Chriſtiani, qui non ad minimum ſemel qvotidiè pro v
ſuis ſe converterunt in animæ fundum internum.

Q. An ergò id omne quod jugum ſuprà vocatum eſt,
nullis verè ſuave, gratum & acceptum eſt. uti quidem
tur? R. Omninò ſuave eſt, imò ſuaviſſimum, dulce, dulc
omnem excedens, nempè ijs hominibus, qui cunctis Ide
truſis everrunt (expoliunt) internum mentis fundum, q
æternus Lumen ſuum queat eidem infundere. Deum
contemplantibus redduntur inſipida vel amara cuncta mı
na (tranſitoria), ſicut ex hymno canitur: cibi qvotqvo
qvàm ſunt, animæ non ſapiunt, tu dulceſcis ſolus, ô ſi mı
ſaperet, cunctas præ te ſperneret dapes vanitatis. Abs t
amarum eſt, tecum fel dulcedo eſt: item: heu, noxia ſu
xica, qvæ ſine Jesu dabis. Et ejus rei dari poteſt ratio,
ſit indubium, eam ipſam ſummi Boni dulcedinem ſtatim
velut guſtando percepta eſt, tàm fortiter attrahere ho
deſiderium, ut carnea Corporis moles ſoluta exiccetur
neqvit fieri, qvin ipſa divina Imago repræſentata ex
qvascunq; alias Ideas.

Q. Qualiter autem aſſumetur in mundo, ſi qvis poſt
ratione ſtatûs (Idolo mundi) aut fateatur, aut ſaltem ità
rat, qvo ſentiant alii, mundana negotia ei moleſta eſſe,
ctas verò delicias picrocholas, annon ab omnibus ludibri
bebitur tanqvàm ignarus, ſtultus & converſatione indig
R. Eſto! ſic namq; mundus tractat ſibi contrarios velut
ſuos ſed peregrinos: Tu ergò qui Filius Dei cupis eſſe
vita converſationem, intrà teipſum te recipe, & ſi qvâ
ris ſtoliditatem mundi, non erubeſce ſimul ſtultum agere

ter

tempus veniet,quo dum alii agnoſcent ſuam inter lamenta ſtultitiam, tu gaudebis tuâ de ſtultitiâ, eamq; reperies fuiſſe olim ſapientiam.

Q. Cùm multi homines abundent Bonis temporalibus,ſuisq; ſint officiis onerati qvàm plurimi, annon hæc omnia impediunt, qvo minus debito modo diſponatur homo? R. Alibi ſatis ſuperq; dictum eſt, dona Dei non impedire, ſi posſidentur tanqvàm non posſideantur, qvatenùs qvis poteſt uti iisdem eo modo, qvo alius, cujus non ſunt, ea intuetur, qvanqvàm & hic peccare posſit, ſi bona alterius ſuis oculis trahit ad Uſum ſuæ concupiſcentiæ, deſumtis indè ſpeciebus & rationem & intellectum ejus exercentibus haud parvo ſuo damno. Ideò autem caduca bona impediunt, qvia homo quotidiè habitos indè conceptûs ad partum promovet, genitasq; ſoboles in ſuam proprietatem aſſumit. Satis aliàs dictum eſt, ſi poſſet qvis verè liber, nudus ac pauper eſſe qvoad Ideas & proprietatem, poſſibile qvoq; eſſe, ut nullum indè, etiamſi Regnum eſſet, nocumentum percipiat. Si qvis ergò neglectâ creaturarum ſollicitudine vivit liber & vacuus, ſi quoq; neceſſaria Vitæ ſubſidia in Dei timore capit, non dubium eſt, qvin cum licentiâ & capiat & habeat ea. Qvi verò mediis Vitæ caret,Deo fidat neceſſum eſt, cùm ſemper compertum ſit, Deum nunqvàm deſerere in ſe ſperantes, imò tantum abeſt ut deſerat,ut potius per creaturas irrationales fidentem ſibi nutriat. Ità namq; Deus curat ſuos, ut minus eos deſerat qvàm æternitatem,qvin & in ſummâ egeſtate ſuccurrit iis ex improviſo, ſuoq; auxilio, qvo nullum aliud magis præſens erat,docet ſe ſolum eſſe eum, qvi in occurſum feſtinat ad juvandum & nutriendum eos.

Q. Ecqvid his accidit, qvî divino adhærent magneti à tempore longius recesſi? R. Qui cunctis mediis idealibus excuſſis Deo ſoli adhærent, portant ſuave Domini jugum ſine moleſtiâ: & qvatenus evacuatum, abſterſum atq; politum eorum fundum eſt, non poteſt fieri, qvin inceſſanter divinum jubar illuminet eos, totosvè Deo relictos à mundi curâ & à ſeipſis ab-

abſtrahat. Inde fieri certum eſt, ut qvos divina ſibi
pavit voluntas, contemplentur cuncta ea qvæ ad æter
pertinent tanqvàm in proximo ac præſenti, oblitis mu
rebus velut longisſimè diſtantibus: hi qvà divino ſub am
ſenſiles qvodammodò facti ſunt, perferunt paſſiones v
mniando, dehinc & comprehendi poteſt,qvî fiat, qvod
habent cum omnibus qvia & cum hoſtibus.

Q. Quid habes de homine externo qvoad eum vox
reſpicit? R. Encomium hujus oneris habeo, qvo C
ipſe id prædicat cùm dicit: Onus meum leve eſt. Onu
ſti eſt qvælibetcunq; paſſio, calamitas & afflictio,qvæ u
externo homini accidit aut poteſt accidere.

Q. Imponiturnè onus Chriſti unicuiq; Chriſtiano de
ſitate, an ſolùm iis, qvibus leve eſt? R. Non ſolùm hi
cunctis Chriſtianis imponitur onus Domini, de necesſita
dem, qvatenùs omnes amici & Sectatores Chriſti opo
Exemplum Magiſtri eſſe Crucigeros, aſt ea Crux onus
mnes Chriſtiani ſunt vocati ad imitationem Chriſti & pe
ſeqvens ad portandum Crucem, qvilibet ſuam, & c
hanc eſſe cunctis portandam teſtantur etiam ii, qvibu
grave eſt, ità ut ſe hinc ſpirituales opinentur effectos.

Q. Danturnè qui abjecto onere poſſunt ſe Cruci ſubc
qvandò volunt? R. Sunt quidam, qvi maximo ſuo dan
poſſunt facere ſed tantùm ad tempus, aſt nemo per tota
tam exactè valet eâdem carere, nemini qvoq; licet. C
Veritate qvâ homo homo eſt,humana pati neceſſum eſt,nc
qvocunq; ſe vertat homo, hæc Via eſt, qvam aggredi te
& nulla alia, quascunq; qvis peragrat ambages, omnes i
verſum Crucibus obſitæ ſunt; ſic namq; decrevit æter
pientia, ut ſphæra humanæ Vitæ ſit interſtincta qvatuor
diametris decuſſatim in Centro coëuntibus, eamq; altitu
profunditatis & latitudinis ceu mundi rotantis figuram
ſus eſt, imò tulit ipſe Author ejus tàm characteriſticè
myſticè.

C

Q. Dic qvid ad onus hoc pertinet, qvod omnes qvi DEO servire cupiunt, ferre debent? R. Huc pertinent cuncta judicia simul ac permissiones divinæ, hæc ipsa omnia patienter ferre convenit homini qvocunq; modo in eum irruant, sivè inferantur à Deo sivè ab hominibus, opportuno aut importuno tempore sivè defungantur lectissimi amici, cognati, parentes, filii, sivè perdantur bona singula & universa, honor item, imò solatium divinum vel humanum, internum vel externum, qvæcunq; possunt unqvàm amitti, ea amissio (parva aut magna) est onus externi hominis sentientis, imaginantis, hactenùs affectionibus subjecti.

Q. Dic ergò qvaliter se unusqvisq; gerere debeat ad tanti oneris susceptionem? R. Cuncta divini oneris genera ferenda sunt leviter & hilariter, imò qvod superest cuncti defectus proprii, qvos non devincere potest homo, sunt qvàm humiliter cum pœnitentiâ perferendi in resignatione propriæ Voluntatis, nam scriptum est: humiliamini vos subter manum Dei potentem &c. Quisquis enim defectus, qvos superare non potest, humiliter ac diligenter reduxerit ad Voluntatem Dei, is indè capit fructum beatitudinis.

Q. Dic qvibus onus Dei leve est? R. Leve admodum est cunctis iis, qvi spontè se subdunt judiciis Dei sic ut primò, quæ Deus vult iis affutura patiantur juxtà Dei Voluntatem hilariter perseveranter, & confidenter, attamen humiliter, secundò ut cum verâ sui & omnium creaturarum abrenunciatione Deo rursus offerant, qvæ à Deo vel habent vel accipiunt: sub onere Dei persistunt tales immoti neqvicqvam ejus persentiendo, cujus ratio hæc est, qvod Deus ipse onus perfert qvasi suum, efficiendo taliter, ut homo à seipso exeat, cùm Deus intrat in eum ad ferendum onus ac perficiendum opus. Hâc qvoq; ratione futurum, ut, si possibile esset, imponerentur ei qvæ toti mundo adjudicata sunt onera, tàm leviter ac hilariter ferat ac si Beatitudo ipsa in iis sita esset.

Q. Dic qvibus onus Dei grave est? R. Cunctis iis grave est,

qvi se contrario modo ad onus Dei habent: tu ipse ergò
cato, qvinam illi sint.

CAP. VII.
De Cruce.

Q. E præcedentibus cùm pateat onus Dei esse Cruc
quam Christus pro signo impositam voluit cu
iis, qui verè seqvuntur eum ad Crucem usq;
pediet hoc capite seorsim tractare de Voce &
Crucis, ne quid videatur deesse doctrinæ de Suavitate on
Christi, inprimis cùm ab ipso Christo Crux adeò comm
detur, ut ejus susceptionem perqvàm amanter suaserit seq
tibus eum, hâc ratione cupio pernoscere Utilitatem ejus, q
hîc exponere ne graveris? R. Per Crucem debemus res
sivè reponi in sublimem eam excellentiam, in qvâ eramu
æterno, hinc dignitati Crucis exprimendæ verba desunt.

Q. Quid hîc intelligis per Crucem? R. Per Crucem hîc
telligendum datur gloriosissimus homo Christus, qvi inco
prehensibiliter sublimius est elevatus suprà omnes sancto
Angelos, suprà omnem eorum lætitiam & beatitudinem
sicut supremus locus ejus est in summo; ità vult etiam hab
re in nostro supremo, hoc est, in nostrâ summâ, intim
Joh. 12. perceptibili charitate ac intentione, proindè dicit: Quandò
â terrâ elevatus, omnia ad me traham.

Q. Quænam sunt ea omnia, quæ voluit ad se trahere? R. S
corda nostra terrena obsessa rebus terrenis (cupidine cr
turarum) qvò etiam refertur superbus noster atq; terre
animus, qvi est obsessus philautiâ & adhæsione sufficien
temporalis nostrorum sensuum, hæc omnia desiderat trah
post se, dummodò in nobis elevetur & magnificetur in C
dibus nostris. Omnes qvippè creaturæ sunt parvæ, re
caduc

[illegible] & pro nihilo reputantur ab iis, in qvibus Deus [illegible]natur. Hinc Dominus trahere cupit potentias inferiores in superiores (sensitivam in Mentem) ut cum inferioribus vehat superiores in seipsum. Dum autem hoc fit, intendit plus ultra nos trahere post se in suum supremum & intimum, id quod etiam factu opus est: nam si in suum tendere debeo, oportet me hîc eum recipere in meum; [illegible] est mei tantum est ejus, compar scilicet communis.

Q. Annon Crux sancta in tali sensu oblivioni nunc tradita est [illegible] ut internum hominis fundum ei prorsus præcludatur [illegible] valletur amore creaturarum, qualis qvidem periculo [illegible] hoc tempore adeò dominatur in hominibus, ut corda [illegible] creaturis perdantur? R. Hæc summa Cæcitas, sum̃a [illegible] est, quam unqvàm humanus sensus potest prehendere, qvia si posset sciri, quid subseqvi debeat, non posset fieri qvin præ timore & irâ Dei contabesceret homo. Hæc autem qvis curat? qvis inqvirit? qvin potius posthabitâ omni [illegible]dine spernuntur hæc ceu mera fabula, & interveniente [illegible]tudine solent homines ea susq; deq; habere tanquàm lu[illegible] qvotidianum, sic ut in contemtu eorum nonnulli insuper [illegible] aucupentur. Hæc igitur summæ desipientiæ spectacula [illegible] sancti non nesciant, dubitandum non est, qvin dummodo possent, clamando, plorando cruentas lachrymas eapro[illegible] effunderent, qvatenùs & vulnera Christi de novo laceran[illegible] lamentabili facto, qvod scilicet humanum Cor, pro qvo [illegible] sanguinem suum pretiosum, nec non florentem suam [illegible] cum sanctâ animâ tradidit, adeò probrosè aufertur ei, ut [illegible] indè expulsus habeatur.

Q. Qvodsi qvis hæreat hîc ambigendo, num fidem his verbis tribuat? R. Tota Scriptura plena est verborum in sensum [illegible] concedentium. Christus dicit: Nemo potest duobus Matth. [illegible] servire, aut enim unum diliget & alterum odio ha- 6. [illegible] Et iterum: si oculus te scandalizat, eripe & abjice eum. Matth. 5.

Sic

Matth. 6. Sic etiam: Ubi thesaurus tuus, ibi etiam Cor tuum est. His autem sic se habentibus dispiciendum est unicuiq; qvantum sui cordis Deus habeat, an Deus sit ejus Thesaurus. S. Augustinus ait: si terram amatis, terra estis, nam anima plus ibi est, ubi amat, qvàm ubi Corpori Vitam communicat. Imò & Paulus dicit: Si linguis Angelorum loqverer &c. Charitatem autem non haberem, nihil essem. Idcircò maximoperè necessum est, ut homo conversus cum magnâ gratiarum actione & cum dilectione actuali ardenter se exerceat in oratione, qvatenùs ea exercitatio aliàs facilimè solet deficere, cùm & tempus sit periculosum & natura ipsa nunc non tàm robusta prout priscis fuit seculis. Aut enim cunctis Viribus Deo est adhærendum, aut impedimentis cedendum, qvæ omnia collabi faciunt, non sic erat ab antiqvo: hactenùs indiget homo forti sustinaculo qvo mediante custodiatur à lapsu tàm periculoso, cujus autem indiget, id accipit compendiosè mediante ardenti oratione.

1. Cor. 13.

Q. Quid si in oratione nihil sensibilis solatii vel suavitatis percipiat homo, annon videtur hinc orationem frustrari efficaciâ? R. Non expavescat homo ideò, quoniam tale solatium & jucunda perceptio plerumq; est externi hominis sensatio, imaginationis effectus. Cùm homo facit qvod facere debet, si simul intus deseritur, id superat omnem perceptionem (sensum) qvem potest unquàm habere. Cùm omnes potentiæ hominis ad Deum expansæ sunt, ipse homo verò derelictus in obscurâ frigidà obduratione se constitutum sentit, si tamen eò aspirat, qvò posset Deum amare modo perceptibili; crux ea exuperat cunctas alias Cruces. Nam amarissima ejusmodi egestas & miseria ducit hominem longè proximius ad fundum vivæ veritatis, quàm omnis perceptio vel degustatio. Qvid qvod

Marc. 17 Christus ipse dixit: Deus meus, ut quid me dereliquisti? Et

Matth. 26. antecedenter: Pater non mea sed tua Voluntas fiat. Hinc animus non est perdendus, qvia & ipse Salvator dixit: Qvi me vult sequi, abneget seipsum, tollat suam Crucem quotidiè & seqvatur me. Crux ea est Christus crucifixus, qui

qvi naſci debet per omnes potentias, per intellectum, Voluntatem, imò per hominem externum, per ſenſus ſcilicet, maximè autem per qvatuor ſeqventes. Prima eſt externa concupiſcentia (facultas concupiſcibilis), per eam oportet naſci Crucem. S. Paulus enim dicit: Qvi Chriſtum attinent, crucifixerunt carnem ſuam cum omnibus concupiſcentiis ſuis, hæ namq; fræno regendæ ſunt. Secunda eſt facultas iraſcibilis, per qvam Crux ea naſci debet, ut ſe in omnibus rebus homo contineat cenſendo alium plus juris habere qvàm ipſe habet, deindè etiam ne contendat, ſed potius diſcat ſilere & eſſe manſuetus in humanitate, undecunq; adverſum obveniat. E. g. ſi qvis eſt vel ſolus vel in Congregatione & audit alios circà ſe plurimum garrire, tacere raro, diſcat indè ſe abſtrahere, pati & ad ſe convertere, qvoniam nemo fit Magiſter in arte, ni prius didicerit eam; ità qvoq; diſcendum eſt, qvaliter in omni adverſitate viriliter pugnet. Reliqvæ duæ ſuperiores potentiæ, per qvas crux naſci debet, ſunt ſubtiles, intellectus ſcilicet & deſiderium Spiritûs intus. Breviter: per hominem internum & externum oportet Chriſtum amantiſſimum naſci in nobis & ex nobis, indè futurum, ut & nos renaſcamur in eo tanqvàm fructus Spiritûs ejus, ſicut ſcriptum eſt: oportet eſſe ſicut infantes noviter nati.

Gal. 6.

1. Pet. 1.

Q. De Cruce jam dictum eſt, explica nunc etiam, qvid in hoc ſenſu ſignificet Vox omnia, qvæ Chriſtus ad ſe trahere voluit? R. Ad hanc quæſtionem paulò antè reſponſum eſt, hîc ergò tantùm repeto, de homine poſſe dici quod denotatur per omnia, qvatenùs cnm omnibus habet aliqvam ſimilitudinem aut comparationem.

Q. Siccinè & exaltatio Crucis eſt homini neceſſaria? R. Omninò: qvoniam inveniuntur multi qvi Crucem inveniunt, qvoad à Deo ſatis potenter trahuntur ad Crucem mediante variâ paſſione; aſt paſſio hæc non debet ſolùm inveniri, ſed etiam exaltari. Quodſi homo ſeipſum ſæpius obſervaret in ſe converſus, non deforet Cruci, qvin adhuc vigeſies qvotidiè inveniat

qvoddam incidens & accidens excrucians, qvo crucifigatur; ast cùm non studeat exaltare Crucem, non rectè procedit hactenùs. Sunt enim omnia Crucis onera elevanda & in Deum transportanda sic ut cum iisdem pro Cruce libenter assumtis cor evehatur in Deum. Sic homo trahitur in Deum, qvi omnia post se trahere vult, cùm exaltatur.

Q. Sunt autem homines, qvi Crucem hanc ferunt forinsecùs, nempè mediantibus externis bonis exercitiis, legunt, vigilant, jejunant, taliterq; Servitium Domino nostro faciunt, annon hiscè censes Cruci satisfactum? R. Neutiqvàm! Servitium hoc est nimis tenue ac jejunum, qvia tantùm externum. Nunqvid eapropter tantùm Deus creavit hominem? Tametsi hæc opera sint in se valdè bona, nihilominus desiderat Deus singulariter Amicitiam & Unionem cum homine: istiusmodi verò homines, etsi Crucem forinsecùs portant, præcavent tamen omni studio, ne qvà in eos penetret, qua-indè non verentur quærere temporis otia, delicias, commoditates & qvalemcunq; distractionem, ubicunq; versantur. Interim tamen expedit iis ferre Crucem, quatenùs Crux custodit hominem à multis vitiis, peccatis & malitiâ, dehinc & magnam pœnam aufert, fortè etiam infernalem.

Q. Quid dicis ad totam eam Domini enunciationem, cùm dixit: omnia ad me traham? R. Qui plura simul trahere vult, aut in fasciculum colligat ea aut alio modo conjungendo coagminat in unum, posteà trahit; simili modo facit Dominus noster, qvoniam ab initio congregando componit distractum hominem separando ab eo omnem extravagationem ac dispersionem sensuum, potentiarum, verborum & factorum, cogitationum qvoq; intentionis, imaginationis, desiderii, concupiscentiæ, rationis, intellectûs, voluntatis & amoris; & cùm hæc omnia sunt ritè recollecta trahit Deus hominem post se. Omnis delectatio, sufficientia &c. Cui homo adhæret foris & intus, debet auferri antè omnia; ast ea abstractio est Crux pergrandis, tantoq; gravior, quantò adhæsio ea firmior est.

Neq;

Neq; enim ulla oblectatio aut amor creaturarum, qvàm sanctum qvamq; divinum qvid videatur vel vocetur, excipitur, qvin omnis emori debet, si unqvàm exaltari atq; in Deum trahi qvis debeat, imò hocipsum est tantùm primus seu infimus gradus in homine externo.

Q. Ad Crucis in homine interno exaltationem dic qvid sit necessarium? R. Necessum est, ut homo abstrahatur ab omni internâ suavitate, ab omni deliciosâ adhæsione Spiritûs, imò & ab eâ, qvæ à virtutibus solet progigni; & tametsi in his fere nequeat abesse qvæpiam delectatio, adesse tamen non debet appropriatio.

Q. Quid est hoc loco sufficientia & delectatio? Fortè qvod aliqvis vult & potest jejunare, vigilare, orare, aliaq; rigida peragere exercitia? R. Ut exercitatio hæc fiant cum delectatione Deus non concederet. Quid putat homo de istâ Dei permissione, qvod una dies ad æqvum non respondeat alteri, quod potius id qvod hodiè plurimùm promovet devotionem, cras nihil efficiat, qvin hominem sinat à phantasiis & incidentibus cogitationibus, è qvibus nihil fit, exagitari atq; longissimè extravagari? Verùm observa consilium hîc: Homo susceptâ Cruce à Deo sustineat passionem, qvoniam futurum est, ut suavis reddatur Crux, si Deo oblata feratur in verâ resignatione & gratiarum actione, & sicut dixit Mater Domini: magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus, in Deo salutari meo; ità debet homo laude glorificare Deum in omnibus rebus, sivè auferat, sivè largiatur, prout vult. Nonnunqvàm est aliqvis in fundo suo purus, qvoniam autem vult multa cognoscere & percipere, adhæret rebus cognoscibilibus: hîc debet operam impendere veræ resignationi indignũ se reputando perceptione & cognitione; plus etiam debet diligere Crucem tentationis qvàm florem suavitatis, cùm homo semper teneatur Crucem habere. Nam & Christum oportebat pati & sic in suam gloriam introire. Quicqvid igitur occurrit aut adversatur homini in suo interiori, sivè sit illuminatio sivè degu-

ſtatio, eſt deſerendum, præterea nil intentandum nec inqvirendum qvid ſit, qvoniam ad ſuum Nihil refugiendum.

Q. Quid ſentis de eo, qvod Chriſtus poſt injunctam Crucis Suſceptionem hæc verba adjecit, & ſeqvatur me? R. In aliis locis Scripturæ reqvirit Chriſtus à nobis ſequelam ſui, ſed hoc loco tantum volunt ea imitationis verba, ac ſi diceret; cum cruce oportet ſeqvi Chriſtum, non cum bonis diebus, lautitiâ ſcilicet &c. Exemplum hujus præbuit S. Apoſtolus Andreas, cùm dixit: ſalve Crux deſideratisſima, qvam toto corde dudum deſideravi, auferte me ab hominibus & reddite mihi Magiſtrum meum. Iſtiusmodi cruciata ſivè cum cruce ſeqvela non eſt inſtituenda uno die & altero intermittenda, ſiqvidem opus eſt, ut qvilibet inceſſanter obſervet tùm ſeipſum, tùm omnes incidentias, cogitationes, undecunq; cauſentur foris & intus, imò etiam peccatorum atq; defectuum numerum, ſic nimirùm ut, ſi qvà ſeptuageſies per diem caderet, toties ſurgendo revertatur, atq; ad Deum converſus totalem peccatorum ſuorum elapſum procuret ocyus. Non indè turbetur cor neceſſum eſt, ſed potius noſcendum, iſta omnia accidere non ad inferendum damnum, ſed potius ad participandum agnitionem ſui Nihili, ut ſcilicet homo ſeipſum contemnat in verâ reſignatione, qvâ puſillanimitas (cordis dolor) qvæ huc non pertinet, pellitur, hoc ipſum fieri poteſt, ſi in ſe deprehendit bonam ac præparatam ergà Deum voluntatem. Cùm homo non ſit infallibilis, oportet eum acquieſcere in omni præfatæ Crucis pasſione, nam & ad id qvod Paulus ait: Iis qvi Deum diligunt, cuncta cooperantur ad bonum: addit gloſſa hæc verba; peccatum etiam. Idcircò ad Deum eſt in ſilentio confugiendum, intusvè manendum, non autem ſtatim circacircum vagandum conqveſtum, qvin etiam S. Matthæus ſine informatione ſeqvebatur Chriſtum impræparatus. Sic etiam, cùm homo ſe deprehendit in defectu, non eſt, ut Crucem extendat immoderatius adverſus ſuos exteriores Senſus, ſed potius Veritati eſt permittenda crucis determinatio, ipſe verò permaneat

Luc. 9. Rom. 8. Matth. 9.

maneat fidelis in suâ quiete. Non enim inest damnabile qvid his qvi Deum libenter amarent, sicut iis est, qvi petulanter se convertunt ad creaturas caducas, hâc ratione illos tantùm occupat exercitatio quædam. Attamen in veritate hîc traditur cognoscendum, qvod qvisqvis scienter volenter obsessus est à creaturis, quà causa peccati existit, damnationis reum se efficit. Porrò cùm Dominus dicit, tollat Crucem suam, superaddit voculam quotidiè. Crux ea & abnegatio pluribus Amicis Dei imponitur, sic ut dici neqveat, qvaliter se linqvere debeant in cunctis modis, ubi se inveniunt. Nil valet, quod non habet pretium; qui parum serit, parum metet, id autem soli Deo faciendum est. Sed qvid juvare eos potest adhortatio totalis mortificationis, qui suam antiquam nolunt deserere consvetudinem, qvi potius foris cum suis sensibus tenaciter adhærent assveto sui exercitii modo? Dominus autem dicit: seqvimini me. Servus non præcedit, sed seqvitur suum Dominum non juxtà suam sed juxtà Domini Voluntatem. Et si qvà aliud exemplum erudiens non haberemus præterquàm id, quod est notissimum, quàm scilicet mundani servi & servæ nil ferè habeant propriæ voluntatis, quatenùs omnis eorum potentia & diligentia directa est juxtà Dominorum voluntatem & juxtà servitium, ea certè doctrina esset sufficiens: qvin sicut oportet emori & corrumpi granum, cùm fructum ferre debet; ità & hominem oportet emori propriæ suæ voluntati totaliter, ac si eam nunqvàm habuisset. Nam cùm homo se Deo dedere vult, necessum est id fieri ubiq; in absolutâ Voluntatis privatione.

Q. Cùm homo sit quasi triplex, utpotè animalis juxtà sensus, rationalis & Deiformis, quomodò potest id huc applicari? R. In supremo, intimo, hoc est, mentali oportet hominem se vertere & componere cum igne divinæ abyssi, cui se mancipet modo deserto, inferiores duos homines rationalem scilicet & sensualem conculcare debet juxtà Bernhardum, ut homo brutalis cum suis concupiscentiis abstrahatur à rebus quas cum

 amore

amore possedit. Quàm dura Crux ea sit qvis non pernoscat? Nec minor Crux est, ait idem, externum hominem trahere in internum, nimirùm à visibilibus & idealibus rebus in fundum. Pro Cruce suâ debet homo suscipere omnia accidentia & Cruces, quæ in inferiores duos homines incidunt & quæ videntur eam impedire inversionem, & sivè à sensibus sivè à ratione gignantur, sunt demandandæ inferioribus potentiis, ipse verò cum omnibus viribus eas transcendendo se in sublime conferat juxtà exemplum Patriarchæ Abraham, qui sacrificium Deo facturus solus cum Filio ascendebat in montem relicto servo & asino subtus in Colliculo. Nam juxtà hunc modum relinqvendus est homo carnalis, qvi merus asinus est, imò etiam servus, qvi naturalis ratio est, hæc verè servit in hoc negotio, quatenùs ducit hominem ad montem hujuscè ascensionis, ubi uterq; remanere debet, homo verò ascendat solus cum Filio (mente) in sanctum sanctorum ad offerendum Sacrificium & occulendum ibi mentem in latebras abyssi divinæ, de qvâ dicit Psalmus:
Ps. 30. Domine abscondes eos in abscondito vultûs tui. In eâ absconsione transfertur Spiritus creatus in suum increatum, quò cùm pertigerit homo, nil curat qvicqvid sit vel qvid acciderit externo ejus homini sivè passio, egestas &c. Ejusmodi homi-
Joh. 12. nes seqvuntur Dominum nostrum, sicut dicit: Qui mihi servit, sequatur me, & ubi ego sum, ibi Minister meus erit. Nevè erremus, sed noscamus ubi sit, his verbis edocuit dicens:
Joh. 14 Ego sum in Patre & Pater in me est.

Q. Ex his cognoscitur magna Crucis Utilitas; non minor erit dignitas ejus: tu ergò adde hìc qvid habes de dignitate Crucis? R. Nemo potest dignitatem Crucis satis expendere aut dignè eloqvi. Inter alia fugatur malignitas Diaboli ejusq; calliditas per S. Crucis potentiam, hoc est, per duram & acerbam passionem Domini nostri Jesu Christi, qvin & dominicæ passionis applicatio efficit, ut verbum Dei, quod sancti homines & Prophetæ prædicârunt, in homine permanendo fructificet; præterea trahit passio Domini semper & suaviter Cor ho-

hominis post se in verâ humilitate mediante ardenti divinoq; amore. Id enim conveniens est, ut sicut Christus volenter passus est, ità & nos patienter seqvamur eum pro virili, cum eo spiritualiter capti, ligati & judicati. Salvator noster affigebatur Cruci nudus sic ne filum tegendo corpori superfuerit, vestibus ejus in conspectu suo expositis sorti. Undè verè noscendum ac notandum est, qvod, quisquis cupit ad suam venire perfectionem, eum oporteat carere omni qvod, Deus non est, ità ne hilum sibi retineat, præter id, qvod etiam qvæ deseruntur cuncta, oporteat ludendo & illudendo perdi sub vituperii, stultitiæ & hæresis insimulatæ passione. Oportet hominem in altum extollere Crucem suam, qvoniam scriptum est in libro revelationis: qvod adventuræ sunt plagæ magnæ haud multum absimiles iis, quas secum afferet dies novissimus, & qvanqvàm dies iste nondum instet, nihilominus completum est tempus prædictas plagas præcedens, & expectamus plagas singulis annis, imò quavis die ac horâ, eò quod nesciamus quandò venturæ sunt. His autem accedentibus futurum est, ut tantùm hi salventur, qui sunt signati literâ T, id est, signaculo Crucis in frontibus eorum. Qvicunq; Crucem Christi non habet in se & coràm se, procul dubio non erit salvatus. Ast qvid aliud potest intelligi per Crucem qvàm passio & cruciatus? Neq; enim parcit Deus magnæ rationis & prudentiæ hominibus, nec etiam contemplativis, vel secundum beneplacitum proprium operantibus; cùm solùm his parcere jubeat, qvi sunt signati Cruce, id est, qui patiuntur. Non dixit ad eos, qvos ad sequelam sui invitat: sequimini me cum contemplatione, sed cum passione intelligendum erat. Apoc. 16

Q. Cùm autem hoc tempore nemo facilè reperiatur qvi propter Deum pati vult, qvilibet etiam putet se magna tormenta sustinere non posse, cùm etiam humana infirmitas adeò magna, Zelus verò quo prisco tempore accensi erant homines, nunc adeò extinctus sit, ut nemo ferè se aggravari sinat propter

pter Dominum, dignare, quæso, candidè dicere, annon inveniendus sit novus Crucis modus, qvo qvidem homines Crucem meritoriam habeant, sed eam non sentiant; sic enim non defore censeo, qvi eam cupidè suscipiant? R. In hâc etiam quam petis re nolo tibi deesse, quin potius indicabo Crucem aliqvam tantæ virtutis, ut hominem eam suscipientem, hactenùs reddat quàm optimum, eoq: præservet, ne ulla eum plaga ferire queat; & hæc ipsa est, quæ prout cupis, magnis tormentis caret. Enimverò unusquisq. seipsum amando respicit, externa qvoq; horremus exercitia, jejunia, scilicet, vigilias & similia, qvæ tametsi non sint ea Crux, de quâ quid dicere proposui, nihilominus haud parum ad eam inserviunt, cujus respectu qvilibet totidem talia exercitia usurpare potest, qvot sibi eò servire judicat, quoniam ad eam Crucem, de qvâ dicam, suscipiendam neminem excludit sivè ætas sivè infirmitas, quapropter potest unusqvisq; eam Crucem tollere, atq; cum eâ sequi suum Salvatorem.

Q. Jam ergò, si lubet, describe Crucem eam? R. Crux ea quæ levior est aliis, est conformata è quatuor lignis, qvorum unum spectat summitatem, alterum profundum, duo reliqua sunt utrinq; ad latera extensa. Supremum lignum est ardens divina Charitas: Brachium sinistrum profunda humilitas est, quæ affigitur cum incuriâ hominum, suiipsius, & rerum qvæ accidunt cunctarum; ast ea incuria est aliud & latius quid qvàm contemtus, cui plerumq; inest superbiæ qvidpiam. Brachium dextrum est vera interna puritas: brachium hoc affigitur Cruci mediante voluntariâ Carentiâ cunctarum rerum, qvæ possunt puritatem turbidam ac impuram reddere intus vel extus. Infimum ejus seu fulcimentum est perfecta obedientia, qvæ acclavatur cum plenâ resignatione ejus, à quo se deprehendit possideri, quoniam opus est, ut ubicunq; se invenit, ibi se propter Dominum ilicò deserat (utut difficile sit) nè qvà seipsum possideat tàm in operando qvàm quiescendo. Ea Crucis ligna conjunguntur in medio, ut unam effigient Crucem, idq;

idq; mediante petitione: fiat Voluntas tua: id est, perfectâ cum abnegatione liberæ suæ voluntatis propter Dominum.
Q. Qvid est hoc loco notandum circà brachium sinistrum seu humilitatem? R. Id qvod S. Augustinus dicit: Homo qvi ambulat in veritate, securus redditur in pasione. Oportet hominem annihilari penitus in animo suo sicut & in omnium hominum oculis: præterea debet abstrahi ab omnibus ejus fulcimentis unà & ab eo qvod est & habet liberè concedendo, ut in conspectu ejus diripiantur ea ad lusum, sicut vestimenta Christi direpta fuerunt ludentibus in pretium. Oportet eum contemni; illudi, probro affici, oportet etiam vitam ejus pretio elabi ac pro stultitiâ haberi, sic ut omnes qvi simul versantur cum eo, judicent, odio proseqvantur, erroris aut hæresis clàm palamvè insimulent eum. Cæterùm cùm vel ipse videat vel aliàs nonnesciat hoc, non est, ut inacceptum id habeat contradicendo aut excusando se, tanqvàm nimis malitiosè alter injuriam sibi intulerit; sed potius opus est, ut se indignum reputet, qvi, qvoad miser homo est, à tàm prænobili homine contemtui habitus convellatur: hæc namq; est Crux, cui si se submittere ac parvipendere noverit, seqvetur Christum cum eâ veraciter.
Q. Quid circà brachium dextrum? R. Est illibata sinceritas, qvæ affigitur cum spontaneâ carentiâ sensuum voluptatis, earumq; rerum qvæ Deus non sunt, maximè earum qvæ puritatem possunt commaculare.
Q. Quid circà inferius fulcrum? R. Per id significatur vera ergà Deum obedientia, qvæ acclavatur cum verâ resignatione, sic ut se spontè submittat ubiq; divinæ voluntati.
Q. Quid medium? R. Est libera humanæ voluntatis resignatio in Voluntatem divinam, quoniam opus est, ut qvàm magnam passionem Deus vel homines ei immiserint, patienter eam perferat propter Deum exhilarando & inclinando se versus Crucem passionis sivè sit merita sivè immerita.
Q. Sed si qvis dicat: infirmus sum, non possum sustinere? R.
Uuuu Noscen-

Noſcendum eſt, hominem habere duplicem voluntatem, ſuperiorem & inferiorem, id eſt, Mentis & ſenſitivæ. Naturalis ſenſitivæ Voluntas vult ſemper paſſione carere; ſecùs Voluntas Mentis dicit cum Chriſto: Non mea ſed tua fiat Voluntas ubiq;. Caput Crucis eſt amor Dei qvi fulcrum non habet aliud, præterqvàm merum abitum, obitum, id eſt, deſertionem tàm Dei qvàm Creaturarum, cujus ergò dicendum eſſet, Deus meus, ut qvid me dereliqviſti. Venerabile Caput Domini noſtri Jeſu Chriſti non habeat, qvò ſe reponebat. Ità ſi homo in ſuà diſconſolatione haberet amorem divinum pariter & ſuavem Dei perceptionem, ad qvid curaret totius mundi adverſitatem?

Q. Quid eſt, qvod Chriſtus reſpondit cuidam ſancto homini inquirenti in cauſam tàm horrendæ paſſionis Amicis Dei illatæ? R. Sic Dominus reſpondit ei dicens: Homo inclinat ſemper ad voluptatem ſenſuum, & ad detrimentoſam commoditatem, qvapropter obſepio cunctas vias ejus, ut ſolus ipſe ſim ejus ſufficientia.

Q. Ignoſce curioſam, aſt non inutilem qvæſtionem, nimirùm, an ſit poſſibile, ut eorum qvi Vitam æternam conſeqvi cupiunt aliqvis ſit ſinè Cruce? R. Caput divinæ Charitatis pendebat à ligno deorſum inclinatum, hinc neqvit fieri, qvin ſemper portet Crucem, qvi cupit eſſe pius. Crucem oportet eum habere qualisqualis ea ſit, acerbæ tamen paſſionis: non datur homo tantam adeptus eloqventiam, qvâ poſſet aliqvem à Cruce abſolvere, nam patiendum eſt. Qvocunq; poteſt, fugiat, qvi vult, vel quod lubet, faciat, nonniſi patiendum eſt. Qvidſi qvà Deus ad tempus ſuffulciat Crucem humero ſuo, partemq; graviorem ipſe bajulet, tunc qvidem fit, ut homo ſe liberum cenſens exiſtimet nil unqvàm paſſum eſſe, imò interim oblivioni traditam ignoret paſſionem: attamen qvamprimùm Deus ſuum ſubtraxerit brachium, redit pondus paſſionis ad ſuam gravitatem, in ſuam acerbitatem & intolerantiam. Hoc univerſum prætulit benedictus Dei Filius modo omnium graviſſimo,

visſimo, eum ſeqvuti ſunt reliqvi Cruciferi omnes, Amici Dei dilectisſimi. Hæc Crux eſt currus ignitus, qvo fuit Elias in Cœlum transvectus.

Q. Sed qvid ad id, qvod qvidam dicunt in hunc modum. O ſi purus ac innocens eſſem, nec meis peccatis promeritus eſſem, libenter paterer propter Deum ſpe frætus fore, ut indè fructuoſa reddatur & utilis pasſio? R. Homo peccator poteſt taliter pati, ut ea pasſio fiat magis proficua ſeu meritoria ei, qvàm homini innocenti.

Q. Quomodò hoc? R. Notato exemplum: Cùm qvis intentat ſaltum eximium, tot pasſibus graditur retrorſum, qvot putat curſum reddi poſſe velociorem, qvo peracto ſaltat viriliter; ſi verò ſaltum protendere cupit, non veretur numeratis retrò pasſibus curſum ſaltui proportionatum elongando intentare. Ad modum præfatum debet ſe gerere bonus homo, ut ſcilicet ſe ſemper indignum æſtimet ac obligatum Deo cunctisvè creaturis, cùm ſic futurum ſit, ut ſine dubio potentius atq; prolixius ſaliat in Deum, in æternum divinæ Veritatis bonum. Quò magis fundatè ſe qvis cognoſcit in fundo ſuo ſe contemnendo (verè annihilando) non cum glosſis ſed ex corde ſe transferendo, eò propius ſalit in Deum, converſione ſcilicet ſuâ in Deum redditá perfectiore.

Q. Cùm ab inſigni Cruce tàm internus qvàm externus homo ſæpè confundatur, annon hìc ſupereſt remedium? R. Supereſt remedium qvod duplicis generis eſt, ſupernum & infernum. Supernum qvidem eſt judicium & divina permisſio, qvà Deus homini vel adjudicavit pœnam vel permiſit, ut ſubeat Crucem & Pasſionem: infernum autem eſt oblatio ſui & tranqvilla perpesſio. Sic namq; confuſio omnis in ordinem reducitur, & homo per Creaturas cunctas manifeſtatus redditur Deo.

Q. Qvaliter autem poteſt homo ſibi proſpicere, ne Deum, Corpus, Animamvè per Crucem amittat? R. Oportet eum. 1. Obſervare 1 ſeipſum, 2 voluntatem, reqviſita ſeu mandata

Domini, 3 Crucem, qvà Deus hominem præparat, cuncta hæc ideò, ut homo seipsum tanqvàm alienum atq; concreditum Talentum fideli dispensatione tractet.

2. Summoperè sibi cavere sub suis externis actionibus, à modis propriis & singularibus, imò (qvod probè notandum) à cunctis conceptibus eum contristantibus & illaqveantibus: hic qvidem animi defectus est hodiè valdè familiaris hominibus contemplationi deditis, attamen valdè noxius & non nisi à Dæmone illatus.

3. Carere voluntate suâ in cunctis rebus, ità ut verè paupe-res inveniantur, tametsi ipsum Deum haberent.

4. Committere se cruci, qvam Deus imposuit iis in omni tempore, loco & statu, sivè in claustris, officiis, sivè in conjugio. Nam qvò acerbior Crux est, eò suavior hominis in Deo Resurrectio: nobilissima ergò Crux est & efficacior, utiliorq; cunctis in universum concionibus aut præstantibus orationibus.

5. Subjicere se manui Dei, & pati divinum Opus in patientiâ.

6. Corpus tractare & juxtà necessitatem nutrire, idq; gubernare ordine bono atq; decenter.

7. Moderatè se exercere tàm internis qvàm externis iis exercitationibus, qvæ aliàs solent naturam turbare, confundere, destruere, ineptam rudemvè reddere, neq; immodicâ castigatione in proprium Corpus sævire, qvoniam interest hominis capacem esse, qvò Deus reqviem suam inveniat.

His probè observatis securus est de seipso, nec Deum nec seipsum amittet.

Q. Verùm notabilis occurrit hîc difficultas, qvâ homines non satis instructi sæpenumerò gravari solent, qvæ datâ occasione hîc submovenda videtur. Est quædam Crucis species, cùm homo angitur internè immodico creaturarum amore, quæritur ergò, qvid tunc agendum est, cùm toleranda sit Crux? R. Crux ea est ponderosum onus, homo qvoq; dignus, cui

cui subveniat aliqvis, ne succumbat. Datur autem consilium hoc, ut homo efficiat, qvò careat creaturarum præsentiâ, nam dicitur absens carens: qvi bonum cogitat, malum non cogitet necessum est, qvod qvis non habet, eo non utitur, qvo tempore qvis hoc vult, eo nequit velle aliud, qvi Deum amat, seipsũ non amat: careat ergò in mente suâ cunctis creaturis, qvæcunq;, qvalescunq;, qvàm sanctæ deniq; videantur, sivè sint Amici, cognati, parentes, maritus, marita &c. qvæ velut naturæ glutine compactæ cohærent aliàs. Eam namq; creaturarum fugam seqvitur permutatio anxietatis in gaudium liberæ conscientiæ, Crucis qvoq; in fructum Salutis.

Q. De dignitate Crucis jam eruditus sum: restat ultimatim inqvirere, quid sentiendum sit de vulgari qvâdam opinione, qvoad multi sunt Christianorum, qvi cupiunt Paradisum impetrare eo modo, qvo Latro cum Christo crucifixus & salvatus eum impetrâsse creditur? R. Si modum consideramus, qvo Latro salvus factus est, invenimus perpaucos ad eum modum acquirere beatitudinem. Sivè ergò respiciat aliqvis ad admirandam Latronis fidem, sivè ad passionem Crucifixionis, neutrum veraciter de hujusmodi cupidis dici potest. Ea qvippè fides est tantò mirabilior, qvantò pro ejusdem celeritate fuit & firmior & per spem atq; charitatem vivacior, non minus etiam inter immensa qvassati Corporis tormenta perfectior reddita, insuperq; signaculo mortis obsignata. Ecqvis est, cujus fides celerrimè crescens per charitatem operosa ac per cruciatûs Crucis ad mortem usq; acerbissimam deprehenditur probata? Certè qvisqvis talis est, expetat cum latrone Paradisum, imò & conquirat. Ajo autem multos eoq; plurimos esse, qui præter mortuam qvam habent fidem Latronis fidei dissimilimam, dum adhuc carent crucifixione & mortis tormentis, Paradisum sibi vendicant, aptitudinem eam summâ superbiâ & cæcitate, imò & iniquâ comparatione sibi persuadentes.

Q. Annon sufficiat habere fidem conformatam ad Exemplum

 ejus,

ejus, qvæ Latroni erat, cùm corporalis Crucifixio non attendatur in causâ Salutis? R. Quoniam homo diversis constat partibus, corpore scilicet, Animâ & Spiritu, qvicqvid de unâ tantùm parte dicitur, dicitur de diverso, qvicqvid autem de toto dicitur, de omni parte dicitur. Ast Crucifixio de toto homine dicitur apud S. Paulum, ergò etiam de corpore, ergò corporalis Crucifixio est etiam attendenda. In comparatione ad Personam Christi, qvi totus fuit crucifixus, refertur etiam crucifixio hominis Christiani ad totum hominem, hoc est, ad Spiritum & Corpus. Sivè ergò seorsim est ac dici potest Crucifixio solius Corporis, aut suspensio solius Spiritûs, sivè conjunctim (non qvidem qvoad exaltationem utriuslibet in ligno cruciformi, sed qvoad passionem acutam & cruciantem multam) certum est, omnem fidelem christianum esse cum Christo crucifigendum, sivè ad partem Corporis sivè ad partem Spiritûs, sivè ad totum, qvaliacunq; sint tormenta & passiones, qvas legimus non esse condignas æternâ gloriâ, oportet esse cruciferos, oportet esse Cruci appensos allegoricè. Hæc enim est Voluntas Christi jubentis tollere Crucem suam & seqvi eum (id est, ad appensionem). Idipsum voluit Paulus, cùm dixit:
Gal. 2. Cum Christo crucifixus sum. Ut autem Crucifixio Domini erat longè gravior & ignominiosior qvàm crucifixio latronis; ità fuit etiam longè nobilior & gloriosior, erat enim hic innocens Dei filius, ille Latro. Ideoq; is ipse qvi per suam gratiam fecit nos fieri filios Dei, non Latronum, imposuit suis seqvacibus non qvidem Crucem homicidæ, sed crucem suam, ut scilicet cum Christo ipso crucifigamur in cruce Cristi, non in latronis Cruce. Idcircò si qvis aversatur Crucem Latronis unà & fructum ejus, eligat sibi Crucem Domini, è qvâ indubitata Salus racematim dependet juxtà promissionem & perceptionem, videlicet Botrus expressione fundens vinum Sanguinis. Latronis Lignum aridum & exsuccum, Vitæ verò lignum est perpetuo Rore vivo irriguum, fæcundâ ejus venâ scaturiente in Vitam æternam. O qvàm hoc Lignum

est

est præferendum ligno latronis Salutem adepti non è suâ, sed è vicinâ sibi Cruce Domini. Non ergò obaudiatur id, qvod faciendum hortatur Scriptura, nimirùm, ut allaborent fideles vivere talem vitam, per qvam honoretur Deus, qvod fieri neqvit, nî Crux unà & mors Christi appareat in ipso nostro Corpore ad Conversionem tàm nostram qvàm proximi. Observandum potius est omnibus, inprimis iis qvi ad præfatum exemplum appellando cupiunt salvari non cum piis & sanctis Amicis Dei, sed cum publicanis, adulteris, & latronibus, tametsi multæ sint Cruces & juxtà qvatuor dimensiones corporum proportionaliter emensæ, unam tantùm esse Crucem, in qvâ facta est nostra omnium salus: si petis nomen ejus, crede eam esse & vocari Crucem humanæ Christi naturæ, per qvam communicatur nobis agnitio Crucis omnium supremæ, hoc est, divinæ ejusdem naturæ, qvæ etsi sit immensæ altitudinis, profunditatis, incomprehensibilis longitudinis ac latitudinis, est tamen sine Cruce, qvia infinita, sineq; torturâ, qvia impassibilis. Verùm ne malè audiat mutuata à Latrone comparatio, proderit subjungere aliqvid de hominibus, qvi qvoad Conversionem & Crucifixionem comparantur vel ei, qvi à dextrâ, vel ei qvi à lævâ Christi fuerunt suspensi Criminatores. Cùm enim Crux adjudicata sit omnibus, ab ejus onere non eximuntur mali, damnati, quibus ut cunctis aliis sua Crux est, vel major vel minor, si minima sit, ea tamen mors est, sic ut non sit sine Cruce, qvanqvàm bonorum Crux major, Christi omnium maxima sit.

Q. Cape ergò initium à Cruce & latrone ad lævam Salvatoris suspenso, atq; dic, qvaliter qvi similitudinem habent damnationis, se gerunt ad Crucem, ut rei fiant damnationis, quatenùs è Scripturâ cognoscitur à Vitâ improbâ pendere damnationem? R. Per hanc figuram depinguntur homines, qvorum status apparenter bonus est, sic ut videantur pro merito suo pendere in Cruce exercitationis externæ ac strictioris observantiæ, adeoq; luere meriti pœnam, non tamen ad justitiam.

Q. Dic

Q. Dic cur hæc proferas, cùm iſta Crux nihil utilitatis habere videatur præter formam externam? R. Ideò dicuntur hæc, qvia ea ſpeciei forma nil habet utilitatis nilq́; juſtitiæ, qvamdiu tales homines ad ſimilitudinem latronis non emoriuntur obſtinationi nec aliis ſuis vitiis & defectibus peccaminoſis, in qvibus perſeveranter & vivunt & commoriuntur. Qvis ergò non videat miſerrimum horum ſtatum, qvà omnis eorum conatus duraq; Vita eſt vana, inſuper & futurum, ut cum latrone damnato in Cruce moriantur, à Cruce ad infinita alterius Vitæ tormenta deſcendant.

Q. Cùm quælibet Crux habeat ſuas quatuor dimenſiones, qvarum ſingulæ poſſunt portendere aliqvid: dic, qvæſo, qvid per altitudinem Crucis ad lævam erectæ intelligi posſit? R. Per altitudinem crucis poteſt intelligi ſpiritualis ſuperbia & complacentia, qvâ æmulantur ſupremum Angelum lapſum, à qvo per ſimile peccatum ſeducuntur ſic ut ſuper alios elatos ſe reputent longè meliores: hoc vitium exercent quovis tempore, & de hoc ſuavi eos decenti exercitio ſibi complacent, indè qvoq; cernimus eos deſpicere cunctos qvorum Vita non eſt conformis Vitæ & factis eorum. Annon decebat ſuperiores eandem cum inferioribus humilitatem exercere juxtà verbum Chriſti: Major veſtrum ſit minimus, & qvi præeſt vobis, ſit veſter Miniſter? Annon decebat cum Rege in perſonâ ſummi Domini dicere: Vermis ſum non homo; & cum publicano: Eſto mihi propitius peccatori? Per id autem qvod cogitant: Ego ſum, adjudicantur ſocietati ejus, qvi extollendo ſe volebat Deum non ſuperiorem ſed æqualem pati.

Q. Ecquid ergò intelligendum datur per Crucis iſtius profunditatem? R. Uti truncus ligni erat infixus tenebroſo terræ fundo; ità & profunditas peccatorum detinetur abſcondita in falſo & tenebroſo animæ fundo, qvatenùs inverſioni, perſcrutationi & evacuationi cordis immundi nullam adhibent operam. Defectus hic uti turpisſimus, ità quoq́; periculoſisſimus eſt, quia ſub eo in cæcitate permanent nunqvàm ad circum-

cumſpectionem perveniendo, hos itaq; ſubſiſtere cernimus in ſolo externo exercitio non ſine tædio ac moroſitate inſigni. Quid quod hîc allegare licet, quàm penitus ignorent Myſteriũ Unitatis (adunationis Dei) de quâ tametſi quid audiant vel etiam legant, non magis tamen id curant quàm vanum inſomnium, adeò non inqvirunt, non allaborant noſcere, quod maximè attinet ſalutem eorum. Qvid ergò juvat lectio aut perceptio rerum ſpiritualium (divinarum) cùm nec initium nec finem earum intelligant?

Q. Annon ex iis ſunt, qui plurimùm laborant cum ſenſibus externis ad oris usq; lasſitudinem, cùm lectione freqventi integra pſalteria defoliant, adhuc freqventiori ſphærularum contrectatione Roſaria conficiunt ſine igne? R. Abſint jocoſæ quæſtiones, hîc ſeria tractantur: exucca opera ſuis condigna operatoribus ſufficiunt, quæ ſola ut perficiant, linqvunt Deo tùm adunationem, (adhæſionem) tùm quicqvid huic ſimile eſt, tanquàm non ſua, ſed aliena, imò & ipſam beatitudinem.

Q. Aſt ſi intercidant quæ qvæſtum, utile ac honeſtum attinent, num ea etiam Deo linqvent contenti ſuis orationibus? R. Nil minus cogitandum, cùm plurimi conſeneſcant in curâ temporalis & incuriâ æterni commodi. Honeſtum ac utile præponunt devotioni, & quidem ſine inſigni differentiâ, cùm utriusq; in comparatione non ſit diverſum usq; meritum.

Q. Quid ſi eorum Commoditas non proſperè ſuccedat ſemper, quin potius carendum ſit eâ, dic quid indè ſequatur? R. Hoc fulmine icti fiunt amentes & rabioſis ſimiles: eccè vanarum finem operationum.

Q. Suntnè tales pejores aliis, inprimis ob malum exemplum, qvo ſimplices corrumpunt? R. Deterrimi omnium ſunt ſine dubio, qvi elabuntur à vitâ ſpirituali ſimul ac Virtute pietatis, cùm fieri neqveat, qvin ſæpeſæpius peccent lapſu tàm profundo, ut etiam in fidei articulis nutando ſacra dogmata in dubium revocent.

Q. Ultrò pergendo dic, qualia opera intelligantur ſub latitudine ejusdem Crucis? R. Ea, quibuscum itur in viâ latâ & tritâ ad infernum, & qui operantur ea, vivunt juxtà Carnem, non juxtà

xtà Spiritum. De Viâ Cœli dicitur, qvod ſit anguſta, dehinc ſequitur, ſemitam hanc eſſe rectam, adeoq; citiùs pertingi ad ejus terminum, contrà ſeqvitur eos, qui ſemitâ hâc non procedunt, non pervenire ocyus illâc, cùm iis qvi rectam Viam negligunt, neceſſum ſit per ambages longè lateq; oberrare, ubi timendum, ne cum jacturâ temporis ſimul & diem perdant, atq; de nocte perdantur ipſi. Hîc verè applicari poteſt, quod dicitur: periculum in morâ. Nocturnis hiscè Viatoribus conſimiles etiam ſunt, qvi ſemper & ubiq; utile ſeu propriam commoditatem quærunt, qvod aliud nil eſt quàm qværere ſeipſum in omnibus. Qvodſi eorum Vita paſſionis Cruce carere poſſet, hic ſolus optatus eorum, hæc ſola beatitudo eſſet.

Q. Nonnè decet æternum infelices integrè perfrui ſaltem temporali felicitate? R. Neutiquàm! His quoq; Crux eſt pro omni injuſtitiâ gravis admodum, qvin & infixa in conſcientiâ eorum, hactenùs eam ſemper ſecum portant, cùm nec refugium habeant ad Deum, qvem ſpernunt, nec ad mundum ipſum, qvi eos non curat. Hæc ergò auxilii carentia eſt ipſum inferni initium, vita aſpera, Crux dura. Enimverò amariſſimæ pasſioni ſubjiciuntur, qvi paſſionem averſantur, imò futurum eſt, ut temporalis paſſio deſinat in æternam, nî convertantur.

Q. Dic qvid illius Crucis longitudo intelligendum proponat? R. Longitudo ejus indicat, qvod perſeverando in Vitâ improbâ ſuam converſionem prorogant usq; ad finem Vitæ.

Q. Dic undè damnoſa hæc procraſtinatio? R. Provenit ea è ſummâ eorum ingratitudine: ſummâ dico, quia Deus ejuscemodi hominibus plura eoq; majora ſuæ gratiæ beneficia contulit quàm aliis, inſuper & variis monitoriis correptionibus occurrit iis adusq; ſenſibilem perceptionem, quæ omnia tamen impari ingratitudine poſthabuerunt nil mali unquàm veriti, neq; ex Corde ad Deum converſi. Huc applicandum eſt illud Pauli dicentis: ad pœnitentiam non renovari eos, qui exciderunt è ſtatu illuminationis ac deguſtationis donorum divinorum, Deiq; Filium de novo crucifixerunt. Confer adjectam

Heb: 6

ibi

ibi similitudinem, quâ tantum indicare voluit, timendum esse ne omnes ii perdantur æternâ maledictione, qvi gratiam Dei in iis abundantem, manifestisq; divinæ amicitiæ ac familiaritatis documentis contestatam excutiunt animo obstinato, nec specimen ejus fructuosum edunt. Hæc est perniciosa Crux, cui consimiles per Vitam suam appensi & tandem in eâ defuncti deprehenduntur.

Q. Cùm multa eaq; vera sint dicta tàm de significatione quàm de figurâ Crucis Latronis maledicti, videtur hîc esse dicendum aliqvid de Cruce, quæ fuit erecta à latere dextro Domini. Dic ergò qvales Latro præsignificaverit homines, quidvè portenderint quatuor Crucis dimensiones? R. De isto Latrone dicitur, eum sustinuisse in Cruce pœnam suo merito condignam, ejus tamen supplicium fuisse conversum in gloriam & beatitudinem. Figura hæc potest applicari iis, qui patienter ferunt afflictiones tanquàm justam suorum meritorum pœnam, imò & causam Conversionis. Consideratâ enim præteritorum peccatorum multitudine & jacturâ tanti temporis in voluptate Corporis & animæ perditi convertunt se magnâ cum pœnitudine & dolore à peccatis ad vitam bonam relictis propter Deum cunctis desideriis, hoc fine fit, ut quam suis factis dignam sustinent Crucem patienter tolerent, nec parvam indè utilitatem & solatium capiant.

Q. Quæ est ista, de quâ dicis solatii plena utilitas? R. Annon insignis est utilitas, quà Crucis passio flectendo hominem perducit ad fidem, qualem in muliere Christus vocabat magnam seu efficacem, imò & ad spem firmam ergà ineffabilem Dei amorem & misericordiam? Quid autem magis potest solari hominem peccatis concussum quàm suave Christi alloqvium, quo conscientias onustas convocat ad se promittendo iis Paradisum & gratiam? Hujusmodi erat Latronis fides & fiducia in Christi promissionem, quâ assumebatur in gratiam, ad exemplum eorum, qui pari modo in Casu necessitatis ob subitaneam conversionem recipiendi erant.

Q. Ne his diutius immoremur, dic breviter, quid hujus Crucis profunditas qveat significare? Respondeo interrogando pariter, quid est profundius humilitate, quà quis Latronis ad exemplum fatetur suo merito pati quod patitur, quâ etiam Vitiorum suorum agnitione humiliter se subjicit hominibus aliis nemini prælatus? Qvisquis ergò ab isto Latrone discere cupit, discat hoc necessum est, nimirùm, ut in quâcunq; sibi adjudicatâ passione recogitet se reum esse longè gravioris imò & infernalium pœnarum omnium, qvibus pergrandia ejus vindicentur peccata.

Q. Dic quænam utilitas ex istâ lectione percipiatur? R. Ingens exindè resultat fructus, cùm fieri neqveat, qvin ex eâ reatûs agnitione sentiatur gravis Conscientiæ percussio, atq; ad infimum infernum prostratio, tunc neminem contemnit homo nisi seipsum, neminem judicando damnat nisi seipsum. Annon profunda ista humiliatio egregia utilitas est?

Q. Quid altitudo istius Crucis indigitat? R. Per eam indicatur animus à Curis externis abstractus atq; ad Deum sursum elevatus fine contemplationis cœlestium Mysteriorum. Quisquis indè cupit aliquid discere, discat animum suum erigere in altum æternitatis ad contemplandum moraliter virtuosam Domini nostri Vitam, mortem itidem amaram, resurrectionem, ascensionem & Regnum ejus æternum; sic namq; futurum est, ut onus Christi, Crux scilicet passionis suæ reddatur leve, quod enim altum petit, grave non est.

Q. Quid Crucis ejusdem portendit latitudo? R. Amorem latissimum, qvia verum, ergà Deum scilicet, proximum & qvamlibet Creaturam. Huc pertinent, qvi orant tàm Corde qvàm ore non solùm pro seipsis, sed & pro cunctis hominibus, amicis & inimicis, oratione eorum qvaqvaversum pertingente. Ex eo igitur, qvod se cuilibet studiosè in adjutorium offerunt, redundat ea Utilitas, qvà Deum qvem suis peccatis antè dehonestatum irritaverant, reconciliant, adeoq́, in iis

Luc. 7. impletum Scripturæ Verbum verificant, hoc est, charitatem

1.Petr. 4 & misericordiam tegere multitudinem peccatorum.

Q.

Q. Quid per illius Crucis longitudinem significatur? R. Per eam significatur Augmentum seu productio bonorum operum, in qvibus se cum discretione exercent, qvi studium virtutum sibi seriò proponunt ab eo tempore, quo hominis antiqvi renovationem cognoscunt consistere in Justitiâ & Sanctitate Veritatis. Nam in hoc exercitio fit progressus, provectio, approximatio, cujus ergò dicitur: fidelem crescere & augeri de die in diem, donec totus homo renovetur: istius exercitii medio penetrant homines omnis generis passiones perruptis tentationum Cassibus sic ut ipsi demum persentiant, qvàm juxtà Apostolum præsentes hujus seculi afflictiones in iis operentur suprà modum æternam gloriæ mercedem.

Q. Annon hæc omnia sufficiunt cuicunq; bono Christiano, qvos credimus ultrà pervenire non posse? Qvid ergò restat, si optimi comparentur cum Latrone: nunquid Dominus ipse significat neminem, qvi Crucem ejus ex æqvo suscipiat & cum Domino crucifixus dici mereat? R. Ad primum; præfata non sufficere unicuiq; bono Christiano juxtà effatum Scripturæ momentis omnes ut ad perfectionem ducantur: ad alterum: non rectè credere eos, qui dicunt, non ultrà posse perveniri, imò non credunt, sed putant: qvousq; autem perveniendum sit, tradunt cum Scripturâ dogmata Ecclesiastica. Restat ergò Crux Domini laudatissima non derelicta planè sed ab amicis Dei pro modio æmulata. Cùm enim Scriptura jubeat non cum latrone crucifixos mori, sed cum Domino, susceptâ scilicet Cruce dominicâ omnium suavissimâ quanquàm amarissimâ (nonnullis amara sunt gratiora dulcibus) hoc sensu intelligimus, quinam è Christi Sectatoribus proximè respiciant Crucem ejus, nimirum perfecti homines, quos Deus glorioso Filii sui dono dignos efficit, dum eos conjicit in varias afflictiones, adversitates, tentationes, & singulares mæstitias, hoc modo propinando iis Calicem, è quo bibisse dicitur Christus ipse Filius Dei unigenitus. Condignum est discipulum sequi Magistri sui Vestigia, eâdemvè per Crucis Viam intrare in

in Regnum cœlorum, qvam perambulavit ipse præcursor Dominus Regni sui.

Q. In quo applicatur hiscè profunditas Crucis Christi? R. In perpetuo filiali timore, cùm non solùm liberum Deo regimen concedunt in semetipsis, verùm etiam solicitius curant, qvominus Deum offendant.

Q. Quid autem per altitudinem significatur? R. Spes (firma fiducia) de Salute habita non qvidem causâ meriti, sed causâ fidei & resignationis fundatæ in humili Spiritu divinâ Charitate perfuso.

Q. Quidvè per latitudinem? R. Charitas sincera ergà Deum & homines, quos tantâ industriâ per Dei gratiam diligunt, ut
Eph. 4. servent Unitatem Spiritus per vinculum pacis. Uti ergò ab omni vitio & scandalo sibi cavent, ità qvoq; proximum juvant, innoxii aliàs multumvè pro Salute animarum perpessi.

Q. Qvid ergò per longitudinem? R. Cœlestis ambulatio, cùm sint parati tùm ad quamcunq; passionem sustinendam, tùm ad quamcunq; divinam operationem suscipiendam temporaliter ac æternaliter, qvod restat, sunt solùm queruli de propriâ voluntate, qvod ob defectum naturalem ex toto nequeant eam substernere, utut cum Christo dicant: non mea, sed tua, Pater, fiat Voluntas.

Q. Quò deniq; perducit ipsa Crux Domini? R. Ad ipsius divinæ naturæ Crucem, qvam suis amicis applicandum desiderabat Apostolus.

Q. Dic quid Apostolus voluerit intellectum per quatuor easdem Crucis dimensiones impropriè sic dictas? Dic qvid per longitudinem? R. Æternitatem infinitam. Quid per latitudinem? R. Immensam ejus Clementiam. Quid per altitudinem? R. Summam omnipotentiam. Quid per profunditatem? R. Profundam ejus Sapientiam.

Q. Qvinam è numero mortalium pertingunt ad Crucem eam omnis passionis expertem? R. Illi tantùm, qvorum Crux accedit in comparatione ad Crucem humanæ Christi naturæ, velut è præfatis liqvet.

Q.

Q. Ecquis ergò modus est qvo appendantur manibus pedibusq; Mentis, hoc est, cruciformiter immensurabili Cruci Dei? R. Modus iste consistit in hoc, ut Carnis opera devitent omnia directo ad omnem justitiam desiderio: nam sic dicuntur affixi manibus mentis Cruci divinæ naturæ. Ad eum autem modum pertinent etiam sequentia requisita, nimirùm ut semper sint solliciti de explendâ Voluntate Domini, quod fit, si fugiunt omnia qvæ oculis Dei displicent, nam hactenus dicuntur etiam dextro pede Cruci affixi. Quod restat, opus est, ut discant tenere medium inter infelicem beatitatem & beatam infelicitatem, ne recedant ab istâ, vincantur ab illâ: nam sic dicuntur etiam sinistro pede acclavati in eâ Cruce detineri, qvò diutius, eò beatius.

Q. Nunquid restat considerandum aliqvid in termino hoc? R. Id restat, ut mente suâ compatiantur Deo de & super injuriâ eidem illatâ ab initio mundi & inferenda usq; ad novissimum diem: sic enim futurum est, ut, qui ad augendam Dei gloriam tantoperè ab hominibus dehonestatam, cum Christo se crucifigendos tradunt, unà cum Christo custodiantur velut pupilla oculi, ne qvà impunè afficiantur ignominiâ.

De Cruce nunc satis, pergendum itaq; est ad eam præparationem, qvâ antiqvus internus homo renovatur, ut aptus sit ad elidendum sivè superandum qvascunq; tentationes.

CAP. VIII.

De Renovatione hominis interni.

Q. Dic qvid habes de Renovatione hominis? R. Qvod habeo, hiscè trado: Renovatio hominis debet semper fieri eo fine, qvò Deus veraciter & perfectè pos-

possit suam in nobis habere Oeconomiam. Qvodipsum cùm homo impetrare debeat, oportet, ut natura abnegando supprimatur in omni adhæsione, nempè ubi se adhærere sentit, sivè sint Amici, Cognati, sivè aliudqvid, qvod potest extrinsecùs naturæ placere, aut in qvo natura sibi assumit voluptatem, lætitiam, solatium in sensibus, verbis & factis, cuncta hæc sunt exstirpanda. Inservit huc Exercitium temporale, puta vigiliæ, jejunia & similia, in quantum humana natura potest sustinere ea. Interim & hoc est advertendum, quod infida natura quærit seipsam occultè, & sæpè capit homo voluptatem, ubi putat se tantùm capere necessariam sustentationem. Hinc omnem debet impendere operam, ut tale quid in seipso perscrutetur. Emori cunctis inordinatis cupiditatibus, in cibo, potu, in visu, auditu, stando, ambulando, in verbis & factis excruciat naturam valdoperè. Attamen & hoc dicendum est, si tàm hostiles ac bestiales rerum malè ordinatarum cupiditates veraciter in nobis mortificatæ essent, nonnisi gratus Deo
2. Cor. 2. odor essent juxtà Paulinam doctrinam. Sublatis enim naturæ impedimentis impletur in homine id, qvod scriptum est: Ipse
Ps. 103. facit sibi è nubibus currum & ambulat super pennas venti: hoc est, cùm homo terrenam inclinationem in seipso totaliter mortificavit, tunc Deus locum suum ponit in eum. Triplicium autem pennarum mentionem facit Scriptura, qvarum medio utitur Deus, cùm ambulare vult, nimirùm pennarum columbæ, aquilæ & venti. Pennæ columbæ significant homines sinceros, qvi in sanctâ simplicitate persistunt sine felle judicii & pravæ suspicionis, & sine eorum qvæ in aliis hominibus videntur malâ interpretatione; hinc tales sunt taciturni, benevoli, hactenùs seqventes mansuetum innocentem Agnum Christum Dominum nostrum. Ipse igitur Dominus noster super qvolibet transcensu eorum ambulat in omni desiderio, charitate & intentione eorum.

Q. Quid pennæ significant Aquilæ? R. Cùm Aquila in altum volet sic ut visum hominis effugiat, hinc Aquila significat talem

talem hominem, qvi viribus ſuis internis & externis volat ad ſublime abſconſionis Dei. Aſt cùm expandendo qvis internum ſuum & externum hominem cum omnibus potentiis extendit pro virili, tunc petit altum confitendo ac diligendo tàm ſubli-miter, ut nullus ſenſus eum ſeqvi valeat. Super tàm nobi-lium hominum pennis ambulat Deus.

Q. Qvid ergò denotant pennæ Venti? R. Cùm Ventus ſit adeò pernix ac ſubtilis, ut ſciri nequeat, undè veniat & qvò vadat, hâc ratione denotat hoc loco Ventus internum, ſublimem, juxtà Deum formatum hominem, qvi omnem ſenſum & intellectum tranſcendit ſic, ut omnium hominum intellectus in cunctis eo-rum operibus nequeat comprehendere aut ſeqvi eum. Volat itaq; in ſuam originem, in ſuum increatum, ibidemq; Spiri-tus fit Lumen in lumine, in qvo aliqvo modo exſtinguuntur cuncta alia lumina naturalia, qvatenus infuſa lumina quæ un-qvàm luxerunt in homine exiſtunt ſicut tenebræ ſi comparan-tur præfato Lumini. Nam ſicut Sol ſplendore ſuo ſuffocat cuncta ſtellarum lumina; ità divinum lumen cum fulget in fundo animæ extinguit cuncta creata lumina, qvæ hactenùs lu-xerunt in homine. Tunc Spiritus Deiformis magnoperè clarificatur in fundo, qvi extrà hunc actum aliàs in comparati-one ad immenſitatem divini Luminis eſt tanquàm tenebræ, qvatenùs cunctarum creaturarum Intellectus ſe habet ad hoc lumen ſicut hirundinum oculi ad radios ſolares: infirmis enim oculis aſpicienti ſolis orbem apparebit Sol ſicut tenebræ tùm præ immenſo ſolis Lumine, tùm præ infirmitate oculorum. De-hinc dixit paganus Philoſophus: Deum eſſe tenebras in animâ poſt cuncta lumina, eumq; cognoſci cum ignorantiâ mentis: id qvod nobis Chriſtianis propudioſum valdè eſt à qvodam pa-gano dictum eſſe. Quid ergò nos agimus miſeri? Cum qvi-bus qvalitervè verſamur? In Evangelio legimus Zachæum con-ſcendiſſe arborem ſicomorum ad videndum Salvatorem. Ità qvidem devotus homo deſiderat videre eum, qvi tot mirabilia fecit in eo; aſt ad videndum eum nimis parvus eſt. Qvid au-

tem faciendum est ei? Oportet conscendere sicomorum: id est, oportet facere cuncta ea, de qvibus pauló antè dictum est, nimirùm emori debet naturæ & sensualitati, & vivere Vitam interni hominis, super qvem ambulat Deus. Hoc qvidem hujus mundi prudentibus videtur esse stultitia maxima, imò inveniuntur, qui integras bibliothecas perlustrant, librorum agmina pervolvunt, studentq; diligentissimè ad exoptatam usq; ingenii Satisfactionem, qvibus omnibus tamen nobilium istorum Vita videtur esse summa stultitia. Uti autem stultitia est, ità qvoq; beata stultitia est, qvam Deus elegit testificante Christo & dicente: Gratias tibi ago Pater, qvod tale qvid (beatam hanc stultitiam) abscondisti præ sapientibus & prudentibus mundi & revelâsti parvulis. Hanc sicomorum oportet cum Zachæo conscendere omnes homines, qvi Deum temporaliter ac æternaliter videre cupiunt modo omnium nobilissimo. Dominus autem ad Zachæum: descende, dicebat: ità & nos oportet descendere, hoc est, ne guttam indè nobis reservare, sed potius simpliciter submergi in proprium Nihil, in nihil valere, nil posse. Tunc fit, qvod seqvitur, nimirùm, oportet Deum venire in tuam domum, sicut factum est Zachæo, & hoc est de necessario. Qvodsi quis jam Sicomorum conscendit, seu cui æterna Veritas illuxit, ipse verò nil ejus sibi appropriavit, id indè venit, qvod adhuc quodammodò in luto naturæ hæreat, & quod natura atq; Dei gratia simul adhuc in eo operantur, cujus ratione nondum ad veram resignationem pervenit. Qvicquid autem operatur natura, semper maculosum est, nec est perfectum absolutè. Hunc igitur hominem jubet Dominus descendere, hoc est, seipsum totum abnegare, ut ejus natura emoriatur in omni modo, quo possidet seipsum cum proprietate. Sic Deum oportet venire in domum ejus necessariò, qvo facto facta est Salus domui tàm nobili.

Matth. 10.

Q. Si Deus Adventu suo Salutem domui, hoc est, Menti affert, dic ad quid domus ea postmodũ inserviat vel inservire debeat? R. Oportet ut fundum hominis internum fiat pura domus orationis,

tionis, qvatenùs mens propriè ac verè eſt ſanctum templum Dei. Ex hoc templo ſunt antè omnia expellendi Mercatores nundinas facientes, qvales ſunt Ideæ, phantaſiæ, omnis Creaturarum ſufficientia & propria Voluntas. Deindè oportet templum hoc lavari lachrymis pœnitentiæ in charitate Dei, ut purum ſit ac ſincerum. Noſcendum itaq; eſt, mentem humanam tunc eſſe Deo gratisſimum templum, cùm expurgata eſt, expulsâ ſcilicet omni inæqvalitate; Contrà verò ſi non purgata eſt taliter non poteſt Deus habitare in eâ, qvia anteqvàm fiat pura de Deo cogitatio, incidunt 40. aliæ Cogitationes rerum temporalium, qvæ turbant & repellunt puras cogitationes, & ideò vocantur mercatores in ſenſu ſpirituali.

Q. Exponere libeat hanc Mercaturam? R. Qvicunq; liberâ ſuâ Voluntate vivit in voluptate, commoditate & ſufficientia creaturarum, is habet mercimoniam (nundinationem) id qvod à contrario evadit perſpicuum. Proculdubio enim ſi qvis deſiderat, ut Deus habitet in eo cum ſuâ gratiâ, & ut Deus cum homine operetur opus ſuum, de neceſſario oportet eum à ſe expellere ſemel & ſemper omnia media & inæqualitatem, omnem amorem, ſufficientiam & concupiſcentiam Creaturarum, qvarum Deus non eſt vera cauſa. Et ſi qvis diceret: media decem non eſſe magis detrimentoſa qvàm unum, hoc eſt, qvod decem hominum familiaritas, amor & amicitia minus noceat qvàm unius, is ſatis ineptè ſentiret, ſiqvidem longè facilius unus qvàm decem ſuperantur. Nihilominus cum qvâdam exceptione notandum eſt hoc, defectus decem, qvos homo agnoſcit ac pœnitendo confitetur, non tàm eſſe noxios (periculoſos) qvàm unicum eum, qvem non vult agnoſcere, non confiteri, non emendare, in qvo potius obſtinatè ſi non contumaciter perſeverare cupit.

Q. Quid faciendum eſt homini, ne tàm deficiat contumaciter? R. Oportet eum ſemper humiliter expaveſcere coràm Deo propter defectûs occultos, ſeq; ſubjectum divinæ miſerationi reputare defectuoſum, qvo ipſo haud dubiè futurum eſt,

 ut

ut eum divina gratia juvet. Nam in periculo grandi versantur, qui contumaciter insistunt defectibus cum excusatione suiipsius, eoq; timendum est, nè qvà deficiant penitus: Cavendum ergò hîc est à morte æternâ. Si qvis interrogaret hominem etiam sanctissimum, an tantùm plorâsset qvantum debebat, non aliud responsum reportaret qvàm qvod non: qvin procul dubio annecteret Verba seqventia dicendo: Ego nec partem millesimam lachrymarum effudi, uti debui, propterea veraciter incipiam deflere peccata & defectûs meos.

Q. Si sancti hoc habent, qvod qvasi jam primùm flere incipiant, an hinc plorandum est semper? R. Imò sic & non sic. Nemo videatur sibi virtutem aliqvam comparâsse aut ullum defectum superâsse. Qvodsi internum templum purgatum, atq; ex eo Mercatores expulsi sunt, hoc est, si qvis everterit omnem Creaturarum sufficientiam (ubi seipsum cum voluptate, gaudio & solatio possedit) tali modo, ne cuncta hæc vel liberè vel volenter accipiat, quærat, suæq; voluptati reservet, tunc omnia rectè se habent. Et si qvà istiusmodi Mercatores cum suis nundinis iterùm diverterent ad suum templum, subitò expellat eos necessum est, qvin si qvà præter voluntatem & permissionem ejus moram ibi traherent, oportet noscere qvod nihil noceat homini adversus Dominum nostrum. Qvamdiu etiam permanserint ibi, nihilominus per idem ostium exire debent, per qvod intrârunt, præter id qvod etiam malum ibi inventum secum exportare tenentur, eoq; purgare prænobile templum, & sic si sine permissu hominis fit, non solùm non nocet ei, verùm etiam expurgat & præparat eum ergà Dominum nostrum. Qvemadmodum Aurum nitidius redditur, qvo magis uritur; ità fit & homini prænobili in suo passionis objecto suâq; tentatione. Qvò magis impuræ, malignæ & improbæ sunt tentationes; hoc magis indè purificatur homo, qvatenùs qvod contrà liberam voluntatem fit, in eo non potest esse mortale peccatum, per id potius præparatur homo ad meritum validius & ad fructum Vitæ æternæ.

Q.

Q. Siccinè tentationibus ſua etiam laus eſt? R. Eſt ſecundum qvid, qvoniam pugna non eſt, ubi hoſtis non eſt. S. Paulus dicit: Non coronatur, niſi qvi viriliter pugnaverit, & qvi ad finem usq; perſeveraverit. Repetendum enim hoc eſt, qvod qvicqvid præter liberam voluntatem fit, qvàm pravum vel impurum etiam eſt ſivè ſuperbia, avaritia, incaſtitas ſivè aliud quidpiam, nullatenùs contaminat hominem, ſed potius purgat & præparat eum ad ſingularem Dei gratiam. Propterea talis homo ſit bono animo, lætus, non triſtis, non puſillanimis, qvandò ſubindè tentatur impuris, imò praviſſimis cogitationibus, qvas, ſi citrà Voluntatem incidunt, ſinat rurſus excidere. 1. Tim. 2.

Q. Si autem potiſſimum incidunt ſub oratione & in Converſione ad Deum, quid tibi videtur? R. Incidant ergò! homo verò Deo committendo patiatur humiliter & reſignativè ejusmodi tentationes, impuras putidas fæditates propter Deum. Nam homo poteſt ſe hîc tàm humiliter pati propter Deum, eoq; ad tantam pervenire gratiam, ut ei multum deeſſe videretur ſi non calcâſſet hanc Viam. Aſt intereſt hominis in tali objecto & paſſione non niſi cum ſolo Deo agere, corde benigno tolerare, neq; ſeipſum eapropter cruciare intus vel extus; ſiqvidem Deus ipſe cùm viſum fuerit, indè liberabit eum, imò pro tàm cruciante tentatione cum ſeipſo millecuplum exhilarabit. Propterea & perferendũ eſt placidè & veritati humiliter ſatisfaciendum, quicquid acciderit non moveat hominem, qvoniam qui vult ereptum ſe aut cupit adjutum, auxilium non accipiet nec à Deo nec à Veritate. Iis verò qui diligunt Deum, omnia in bonum cedunt. Ideoq; opus eſt, ut mens humana ſit templum Dei & domus orationis, ad orationem autem requiritur devotio. Rom. 8.

Q. Cùm jam ſit explicatum, qualiter mens debeat eſſe templum Domini, hoc verò domus orationis, undè ſufficienter oſtenſum, interni hominis renovationem ejusq; cum externo adunationem ſic fieri, dic, quæſo, quid hoc loco juxtà tuum ſenſum devotio ſit, quæ requiritur ad orationem? R. Com-

munem sensum tradit ipsa etymologia, quasi vovere se Deo dicat devotio. Est quædam Actio, qvâ Deo se mens alligat cum voluntate paratâ ad Dei servitium, hoc est, cùm DEO se quis taliter devovet, habet devotionem ubiubi est, sivè in qvolibet opere bono, qvod de Deo cogitando dirigit ergà Deum in puro Dei respectu. Neq; enim necessarium est homini semper jubilare, magnâvè frui dulcedine (quamvis & hoc sit merum accidens) dummodò devotio perseveret in homine, hoc est, interna cum DEO adunatio (alligatio): sic brevi pertingit homo ad Regnum, quod est in eoipso.

Q. Cùm mentionem facis Regni quod est in homine, non possum quin te detineam hîc obiter, quò doceas aliqvid de Regno eo, de quo dicit Dominus, Regnum DEI intrà vos est? R: De hâc materiâ satis tractat primum Caput primæ Sectionis, quò te remitto, hîc tantùm respondeat tibi S. Hilarius, qui dicit tria requiri, cum qvibus in Regnum internum perveniat homo, primum est vera fides, secundum rationalis Dei cognitio, tertium interna devota Oratio.

Q. Cùm veram fidem hîc commemoras, dic, quæso, annon cuncti Christiani fidem habent? R. Qvemadmodum in Cæmiterio quamplurimi sepulti jacent mortui, ità quoq; inter Christianos sunt multi homines, qui vivere videntur per fidem, & tamen veraciter sunt mortui.

Q. Quænam ergò est viva (pura) fides hoc loco intellecta? R. Ea nil aliud est nisi favor vivus versus DEUM, qui verè scaturit à fundo interno, dimanatq; ad Dominum DEUM simul ac ad omne quod est divinum, id quod se sic habet: Hominis est cùm videt vel audit, quod fidem concernit, sivè sit de Deitate æternâ, sivè de humanitate Christi, sivè de SS. Trinitate, sivè aliud quidpiam quod credit S. Catholica Ecclesia, ut obindè in seipso sentiat verum mentis assensum (vivam fidem) monstrantem ei sincerè quid DEUS est, & ut id longè clarius insit ei quàm quod Doctores cuncti docere queunt vel probare. Et talis homo vivit in Regno interno, undè viva fides veraciter

sca-

ſcaturit tanqvàm ex proprio fonte ſuo. Sunt autem, proh dolor! multi homines, qui quidem adhærent Vitæ fidei, aſt parva nubecula eſt, qvæ movet & obtegit eos. Pari modo ac ſi Splendor ſolis eſſet res viva ſeipſam movens, ſi nubes ſeſe interponeret, evaneſceret Vita; ſic nubes peccatorum poſſet exigua eſſe, quæ Vitam eam in homine obtegit vel auſert, qvoniam eſt valdè infirma in eo. Contrà verò, ſi in electis Dei amicis exoritur peccati nubecula (quatenùs cuncti homines ſunt fragiles) nihilominus Sol divinus æternus penetrat eorum Vitam ſic, ut ſubitò revertantur ad ſuam originem.

Q. Quænam eſt Cauſa hujus Converſionis? R. Ea, qvod ſunt irradicati in verum fundum DEI, eapropter revertuntur ſtatim, auſu firmato penetrantes per cuncta ea, in qvibus DEUM non ſimpliciter ac veraciter inveniunt, ſemper quoq; fugientes id qvod Deus non verè infert in fundum animæ internum (mentem). Reliqvi homines cùm labuntur, tergiverſantur, non revertendo ad Deum in iisipſis, & ſi qvà ſe invertunt, inveniunt intus mortuum (canem mortuum): efferatur, ajo, qvia mortuus eſt, putet, putret, eſt antiqvus, tepidus, aridus, mortuus homo, cui pergrave omne qvod eſt divinum, qvod Deum ſpectat: beatus tamen eſſet, ſi tantùm adhæreret Vitæ & Charitati Chriſti utut fortuitum quid eſſet, cùm poſſet ſervari adepto Regno cœlorum, ſi ſub obitum Vitæ præfata inveniretur adhæſio. Verùm quàm facilè fit aut fieri poteſt, quod tales homines labantur in gravia peccata, qvia non habent vel modum vel viam redeundi ad ſe, ut taceam, quod ſunt timidi, minusq; tuti, ſemper verſantes inter externa, undè tàm vani fiunt, aridi, frigidi, aut tepidi, ac in ſe tàm alieni & elongati, ut deplorandum ſit. Secùs vivi homines, qui verè habitant in Vitâ Veritatis, perſentiunt hanc Vitam & Veritatem DEI intus: proindè quicquid Amicis DEI foris occurrit, quod eſt divinum, excitat internam Vitam cum ardenti divinâ Charitate & cum eorum beneplacito, qvale qvid nil aliud facit. Hi habitant in Regno Dei interno, ubi guſtant dul-

dulcedinem Dei, quæ cunctis iis abſcondita eſt & eſſe debet, qui non veraciter perveniunt in hoc fundum ſivè in Dei Regnum internum.

Q. Explicatâ nunc verâ fide quæritur, quid ſit notandum de altero requiſito, quod eſt rationabilis Dei Cognitio? R. Non eſt ut procul eas quæſitum eam, quoniam invenitur in hoc Regno intrà hominem, ibi revelat ſe, ibi lucet hoc lumen, ut in internum hoc Regnum perveniat homo per Jeſum Chriſtum, qui verum eſt oſtium, per quod intrare debet homo in id Regnum, hujus enim gratiæ particeps fieri
Luc. 17. debet, de qvo verè dici poſſit: Regnum DEI intrà vos eſt. Iſti inveniunt hîc puram veritatem, quæ manet cunctis iis incognita, qui non in eo fundo habitant, dum ſe à Creaturis caducis, in quibus non invenitur DEUS, non avertunt. Iſti inveniunt (ut dicit Dionyſius) id, quod eſt ſuprà Intellectum, ſuprà ſenſus, cogitationes & rationem, hoc eſt, inveniunt lumen in lumine. Proindè noſcendum eſt Doctores diligenter pervolvere libros, præfatos verò homines legere verum vivum librum, in quo omnia vivunt. Nam Cœlum & Terram vertendo (legendo) inveniunt miranda miracula Dei, dehinc progrediuntur ad differentiam ſanctorum Angelorum, pergendo deniq; perveniunt ad literam ſupremam SS. Trinitatis, nimirùm quatenùs Deus Pater Filium ſuum Jeſum Chriſtum ab æterno genuit, & in æternum gignit, quoad etiam æternum Verbum in Dei Patris Corde ab æterno genituram egit, qualiter Spiritus S. ſemper ab utroq; fluit (procedit), qualiter etiam SS. Trinitas ſe ſemper effundit in omnes beatos Spiritus & quomodò hi rurſum diffundunt ſe in eam in actuali beatitudine. Hæc enim eſt beatitudo, de quâ loquitur Filius Dei
Joh. 17. dicens: Pater, hæc eſt Vita æterna, ut te, qui ſolus es verus Deus & eum quem miſiſti Jeſum Chriſtum agnoſcant. Hæc eſt vera Vita in templo Dei interno, prænobilis purus verus luſus, qui omnibus electis Dei Amicis conceditur. Hîc eſt adeptum Regnum, hîc ſedet ſupremus Rex in ſuo amæno palatio,

palatio, & hîc est vera præsentia Dei, in qvâ omnis adversitas & passio evanescit. Qui hoc expertus est, solus habet scientiam, nemo præterea, qvoniam in tali modo absconditum manet cunctis hujus mundi doctis & artificibus. Propterea qvi in hâc Vitâ idipsum sentit potissimum, ac proxime inest tali fundo, is qvoq; in Vitâ æternâ qvàm proximus erit Deo, qvin etiam beatissimis hiscè hominibus in qvibus Deus perfectissimè laudabitur, potissimum id revelabitur.

Q. Quodnam tertium est reqvisitum, qvo mediante homo perducitur in Regnum Dei internum juxtà S. Hilarium? R. Hoc est oratio devota, qvæ est ascensus (elevatio) mentis ad Deum in Vitam æternam, de hâc sufficienter alibi dictum est: in sensu verò spirituali devota oratio est adunans inversio Spiritûs creati in Spiritum Dei increatum, qvæ fit sub proposito qvod ab æternitate excelsæ Deitatis movetur. Tales homines sunt veri adoratores, qvi Patrem adorant in Spiritu & Veritate, hos Pater incessanter desiderat juxtà effatum Christi. Semper hi qvoq; accipiunt id, qvod à cœlesti Patre precantur, semper etiam inveniunt qvod quærunt, qvoniam in eorum oratione invenitur & amittitur.

Q. Quid, quæso, amittitur sub oratione? R. Templum amittitur & Spiritus & omne id, de qvò paulò antè dictum est.

Q. Quo vadunt ea omnia? R. Omnia dimanando in Deum concluduntur in eo, imò fiuntq; cum Deo unus Spiritus, uti S. Paulus dicit; Qvi Deo adhæret, fit unus cum eo Spiritus. Qvid 1. Cor. 6
verò id sit, & qvaliter sit, melius potest percipi qvàm Verbis explicari. Hinc omne qvod dictum est vel dici potest de eo, est adeò impar atq; exiguum in comparatione ejus qvod est essentialiter, atq; est punctum toti Cœlo comparatum.

CAP. IX.
De Tentatione.

FErtur proverbio: vexatio dat intellectum. Commendatur per id vexatio propter Utilitatem, qvam affert secum exercendo scilicet, corrigendo & informando hominem simplicem ac rudem, qvò rebus suis imposterum cautius prospiciat. Pari encomio prædicanda est tentatio, qvæ Christianum crassum ac desidem agitat exercendo & accendendo eum, qvò se pernici fugâ ad Deum recipiat. Sunt ergò tentationes Christiano perutiles eoq; desiderabiles nec unqvàm aversandæ, cùm sint nil aliud qvàm media conductiva & incentiva è singulari Dei gratiâ homini obviam missa. Tentatio venationi comparatur, qvatenus afflictus Christianus dum quærit auxilium, ad Deum refugit currendo & anhelando, donec pertingat ad fontem refrigerii, qvo sitim æstuantis animæ restinguat instar Cervi aqvarum flumina sitientis, dum Canum insectantium catervâ impetitur: hâc ratione dicebat David:
Ps. 41. qvemadmodum Cervus fontes desiderat, sic anima mea clamat ad Dominum: anima mea sitit Deum, Deum vivum. Etymo sitis utitur etiam Christus, cùm dicit: Quicunq; sitit, veniat ad me & bibat aquam vivam. Istæc autem ad vivum fontem convocatio non cessavit hucusq;, cùm indies renovetur & perennatura sit usq; dum homines advenient, ut qvos Deus sitibundos cupit, omnes ubere sui Amoris vena inebriet. Quæritur ergò

Q. Quid est sitis animæ & undè provenit? R. Incurius qvilibet Christianus nôrit, animæ sitim esse internum (mentale) desiderium versus Deum cum aversatione creaturæ, idq; provenire ab igne amoris, quem Spiritus S. à qvo gratiosè venit visitatum animam, accendit, hactenus sentitur non nunqvam repentè incalescere totum corpus, ac si ab abscondita flammâ interna

ternâ concalefactum esset. Adeò tunc amoris Vis intenditur, ut Mens præ desiderio langueat, calore igneo hinc velut arefacta sitire dicitur anima non obstante diversissimo desiderii modo. Est namq; triplex hominum genus habentium hoc desiderium, quorum primum est, qvi in exercitio pietatis incipiunt, secundum eorum, qvi in eodem proficiunt, tertium eorum qvi jam pro modio suo profectiores seu aliqvo modo perfecti sunt, & pro disparitate talium ordinum dispar qvoq; est hoc desiderium, sitis scilicet animæ, qvam hinc intolerabilem, magis & minus tolerabilem cognominare liceat: id tamen omni generi commune est, ut dum amant (sitiunt) ignorent quid desit, adinstar eorum qui amant profano insano amore, hi causam defectus seu confusionis eorum indicare nesciunt. Utitur autem Spiritus S. utplurimùm folle tentationum, cujus sufflatu accensum mentis igniculum augendo in flammam rapidam sublimet. Cæterùm ut homo Christianus cognoscat tùm effectum tùm necessitatem tentationum, comprimis majorum, convertat animum opus est ad similitudinem, undè figuratum velut è figura suâ comprehendat, quam Author noster in Cervo à Canibus venaticis fugato proposuit: tàm vehementer enim agitatur homo à gravibus tentationibus, qvi se à mundo & grandioribus peccatis jam avertit, pieq; vivere incepit, quemadmodum Cervus in venatione per montes & nemora potenter fugatur. Et qvod notandum est, sicuti velox hoc animal, qvod velut ad fugam natum videtur, dum nititur caninam evadere appetentiam, adeò incalescit, ut præ intolerabili & qvod præ aliis animalibus habet, impari aquæ desiderio penè deficiat; sic qvoq; homo per seqventium hostium truculentiam fugiens tantoperè à septem peccatis mortalibus eum impetentibus affligitur, ut penè deficiat præ desiderio. Est ergò tentationis perpessio nil aliud qvàm peccati devictio, cùm nulla tentatio vexet talem, qvi consentiendo in peccata tentationem potius præoccupat. Considerent hîc ignavi Christiani, quid iis præter fidem factu opus sit,

Eccl. 2. ſit, cùm ſcriptum inveniamus: Qui Deo ſervire cupit, præparet ſe adverſus tentationem. Magni intereſt obſervare inſidias, pluris adhuc intereſt munitum ac præparatum eſſe ad reſiſtentiam: nam qualiter ſerviet Deo, qvi captus, vinctus, & excæcatus eſt? Capitur autem à peccato, qui non reſiſtit ei fortiter: is autem & ſine reſiſtentiâ capitur, qui non inſidias exploravit.

Tentationes ſunt vel majores vel minores, majores ſunt peccata mortalia, hoſtes robuſti & manifeſti venaticis Canibus comparati: minores ſunt peccata quotidiana & defectus, hoſtes ſcilicet deſpecti & occulti, qui oblatratoribus latentibus comparantur: plaga ab his inflicta eſt latens & neglecta, adeoq; vix unquàm ſanabilis. Sunt Chriſtiani qui viriliter peccata mortalia ſuperârunt; attamen cùm hoſtium latentium inſidias, quales ſunt converſatio, luſus, humana Amicitia, temporis perditio, pretioſus habitus, ſplendidus domuum apparatus &c. non obſervant, decipiuntur, quia ex improviſo offenduntur, hæc etiam offenſio, quæ non usq; adeò ſentitur, redditur ſingulis horis deterior ad inſtar vulneris putridi ſenſum amolientis & hactenùs irremediabilis. Enimverò tametſi qvilibet Chriſtianus, mortalia peccata agnoſcit, liberè quoq; reatum eorum confitetur, plurimi tamen eorum ſunt, qui parvos defectus, puta colloquia familiaria, ſocialem converſationem, luſoriam oblectationem & demum qualemcunq; corporalem delectationem minimè curant, tantominus ad injuſtitiam referunt, cùm ergò hi à nominatis quotidianis peccatis ſe patiuntur offendi, non mirum eſt, ſi Dei gratiam & devotionem non ſentiunt, eoq; ad ipſam divinam Vitam nunquàm perveniunt. Eſt namq; Vulnus eorum inſenſile quia neglectum & putrefactum. Dehinc ſatis conſtat, quàm parvæ tentationes ſint nocentiores magnis, ſi homines inadvertentes minusvè præparatos offenderint; indè quoq; conſtat Chriſtiani requiſitum, quo tenetur eſſe circumſpectus quaquaverſus ſciſcitando, ubi lateat hoſtis, quò vel Viam ei præcludat, vel fugâ illu-

illudat, ſiquidem per experientiam conſtat, quædam peccata non poſſe per reſiſtentiam vinci, ſed ſolùm per fugam, atq; per id verificari, quod jam dictum eſt, nimirùm tentationes parvas majoribus ſæpe nocentiores eſſe, cùm ab iſtis ſibi cavet homo dum illas negligit: ſic intelligimus qvàm circumventio prævaleat Violentiæ (viribus). E præfatis percipit rudis Chriſtianus, qvid de tentationibus tenendum ſit, quibus cognitis dicendum reſtat, qvaliter ſint oppugnandæ, ſi fortè tam ſint atroces, ut imparem ſe ſentiat viribus. Homo ſe ſentit freqventius tentari à ſuâ Cupidine & quidem tàm impetuoſo molimine, ut Caſum ſuum qvem prævidet evadere nequeat: tantò major eſt tentationum potentia, quantò minor virium internarum Copia. Id cùm quotidiana doceat experientia, deſumunt multi cauſam indè opinandi, qvod nequeant ſervari mandata interdictionis, nec Spiritus hactenùs prævaleat tentationi; inſuper qvoq; fit, ut hoc ſuppoſito liberum derideant arbitrium, imò & tentationibus cedant: patrato namq; peccato inſulsè prætexunt impotentiam & fragilitatem naturæ. Craſſum errorem hunc cum S. Scripturâ expugnat piorum hominum ſanctimonia, qvi, qvoad liberâ voluntate expetunt tentationum devictionem, teſtantur cum primitivâ atq; modernâ Eccleſiâ, Deum probatâ eorum Voluntate tùm & virili reſiſtentiâ ultrò iisipſis aſtitiſſe & compugnâſſe, qvò etiam graviſſimas tentationes faciliùs ſuperârint. De devictis puſillis tentationibus probatum exemplum ſæpeſæpius rudibus proponunt proſpecti ac exercitati homines, ſi fortè ad exemplar eorum ſeſe componerent. Eſt autem contrà majores tentationes, qvas fragilis homo non valet ſuperare, probatisſimum remedium Arbor crucis & paſſionis dominicæ, quam ſit tentatus homo ſubitò fortiq; perpenſione impreſſerit memoriæ, liberabitur etiam ſubitò & potenter ab hoſtili invaſione. Quicunq; remedium hoc neglexit hactenùs, utatur eo ſummo ſtudio, ſic veritati celebratisſimæ perhibebit teſtimonium celebre. Qui verò notum hoc remedium poſthabent, eorum deſperata res eſt damnoſa vè Religio,

qualitercunq; etiam pretioso divini Verbi pigmento inficiatur. Nobis sufficiat testimonium devictarum tentationum, qvod omnes excusationes tollit, hactenùs obligans omnes ad parem pugnam, par exercitium, imò ad parem victoriam: id namq; Christus voluit, cùm dixit: Vigilate & orate &c. ne adversarius inveniat qvem devoret. Sunt autem prudentiores qvidam, qvi etsi compertum habeant, semetipsos etiam per Dei gratiam superâsse tentationes mortalium peccatorum, nolunt tamen concedere minorum evictionem, cùm scriptum sit: nescire hominem, qvoties peccet quotidiè. Verùm & hi ex parte tantùm dicunt, & ex parte non dicunt Veritatem. Cùm enim nemo diffiteatur, non omnes in universum defectus ne qvidem agnosci tantò minus præcaveri posse, magnâ tamen cum veritate docet S. Ecclesia cum Scripturâ, tentationes parvas seu defectûs & peccata quotidiana multa posse devitari sub conditione bonæ voluntatis & circumspectionis; quod ipsum etiam pii atq; prudentes Christiani suo exemplo & exercitio testantur, qvi, dum Deum & proximum valdè amant, ejusq; ratione Deo & proximo humiliter præstant obedientiam, præoccupant tot atq; tantos defectus, qvin & per singula precationum diurnalium tempora, quas animo composito & devoto ad Deum sincerè fundunt, non patrant peccata aliis non orantibus non amantibus interim communia, sic ut dici possit, eos devitâsse peccata intercidentia multa per solam præventionem & bonæ voluntatis ac exercitii medium: reliqui defectus pusilli referuntur ad naturæ fragilitatem, qvam nemo mortalium valet excutere, nec hactenùs præ se ferre absolutam perfectionem. Nunc ergò cognoscimus mundanæ impietatis Causam proximam, id est, neglectum exercitium pietatis, remotam qvoq; Causam, hoc est, posthabitam charitatis & moralitatis christianæ doctrinam; adhæc cognoscimus etiam, qvaliter tentationes minores pleræq; sunt expugnandæ, utpotè qvod earum devictio in solâ hominis Voluntate, in proposito & exercitio fundata est. Enimverò qvisqvis majores tentationes me-

mediante præfato remedio expugnavit, is longè facilius minores ſuperare poteſt, ut qvi præhabito ſub exercitio qvodammodò pervenit ad Charitatem Dei: per ſingulas enim tentationes impetitus & calefactus jam tantò ardentius ſitit fontem aqvæ vivæ, tantovè propius per eas tentationes ad Deum provehitur, indè porrò fit, ut tùm experientiam tùm prudentiam adeptus ſuis nunc rebus melius provideat, peccata & defectus penitius ſcrutetur, quæ ſtudio & operibus orationis & charitatis avertat aut præoccupet. In tali ſuo ſtadio currit ad Deum velocius, hoc eſt, ad eum ſcopum, ubi nil aliud invenit, præterquàm veritatem, gaudium, pacem, juſtitiam, ſolatium &c. qvæ omnia peccatis adverſa ſunt, hactenùs minores tentationes plurimas dicitur ſuperâſſe.

Q. Quid autem eſt hoc, qvod qvosdam invenimus homines, qui ad devictionem majorum & minorum tentationum pervenerunt, iisdemq; ad tempus caruerunt, qvos tamen ſubindè novis tentationibus iisq; gravisſimis tentari deprehendimus? R. A divinâ directione pendent tentationum iterationes, incrementa & decrementa ſubphyſicarum etiam Cauſarum concurſu, aſt quanquàm ſic procedat per integram hominis Vitam, non tamen fit ſine evidenti refectione, qvam intervallum ſivè interpolatam quietem vocant. Eſt autem tàm quies quàm iteratio quædam pietatis obfirmatio, cùm ſcilicet homo per priſtinas tentationes exercitatus & fortificatus eſt, aptior dehinc redditus ad ſuſtinendas iterationes, indè procedit Conſtantia, bona Conſcientia & Sanctimonia. Et Deo interpolatæ quietis & refectionis ratio eſt, nimirùm ut hominem ſub onere magnarum tentationum jam ſuccumbentem erigat, adq; ſequentium invaſionum evictionem præparet, indè ſanè cernimus hujusmodi hominem tantò valentiorem redditũ, qvantò magis fuit afflictus. Deo quoq; iterandarum tentationũ ratio eſt, nimirùm, ut homini ad Deum fugienti fontemvè aquæ vivæ è corde Dei ſcaturientem ſitienti tàm in tempore qvàm in æternitate cœleſtis potus magis magisq; dulceſcat: id omne cùm è puris-

purisſimo Dei amore ſic procedat, hinc tales homines cernimus adeò conſolatos, ut hilari animo qvascunq; pasſiones propter Deum vilipendant. Solet enim fieri, ut deſideroſi poſtqvàm tàm parvas qvàm magnas per Dei gratiam expugnârunt, eoq; ad Deum acceſſerunt ſiticuloſi, tàm excesſivo modo bibant, ut indè ad ſtuporem usq; inebrientur, hoc eſt, divino gaudio impleantur, undè ſcriptum invenitur: bibite omnes & inebriemini. Compertum quoq; eſt, ejusmodi homines tunc ſimiles apparere ebrioſis, quatenùs ſæpè ſui immemores præ nimio gaudio exultant ac jubilant. nunc rident mox plorant aut cantant, hanc ob rem fit, ut inter inſanos mundanos nonniſi pro inſanis habeantur. Hîc autem conſideret unusquisq; efficaciam ardentis amoris Dei, qui hominem divinum tàm abundè exhilarat, ut præ lætitiâ nimiâ ſibi videatur multa ac magna præſtare opera, ſiqvidem cum Apoſtolo non metuit ignem, non aquam, non gladium, nec mortem &c. & ſicut ebrius non curat intercidentes neceſſitates, ità illi, in quorum mente fervet amor Dei, nulla curant accidentia, imò nec talia qualia natura ipſa ferre nequit, atq; hinc nonnunquàm percipimus, qvosdam ſubitò extinctos fuiſſe. Magna opera Domini. O ſitim nimia appetentem pocula.

Q. Inventi ſunt quandoq; qui pleni gaudio divino quælibet accidentia ad certum tempus ſuaviter ſuſtinuerunt, elapſo verò tempore tàm triſtes & vacui facti, ac ſi cœleſtia pocula nunquàm deguſtâſſent. Quid hoc ſibi velit dicito? R. Ideò qvod iſta repletio eſt excesſiva atq; inutilis, ſuptrahit Deus ſenſationem gratisſimam, vinum ſcilicet lætitiæ ac ſolatii, hactenùs fiunt rurſus ſobrii, carentes & ſitientes; ità quidem, ut qui à nimio potu capti erant, à vinculis temulentiæ rurſus liberentur.

Q. Dic quâ ratione dicitur repletio exceſſiva ſeu inutilis? R. Hâc ratione, quia tunc ſuiipſorum obliviſcuntur, ſibiq; vanisſimè imaginantur quaſi ſentire poſſint quantum valeant, quàm multa præſtare ac ſuſtinere queant. Vana quippè iſta gloriatio, Deoq; indigna. Ad temperantiam ergò ejusmodi ebrioſi

ſunt

ſunt reducendi per Dei miſericordiam, qvò diſcant qvàm nulla ſit naturalis eorum potentia. Ab eo namq; tempore quo Deus ſe parum abſcondit, non tantùm nil digni electi efficiunt ſine inſigni difficultate, verùm etiam necquicquam opprobrii propter Deum queunt perferre. Indè qvidem perſpicua redditur naturalis hebetudo, qvatenùs à ſeipſis tanqvàm à ſeipſis nil magni præſtare valent. Hæc diſciplina eſt, hæc eruditio Domini benigna, qvam diſcipuli fideles ad uſum revocant, & ideò benignus noſter Dominus visâ attentione reddit iis gratiam ſuam, qvò magis magisq; præparati ad perfectionem ducantur; perceptâ enim gratiâ mox revertuntur ad humilitatem & tranquillitatem.

Q. Suntnè ſic præparati homines perfecti aut ſancti aut aliter vocandi? R. Boni qvidem & electi poſſunt vocari, non tamen ſtrictè ſancti, minimè perfecti, utpotè qvod præparatio eorum vix eſt incepta, qvia in homine externo adhuc inſtituta. Quoad autem conſtat, mentem ſolam, vacuam, mundam, eſſe dominicum thalamum, ſequitur perfectum tantùm poſſe dici hominem, in qvo Deus liberè habitat, perſpicuum qvoq; exin redditur, perfectum dici non poſſe, cujus non eſt abſoluta præparatio, nimirùm qvatenùs immunda & repleta ejus mens eſt, cujus circà externi hominis purificationem adhuc verſatur præparatio. Utut autem externus homo præparatus eſt, non tamen in eo Dei ſedes eſt, ignobile qvippè id habitaculum eſt, anguſta nimis Officina pro tanto Dei operantis apparatu evolvendo adeoq; inepta. Tabernaculum Dei eſt fundum internum, Imago ſcilicet ſeu ſimilitudo ejus propriisſima. Neceſſum itaq; eſt homini, qvi Deum cupit invenire, ut quærat eum in domicilio proprio, hoc eſt, in poteſtatibus Mentis, ubi Deus opus ſuum propriisſimè perficit; aſt hujus Operis perfectio eſt ipſa hominis perfectio, non alia, cui illa deeſt, iſta qvoq; deeſt, qv utraq; non diverſa ſed eadem eſt.

Q. Cùm autem devictio tentationum ſit celebris inter Cruci-

 cige-

cigeros, qvi hactenùs verè seqvuntur Christum crucifixum: dic undè qvis possit cognoscere, num sit Discipulus seu verus Imitator Domini Jesu Christi necnè? R. Id ex erroribus suis cognoscere potest, qvi omnes ad qvatuor potissimùm genera tentationum reduci queunt, qvarum unam vel plures si qvis in se repererit, deceptum se noscat esse, nam veram virtutem non habet, qvia tantùm speciem fallacem.

Q. Annon ad quatuor hæc genera tentationum pertinent etiam peccata mortalia? R. Non: peccata mortalia sunt manifesta Opera damnationis; eò autem pertinent saltem Vitia dubiis & opinionibus septa atq; Specie pietatis tecta.

Q. Undè autem tentationes, dubia scilicet & scrupuli, ut jam vocantur, progignuntur? R. Hujusmodi tentationes impetunt eos, qvi Deum non amant super omnia, indè namq; fieri nequit, qvin sint incurii divinæ gloriæ, virtutum, imò ipsius Dei, atq; tales sunt capaces omnis generis tentationum recipiendarum, qvatenus infirmi & ignari sine scitu perfacilè in multos errores abduci se patiuntur.

Q. Dic undè tentatio primi generis causatur? R. Communissima ea tentatio provenit ab indomitâ naturâ iis omnibus communi, qvi vivunt juxtà Cupidines Carnis, maximè qvoad sensus, huc speciatim referuntur desideria visûs, auditûs, loqvacitatis, cibi & potus selecti & lauti, varii vestitûs, sufficientiæ, commoditatis, inclinationis: desiderium itidem complacentiæ, comparandæ amicitiæ, pactorum contractorum mediantibus verbis, factis, literis, nuntiis seu donis: deniq; & desiderium variationis, varietatis, multiplicitatis & multitudinis rerum, qvibus omnibus decepti homines non Deo sed Diabolo placere gestiunt.

Q. Cùm autem freqventer occurrat, ut qvi prænumeratis modis juxtà Carnem & Sanguinem vivunt, putent se sanctos esse, eoq; parvipendant naturales (qvos sic vocant) hoscè defectus velut innoxios qvia Sanguine Christi abstersos, dic qvid dehinc sentiant veri Dei Amici, qvorum vita contraria est illis?

lis? R. Veri Dei Amici tàm Vitâ suâ qvàm Verbis damnant & execrantur cunctos eos qvi sanctos se reputant, vitâ nihilosecius juxtà libidinem Carnis traductâ: eam verò damnationis Causam reddunt, qvod qvi sic vivunt, perdendo, corrumpendo destruunt gratiam Christi simul & meritum omne, qvod Sanguine Christi ad eorum justitiam comparatum est.

Q. Quare tentationem hanc vocas communissimam? R. Ideò, quia per hanc ipsam penè corrupta est omnis Christianorum pietas, ex qvo per cunctos status regnare cœpit & usq;, hinc totus mundus excæcatus dicitur.

Q. Quænam est excusatio fictorum hujusmodi Sanctorum? R. Prætexunt infirmitatem, ac teneritudinem suæ complexionis, tanqvàm cujus causâ indigeant qviete & commoditate, quam etiam si non aliâ saltem ejus causâ licere iis ajunt, qvasi homo bonus simul honore & omni bono dignus sit. Verùm in hoc decepti sunt, qvod citrà Veritatem taliter seipsos coæqvant bonis ac venerandis hominibus.

Q. Cùm autem diversi status homines sint, qvi altum sapere cupiunt eoq; indagare etiam Mysteria, quæ tamen ideò sunt in sublimi posita, ne omnes promiscuè cognoscant ea, qværitur, qvid Scrutatoribus hiscè conveniat agere, ne incurrant in laqveos tentationum? R. Non sunt qværendæ artes multæ, neq; sublimes scientiæ, qvoniam qvi multum sciunt multum errant, tantominus est inqvirendum in abyssum æternitatis, in Trinitatis Mysterium, in creationem & productionem alicujus ex nihilo, in animæ figmentum, in mentis Statum antè & post incorporationem ejus. Non enim concessum est homini abstrusissimos hoscè similesvè recessûs, ac inaccessos æternitatis fundos pervestigare. Annon & magni viri in hæresin, multi in infernum lapsi sunt, qvi, qvod licebat minimè, sunt ausi indagare? Convenit fide simplici credere Deum unum in Trinitate personarum, & qvi hunc Deum credit, ei convenit indagare fundum suum internum, eoq; invento seipsum, suam ipsius naturam & Spiritum noscere. Oportet hinc in mundo

mundo vivere circumſpectè, cùm nemo ſit olim reſponſurus pro alio niſi pro ſeipſo. Qvi credit in Deum, tenetur etiam Voluntatem Dei obſervare, juxtaq; ſuam vocationem innocenter vivere.

Q. Si qvà neſciverit Voluntatem Dei, qvid faciendum eſt homini? R. Quilibet Idiota tenetur petere informationem à talibus viris, qvos S. Spiritus magis illuminavit qvàm alios eoq; vocavit ad docendum: prudentiores Scripturam habent Magiſtram.

Q. Poſito autem illuminatos viros unqvàm deeſſe, qvid convenit facere? R. Ad Deum confugiendum eſt, qvi procul dubio dono dabit, çujus qvis indiget, dummodò conſtanter in pio cæpto permaneat. Hoc nî ſuffecerit, notetur ſeqvens conſilium, qvo qvis vel maximè tanqvàm per regulam ad Deum promovebitur, nimirùm: Inter ea omnia, qvæ dubia movent, id ſeduló eſt perqvirendum, qvod eſt naturæ omnium acerbisſimum, hoc eſt, qvò natura omnium minimè inclinat, qvi abhorret, idipſum poſtqvàm inventum eſt, perficiendum eſt ſine hæſitatione. Qui cauſam ejus nôſſe cupit, eam nôrit hanc eſſe, qvia per unamqvamq; mortem efficitur, ut Deus de Cœlo veracisſimè ſit, vivat & creſcat in tali homine. Nam qvi cuncta propter Deum deſerit, ei redditur Deus ſimul ac cum Deo omnia, & qvi ſic ſtudiosè perſeverat in Veritate, is qvoq; in tempore mortalis Vitæ acqvirit à Deo remunerationem. Hæc de primâ tentatione.

Q. Dic nunc qvinam ſint hi, qvi ſecundâ tentatione ſeducti oberrant? R. Omnes ii qvi ſpirituales videri volunt & non ſunt, qvi formâ externâ humiles, ſancti & paulo antè deſcriptis contrarii apparent, ad qvorum Claſſem referuntur multi eorum, qvi habitu abjecto incedunt, qvi relictis ſuis bonis cunctisq; Amicis perpetuæ pœnitentiæ gratiâ duram ac operoſam Vitam ducunt.

Q. Quàm dura hæc Verba auribus meis! Annon paulòantè prioribus contrarios vocâſti Amicos Dei, qvî iam includis eos

in

in numerum ſeductorum? R. Uti non omnes ſunt tales,qvales videntur; ità qvoq; non ſunt omnes Amici Dei & Viri ſpirituales, qvorum externa forma mentitur ſanctimoniam. Eſt enim externa forma tantùm Nota corporis, non item Spiritûs in abdito reconditi. Ut ergò apparenter Sancti contrarii ſunt non apparenter Sanctis, ità quoq; verè ſancti contrarii ſunt & non ſanctis & apparenter ſanctis. Provenit ea ſeductionis tentatio è Spiritu ſeu fundo falſo eximiam præ ſe ferente Sanctitatem, ubi nulla eſt nec eſſe poteſt. Falſus namq; Spiritus non qværit ſolam Dei gloriam, ſed proprium commodum, & qvantumvis amet Deum, eſt tamen hic amor impurus qvia ſolùm propter utile, mercedem ſcilicet, & hic amor naturæ eſt, non gratiæ; indè qvoq; proclivis eſt ad malas intentiones, ad pravas Cogitationes, machinationes, varias easq; multiplices vanitates, & noxios errores ſpirituales. Si actiones ejus reſpicis, hæ ſicut è proprio dimanant arbitrio, ità ad proprietatem ſuam refluunt, qvia nec ſibiipſi mortuus eſt, nec liberè Dei Voluntati ſubjectus. An ergò clemens noſter Dominus his fiderit, qvi ſuæ nolunt renunciare naturæ? Indubium autem eſt qvin tales homines ſint ſolùm Dei cupidi propter utile, hoc eſt, ob Certitudinem Salutis, qvo fine exoptant ſibi præ aliis ſingularem Dei familiaritatem, aut apparitionem Angelorum, aut ſanctorum Spirituum Revelationem, juxtà qvorum præſcriptum inſtituant Vitæ ſuæ Regulam, qvò Deo magis placeant: notum qvoq; eſt, qvosdam divinum placitum per viſiones aut inſomnia expetiiſſe revelandum.

Q. Undè procedit ſecretum hoc delirium? R. E ſpirituali eorum ſuperbiâ, qvi ſingulari Dei gratiâ ſe dignos opinantur.

Q. Annon expetere licet ea, qvæ priſcis ſanctis ſine Voto occurrerunt? R. Licere neutiqvàm teſtatur Verbum quæſtionis (ſine voto), cùm ſi liceret, non fuiſſet à ſanctis neglectus optatus: id autem qvod ſine optatu nonnunquàm imò rariſſimè factum eſt, ſuam cauſam habet, ſine qvâ nemo extraordinaria Dei opera ſibi arrogare debet, qvia nec poteſt ſine ſu-

perbiæ Crimine, ut taceam qvod tale qvid iis ſine deceptione contingere neqvit, qvi parvipendunt id genus Vitæ & doctrinæ, quam priſci ſanctitradiderunt, qvi potius novas indies ac incognitas Vias qvò tutius eant, ſibi qværunt.

Q. Qvid oritur è reſpectu, qvi majori ex parte ad ſuiipſius, minori autem ad Dei gloriam vergit? R. Indè oritur ſpecies ficta, falſa ac doloſa Vita, & qui ſic verſantur, gerunt ſeſe externè ad aliqvem novum ſeu ſingularem modum, qvò ſanctitatis ratione ſibicomparent aliorum benevolentiam.

Q. Quid porrò requiritur ad ſtrictam pœnitentiæ regulam ſimulac ad virtuoſam Vitam? R. Eò reqviritur profunda Cordis humilitas, ſine qvâ permixtum virtuti vitium, veritati falſitas cernitur. Quicunq; inſtar Phariſæorum Sanctitatem & Encomia aliorum æmulantur invido Corde, ſeipſos qvoq; prudentes & alios imprudentes cenſent, non ſunt humiles, ſed ſuperbi, non prudentes ſed imprudentes, eoq; decepti ac doloſi.

Q. Cur vocas imprudentes eos, qvi aliis tùm ſapientiâ tàm prudentiâ ſe longè putant præcellere? R. Non tantùm propter pravam eam opinionem, ſed maximè propter aliam cauſam pro imprudentibus habendi ſunt, nimirùm, qvia omnem ſuæ ſalutis rationem ponunt in ſola externa opera, qvæ qvidem deceptio tàm gravis eſt, ut ſi permisſione divinâ aliqvandò contingat iis viſio, Imago aut apparitio Dæmonis, futurum ſit, ut glorientur tanquàm de ſingulari divinæ gratiæ opere. Hæc certè Dei permisſio eſt ipſa traditio perverſi Spiritûs ad majorem perverſionem converſioni ſemper obſtantem. Hæc eſt ſecunda tentatio, qvâ Satanas ſeducit eos, qvi reſignatione relictâ ſeipſos posſident inordinato amore.

Q. Qvales ſunt qui tertiâ tentatione capiuntur? R. Hæc cùm valdè ſubtilis ſit, ſuadente & conſulente maligno Spiritu labuntur in eam decepti, utut aſtuti aliàs & ob ingenii promtitudinem laudati. Tales namq; ut Speciem pietatis referant, aſtringunt exercitio naturam in lumine ſuo tunc florentem &

& coruſcantem qvamvis conatu irrito, cùm omne id fiat ſolo niſu fervoris & captûs eorum ſine charitate & ſine humilitate Spiritûs. Gravis error hic eſt, qvatenùs perruptis S. Scripturæ limitibus vagantur in ſylvis opinionum ſuarum, qvas paulòpoſt eventus arguit vanitatis: tantâ verò voluptate ac proprietate poſſident lumen naturale, ut etiam ab aliis obſervetur qvàm magno aliorum ſcandalo arbitrentur, ſe veritatem omnem, omneq; bonum acceptum poſſe comprehendere ſolo actu rationis, hoc eſt, ſine divino adjutorio, qvia artificio ingenii divinæ Scripturæ abditos theſauros explorantis. O factum dæmoniacum, nec non Diaboli ſuaſu coëffectum! Qvid enim eſt ingenium tot ſpeciebus ſpontenatis occupatum, hactenùs præcludens veritati aditum, nî Lumen cœleſte id expurgaverit? Certè nil aliud niſi ſentina diabolicarum ſordium, fraudis, doli, mendacii, erroris atq; circumventionis: mira inſuper eorum ſurditas eſt, qvod non auſcultent hoſtis inſpirationi perſuadentis iiſdem tantam Spiritûs ſuperbiam, ut vix & nevix qveant unqvàm converti.

Q. Cùm autem pleriq; talium ſint, qvorum exercitium eſt interna imaginatio, ſubtilis argumentatio, arguta diſceptatio, dic annon ſint aliis ſimplicibus & ſanctis hominibus præferendi qvibus tantò utiliores vulgò habentur, quantò divinæ Scripturæ myſteria ſolicitius perſcrutantur? R. Non ſunt coæquandi ne dicam præferendi ſanctis parvulis & ſimplicibus, cùm ſint nil minus quàm ſancti, nil qvoq; valet eorum ſcrutatio, qvâ ſuam extollunt Sapientiam ſuppreſſâ aliorum, tanqvàm in exponendâ S. Scripturâ ſit potior eorum Authoritas quàm veterum Doctorum & Sanctorum.

Q. Cùm ſit indubium, homines nimium ratiocinantes eximiam capere voluptatem è rebus intellectis (ratione comprehenſis) ſivè excogitatis inventis, quam & aliis acceptam reddere ſtudent, quæritur, annon hic ſapiendi modus obſit bono, qvod eſt trahendum è rebus credibilibus humanum captum ſuperantibus & hactenùs ſalutem concernentibus?

R.

R. Omninò obeſt ſaluti, cùm ſit ea ipſa ſubtilis tentatio de qvâ tractamus, qvæ illò facit, quò homo ſuperbus deceptus privetur ſalute. Uti enim in Theologiâ morali opponuntur mundana cœleſtibus, temporalia æternis; ità & tractatio unius eſt alterius tractationi oppoſita, ſic ut velut rerum incompatibilium utriusq;, id eſt, mundanarum & cœleſtium rerum tractatio nequeat ſimul in eodem numerò Spiritu fieri, ſiquidem unum eſt verum, alterum falſum, & tametſi detur viciſsitudo, ea tamen reprobatur. Qui ergò gentilium ſophiſticationibus adhærent, jure meritoq; comparantur prophanis Deum non agnoſcentibus, & hujus comparationis fidem faciunt eorum mores & actiones, eò quod propriam quærunt gloriam tàm verbo qvàm facto, tametſi ſuperbiam ſuam non deprehendant ipſi. Non minus apparet eorum ſuperbia in formâ externâ, cùm ſint immerſi Curis, occupati negotiis arduis & moleſtis, quod ipſum teſtatur vultus eorum inſtabilis & glorioſus, apparet quoq, ex luxu (lautiori Corporis nutritione) & in multis aliis, qvàm cupidi ſint venerationis & exaltationis. Exin perſpicua eſt facta tentatio tertia doctis & ingenioſis hominibus familiaris.

Q. Dic qualiter homines quartâ tentatione decipiantur? R. Tentatio hæc omnium maximè eſt formidanda, quatenus ſimplices ac juvenes tàm longo intervallo arcet à virtutibus, ut de converſione eorum actum videatur; taliter ſeductos cernimus eos, qui relicto virtutum exercitio deſides incumbunt otio Spiritûs parum vel nihil curantes bona opera tàm externa quàm interna, puta Cognitionem, arbitrium, deſiderium, & quæcunq; ad ipſum Deum provehunt exercitia. Eorum Fides nulla eſt, nulla Sequela Chriſti: Chriſtus autem, qui unà cum ſuis Angelis nunqvàm eſt ſine voluntatis & charitatis operibus, exemplum nobis factus eſt, ut eum ſeqvamur inſiſtendo veſtigiis ejus. Rectè ergò dicuntur non ſequi Chriſtum, qui abjectis virtuoſis occupationibus & ſequeſtratâ Charitate obſervant naturale ſilentium tantâ firmitate, ut deſuper ob-

obdormiant & in otio, imperitiâ & ignorantiâ naturali obbrutescant penitus.

Q. Cùm autem dehinc non solùm naufragium in fide patiantur, sed etiam in perversam libertatem Spiritûs labantur, ut ut opinentur se juxtà Scripturam vivere, dic quænam hujus damni causa sit? R. Rectè dixisti, opinentur, cùm falsò se putent Scripturæ conformiter vivere. Enimverò qvi Spiritum Scripturæ non intelligunt, nec ut intelligant, laborant, occiduntur à literâ Scripturæ. Causa autem damni est occasio desumta è Scriptura malè intellectâ ad eorum perniciem, durâ pœnitentiâ si qvà peracta fuerit nihil efficiente. Subest qvoq; sivè naturalis sivè assumta rusticitas in semetipsos versa, qvæ tàm incurios reddit eos, ut exercitium virtutum, ipsamvè Dei adhæsionem prorsus negligant electo sibi Idolo suæ Entitatis cui adhæreant velut essent tales, qvi vero cultu Deo adhærent.

Q. Indica porrò vulgarem virtutum exercendarum modum, qvibus cuncti homines indigent, qvibus etiam Deo grati redduntur devictis qvatuor tentationibus antecedenter descriptis? R. Sentio quæstionem hanc non esse de modo præstandæ sanctitatis, sed tantùm de modo inchoativo, qvo qvis fundamentum firmum debet ponere ad obtinendum Regnum Dei, qvapropter hîc nihil dicendum est de profundiori scrutinio divitiarum Dei in Spiritu hominis reconditarum, sed solùm indicandum erit, qvaliter summè necessaria devictio præfatarum tentationum sit instituenda. Adeoq; sciendum est: qvisqvis tentationes enarratas devitare, aliisq; opem ferre satagit, eum oportet res suas alio prorsus modo præter qvod consuevit, hoc est, inverso ordine operosius instituere, ità qvidem ut planè de novo incipiat, qvasi jacto primo fundi lapide cæterisq; per commissuras coagmentatis structuram juxtà artem complanet. Est autem per primum lapidem metaphoricè depicta humilitas, qvæ in profundum mergendo cupit abscondere Spiritum in profundo: hinc rudi Christiano antè omnia opus est, se miserum sineq; gratiâ Dei nihil valentem subdere cunctis

hominibus, qvò sit & appareat humilis, qvoniam futurum est, ut suprà humilitatis fundamentum, si voluerit, ædificet Culmen pietatis & probæ vitæ tantò qvidem nobilioris qvantò humilioris. Hoc omnium primò faciendum est homini: deinde necessum est applicet animum ad Dei mandata, qvæ sibi præfigat custodienda omnia, qvamdiu vixerit, qualitercunq; obstrepant hodiè, qvi id in controversiam trahunt cum evidenti multarum animarum perniciè. Exindè enim discit, qvàm necessaria sit obedientia ratione recta, quo cunctis obediat hominibus inter qvos vivit sub hâc conditione, si pacis, virtutis seu mortificandæ proprietatis qvidpiam indè redundet. Indè qvoq; discit, qvàm necessaria sit solertia, fidelitas & amor mutuus ergà omnes, item mansuetudo, patientia, misericordia, ut cuncta hæc in eâ formâ, quam S. Scriptura, Amici Dei, imò & animi rectitudo probat, seriò proponat sibi facienda pro viribus & cum ratione. Hic modus communissimus est, qvo Christiani debent antevertere Diaboli seductiones: de minus vulgari modo sunt plura dicta alibi.

Q. Cùm mentio facta sit modi subtilioris, quo fideles Deo redduntur chari, non abs re erit pauca adjicere, utut de eo uberius tractatum est alibi, quæritur ergò, qvo modo qvis Christi imagini magis conformis reddatur? R. Is modus est usurpandus in silentio non qvidem corporali sed mentali, cùm scilicet homo, qvi jam effectus est victor tentationum, descendit cum Christo in abyssum Deitatis, rursumvè libero animo se tollit in altum ad amandum & collaudandum Deum in Christo Jesu cum omnibus Sanctis & Angelis ex nunc & usq; in æternum. Hæc Deo gratissima invocatio Trinitatis in silentio facta convenit homini, ut cum eo habitet S. Trinitas cum plenitudine donorum & gratiæ, adeoquè perficiatur virtualis ad Unitatem divinam reflexio. Hâc namq; sub Unitate confluit humanus Spiritus cum Dei bonitate qvasi eodem flumine penetrando Cœlum & Terram, Gratiam, Gloriam & omnia, qui modus plurimis secretus vocatur invocatio S. Spiritus,

ritûs, adunatio Dei & amoris immensi fruitio. Sub hoc amoris vinculo percipitur Utilitas & opulentia Spiritûs adimplens hominis interiora desideriis, imò & infinitis deliciis. Qvicunq; eò pertingunt, dicuntur orare in silentio & invocare voce occultâ justitiam simul & amorem Dei, qvò eos absorptos abscondat in illâ abysso, ubi suas proprias actiones amittit omnis Spiritus.

Q. Dic qvid ibidem revelatur? R. Tunc revelatur obscura tranquillitas & inanitas excedens modum, qvæ est mors vitæ corporalis & nova Spiritûs vita, & iste est usus summæ beatitudinis, qvod æternum tunc incipit silentium tàm in transitione Spiritûs quàm transformatione naturæ, siqvidem in ipsâ Personarum Unitate nec profertur, nec percipitur verbum ullum. Ad hanc abstrusam Triunitatem nemo pertingit sine Charitate ut nec sine exercitio virtutum in justitiâ.

Q. Cùm hinc dilucidè appareat, qualiter tot tantævè machinationes Satanæ queunt subverti, appareat etiam, qvàm sint decepti omnes, qvi manifestâ sub falsitate, spirituali silentio substituunt silentium & vacuitatem naturalem, qværitur: annon possibile sit, ut aliqvi per gratiam Dei pertingant ad sublimiorem hunc gradum Charitatis, tametsi in exercitio virtutum non æq; dignè se gerant juxtà descriptum vulgarem modum? R. Qvanqvàm ubi divina abundat gratia possibile sit, ut simul cum uno dono dentur plura testante exemplo Paulinæ Conversionis & apostolicæ illuminationis, ea tamen exempla hodiè exspirârunt, sic ut eò respiciendum non sit; verùm cùm gratia juxtà scripturam detur pro gratiâ, possibile est, ut etiam multi acquirant ilicò eam Charitatem, dummodò per gratiam Dei piè atq; prudenter vulgari modo usi fuerint: id namq; est secundum voluntatem Domini. Quod autem paucissimi homines eò perveniunt, indè provenit, qvod pleriq; ignorent modum mortificandæ Carnis, Sanguinis & Voluntatis propriæ, reliqvi verò qui ejus notitiam habent, vel aversatum dedignantur, vel durum nimis ac difficilem vel prorsus

 in-

indignum eum judicant, ideoq; dicendum, rebus sic stantibus esse impossibile, ut alterum contingat sine supposito prioris.

Q. Ergonè quorundam Sanctitas est tantùm imaginaria, vana scilicet seu umbratilis Species? R. Rectè ominaris, sic enim est, cùm nemini liceat Sanctitatem vel tantillam sibi arrogare, tantò minus sibi nimium fidere. Ipse namq; Sanctitatis respectus sæpenumerò nil nisi naturalis inclinatio ac desiderium congenitum est, proprio arbitrio, insuperq; novis inventionibus fulcitum propter inconstantiam naturæ, qvæ desideriorum expletionem & voluptatem quærit in suis exercitationibus, maximè si homo nondum excesserit ætatem quadraginta annorum, indè sine controversiâ dicendum est, bonorum hominum exercitium etiam sine scitu eorum esse adeò naturæ permixtum, ut cùm censuerint se juxtà Spiritum velle sanctè vivere, ea tamen opinio includat solius naturæ inclinationem & proprietatem nondum subactam.

Q. Quid requiritur ad improbæ Vitæ mutationem? R. Regeneratio ad id requiritur, nimirùm ea, qvæ per receptam in nobis Verbi nativitatem perficitur, tunc enim initium Vitæ spiritualis & templum Dei nostri factum est in nobis eoq; necessum, quia possibile, ut nos in eo castigemus operibus pœnitentiæ & sancto exercitio tamdiu, donec per gratiam Dei vincamus ac propulsemus Vitam caducam, sonticam & consequenter ea quæ Deo & virtuti adversantur sivè in cogitatu, verbo sivè facto vitioso consistant, donec etiam tàm potens reddatur nostra Charitas, ut per eam evehamur ad eandem suiipsius altitudinem, sic namq; futurum est, ut Charitatis bonum diffundatur per totum internum hominem secundùm plenitudinem omnium deliciarum. Sub eâ nostrarum potestatum evectione præparatur libertas eorum, quò Deum possint laudare, amare, colere omni modo sine impedimento aliqvo Diaboli, Mundi vel Carnis.

Q. Cùm potestates mentis præfato modo dominentur in homine, dic, qualiter se gerant sensitivæ potentiæ, quas inferiores

teriores virtutes Corporis vocare solent? R. Hæ unà cum sensibus ancillantur Menti, Carnales enim sunt sivè ex Carne prognatæ: serviant igitur ignobiliores nobilioribus, ne datâ occasione præscripto Carnis obtemperent corrupto opere. Benè autem ordinato Regimine procedunt omnia ex voto, cùm scilicet vas Corporis humani possidetur ab animâ in puritate & sanctitate; sic enim superantur tentationes, sic libero animo servitur Deo sine obstaculo, deniq; sic recuperatur bonum hæreditatis pristinæ, quod nostris peccatis perdidimus.

Q. Ostensus quidem est salutaris tentationum effectus, qvatenus per eas mutatur Vita improba, attamen cùm adeò natura resistat immutationi tali, ut dehinc magna in homine afflictio amaraq; passio oriatur, quæritur qvid indè sequi soleat? R. Qualitercunq; affligat passio, sustinendum est, interim autem notandum, qvamprimùm homo in eâ sic persistit, ut privetur solatio, venit Christus Dominus & ingreditur in eum; econtrà si quis passionem in seipso non observat nec impulsum Dei proseqvitur, in eum non ingreditur Dominus, adeoq; nec ipse intelligit, qvali tentatione cruciatur, num naturali an spirituali.

Q. Quodsi verò externa qvoq; venatio instituitur, utpotè cùm mundus imò & Diabolus mille artifex, caro insuper & sensus hominis ipsi tanqvàm procella fortis impetunt hominem taliter qvidem, ut vires naturales obruantur morbis, declinent aut exorbitent; annon his mediis impulsivis miser homo à facie Dei & ab inclinatione ad Deum habitâ longius propellitur, & in extremam Calamitatem conjicitur? R. Certum qvidem est, talem hominem sic valdè miserum reddi ac dissolatum; verùm tamen id ei incumbit facere tunc, nimirùm oportet clamare ad Deum ex profundis & iterum clamare omni quo potest desiderio, quod Vox interni hominis est. Hic Spiritûs clamor & gemitus longè lateq; personat, & Cœlum ipsum penetrat vocatum in adjutorium.

Q. Qvo sensu interpellat pro nobis Spiritus S.? R. Eo sensu,

qvem S. Augustinus exprimit l. 1. de prædest: Sanctorum inqviens: Qvid est, ipse Spiritus interpellat, nisi interpellare facit gemitibus inenarrabilibus, sed veracibus, qvoniam veritas est Spiritus? Ipse enim est, de qvo alibi dicit S. Apostolus: Misit Deus Spiritum Filii sui in Corda nostra clamantem Abbah Pater. Et hic qvid est clamantem, nisi clamare facientem &c. Ubi intelligimus, & hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci Corde & spiritualiter clamemus ad Deum. Ecce qvo modo per Spiritum S. præparatur necnon dilatatur fundum internum.

Q. Quid autem tunc faciendum est, cùm homo sub internâ & externâ eâ pressurâ, quâ major esse vix potest, diutius detinetur & qvamvis gemitibus inenarrabilibus adsistentiam Dei imploret, nemo tamen est, qvi exaudiat? R. Oportet se totum dedicare Deo, qvò magis magisq; præparetur, sic enim desiderium ejus augetur suprà modum. Si quis ergò est, qvi in omnibus passionibus internis & externis se patienter, mansuetè ac humiliter posset tradere divinæ Voluntati usq; ad mortem sine ullâ refragatione, profectò is rectâ viâ immediatè duceretur in ipsum Deum, utpotè qvod istæc suiipsius abnegatio & vera perseverantia (immanentia) in fundo vero perficitur cum firmâ fiduciâ, qvapropter & fides in qvâ hæc fiunt, velut multa efficiens ab ipso Domino magnoperè commendatur. Introitus iste (intromissio) in bonum æternum non fit veraciter nisi mediante abnegatione suiipsius eorumq; omnium quæ homini propria sunt tàm qvoad Spiritum quàm qvoad naturam: hoc namq; invenitur esse ibi, ubi qvis abnegat omne.

Q. Qvodsi qvis est, qvi à peccatis grandioribus aliquot annis abstinuerit, seq; multum apud Deum effectum putaverit sic, ut aliorum precibus coadjuvantibus cupiat contrahere intimiorem cum Deo & sanctis suis Amicitiam in æternum, quæritur, an etiam in suo proposito erret necnè, utpotè qvod desiderium hoc appareat vulgaribus hominibus perqvàm justum

ftum & licitum, qvi aliàs promiſcuè ſolent orare, prout cogitatio aut lectio in buccam labitur? R. Sanè illicito atq; injuſto deſiderio petit is tale quid, eoq; cum Chriſti diſcipulis errat, qvod ipſum apertè teſtatur humilitas ſimulac objurgatio Chriſti, neſcitis, qvid petitis, imò & inſtructio, qvatenùs Dominus noſter jubet bonos homines ſuppreſsâ ambitione petere ultimum locum tanqvàm humilibus competentem, ne à ſeipſis ſed à Deo vel ab aliis evehantur; futurum qvippè eſt, à Deo humiliatum iri eos, qvi ſeipſos extollunt. Cùm autem cujusvis boni hominis locus & manſio in ſolo Deo eſſe debeat, oportet unumqvemq; omnimodo cuncta propter Deum linquere intus & extus, in Spiritu & Naturâ, in Facultate & Carentiâ, nilq; à Deo unqvàm petere, niſi ut fiat Voluntas Dei in & cum eo; hâc ratione intrat Deus in eum absq; medio: Ea Spiritûs paupertas præferri hactenùs debet cunctis inventis ac inſtitutis propriis, omnibus cruciatibus Corporis, omnibus miſericordiæ Operibus, brevisſima qvippè hæc via eſt & inſigne Chriſtianæ Religionis compendium, imò Cardo circà qvem totum negotium fidei volvitur. Quicunq; hanc Viam negligunt, tempus omne perdunt, dumq; multas per ambages, per ſpinas, per ſaxa circumerrant, negligunt ſummum bonum, qvod in iisdem & naſci & habitare poterat, tanqvàm qvi à principio nusqvàm progreſſi ſunt, ſed ſtolidis ſimiles usq; ad feram ſenectutem oleum & operam perdunt.

Q. Annon & hi tentantur, qui poſt abſtractionem à mundo Cor ſuum totaliter ad Deum converterunt, qvò eum ſolum amando reſpiciant? R. Quin imò Diabolus trahit eos in tàm graves tentationes, quæ cor mundanum percellerent. Id quidem uterq; homo commune habet, aſt fundum eorum valdè diſpar eſt. Nam in mundano homine ſurgit ejusmodi tentatio è fundo non mortificato, è naturâ Carnis & Sanguinis, ac ideò tentationem tollit peracto opere à quo tentatur, hinc Spiritus malignus ultrò non tentat eum, qvia nec opus habet, ſed tantùm inſpirat. Aſt probus homo perſiſtit

sistit in suâ sinceritate, ejusq; tentationes de foris eum impetunt, qvia non è fundo erumpunt exceptâ tantulâ inclinatione, qvam Diabolus in eo reperit. E. g. Est homo naturatenùs pronus ad iram, Diabolus advertit hoc, eò igitur impendit omnem suam astutiam & nequitiam. Eo qvidem labore non indiget ad seducendum mundanum hominem, cùm tales actutùm seqvantur. Ast illis applicat simile qvid, qvod pueri invicem solent facere, cùm unus alterius vesti circacircùm injicit nodos hamatos herbæ personatæ (Lappæ); ità inimicus, cùm hominem invenit ad iram proclivem, subitò injicit ei speciem ejus materiæ, qvæ potest eum irritare, mox aliam, & sic porrò, donec homo ultimatim effervescat præ irâ, seq; clamando gerat ac si quem vellet percutere aut transfigere. Quod si talis homo ad se redire posset, seq; coràm Deo præcipitare in fundum profundum humilitatis, inprimis si cum hominibus reconciliatus componat se sic ut sine excusatione delabatur in suum Nihil inq; in suos graves defectus, futurum esset certocertius, ut sub hoc actu subitò exciderent defectus coràm Deo sicut nix dissolvitur à solis Calore, nec non & factâ reconciliatione cogeretur inimicus discedere. Homo insuper si sapienter in hoc se gerere satagit, plurimùm depuratus ad sublimiora præparatur.

Q. Quomodò tentantur perfectiores, priusqvàm ad summam perfectionem perveniant? R. Quid hîc sit sentiendum non omnes homines attinet, imò nos miseros oportet expavescere, dum volumus eloqvi vel audire res tàm sublimes qvarum nulla nobis obtigit experientia. Qui simile qvid experti sunt, cognitionem ejus habent, nihiloseciùs tamen non
Job. 4. possunt de eo nuntiare aliqvid. Job ait: Spiritus (ventus) præcedebat antè me, undè horripilatio supervenit mihi. Post eà stabat unus coràm me, quem non noveram, imago coram oculis meis, & vocem audivi velut suavem auram. Gregorius per ventum præeuntem intelligit sanctam humanitatem Domini nostri Jesu Christi, & per imaginem qvam videt

& non noſcebat, intelligit ignotam Divinitatem, qvæ cunctis Creaturis abſcondita eſt. Huc applicat id quod ſcriptum eſt de Eliâ, cùm ex mandato Angeli ſiſtebat ſe in monte coram Domino. Præcedebat ventus fortis, à quo montes ſubvertebantur & ſaxa collidebantur, aſt Dominus non erat in eo. Huic ſuperveniebat ingens commotio; Dominus autem non erat in eâ. Sequebatur poſteà ignis, & Dominus non erat in igne. Ultimò ſpirabat lenis aura, in eâ veniebat Dominus. Elias ſtando in oſtio ſpeluncæ audito flamine abſcondebat pallio ſuo faciem. Notate, quod in omnibus prænarratis modis tàm in ſubverſione qvàm commotione & igne non veniebat Dominus, eò quod cuncta hæc erant tantùm apparamenta, prout explicat S. Gregorius, cùm ait: Montes alti ſunt animi elati & duri, ſaxa ſunt animi nondum abſtracti, qvi cum ſuis inſtitutis ac propoſito perſiſtunt pertinaciter in ſuâ opinione habentes magna opera, modosvè ſublimes, omnia cum appropriatione. Quocircà cùm Dominus ad eos venire cupit, præmittit primùm ingentem Commotionem, qvæ cuncta ſubvertit qvæ ſunt in homine. Verùm rari ſunt tales, cujus ratio hæc eſt; quoniam adhærent rebus temporaneis, & in lutoſo corruptæ naturæ permanent, nimirùm in ſenſuali ſufficientiâ. Ubi autem commotio ſe rectè habet, non plus nec minus afficiuntur; interdum tamen inveniuntur homines, de qvibus dici poteſt, quod ſæpeſæpiùs eo impulſi ſunt ferè ad mortem usq;. Quidam interrogabat quondam Dominum, qvid ſibi factu opus eſſet, cùm diu noctuq; putaret ſe Vitam ſic perditurum, num ſit conſultum Vitam taliter exponere periculo? Huic reſpondit Dominus hoc modo: Annon potes audere & intus pati id, qvod ego ſuprà modum paſſus ſum corporaliter in meis manibus, pedibus & toto corpore? verùm quicunq; hoc nequeunt pati, tanqvam pertæſi paſſionis tentant varia, & licet ubiq; perqvirant, ubi reqviem inveniant, non tamen inveniunt eam, eò quod paſſioni ſubmittere ſe debeant. Quid, quæſo, reſpondebit huic mortificationi? No-

3 Reg 19.

ſcas hinc velim, ſi homo tàm purus eſſet,quàm fuit cùm natus eſt,hoc eſt,nullius actualis peccati reus, ſi tamen ad vivam proximam veritatem pervenire cuperet, oportet eum tranſire per iſtam Viam in verâ reſignatione, aliàs non eò pertingeret. Per ignem, qvi ſequebatur Commotionem, intelligitur Charitas ardens, quæ Sanguinem abſumit & medullam, qvà homo penè extrà ſe rapitur. Aſt quid cenſendum eſt de eo, qvod remanſit adveniente Domino in blando eo ſpiramine? Cùm Deus venit in hominem, poſteaqvàm præceſſerunt moventia, velocia, fortia, tantas commotiones & ſubverſiones facientia & poſtquàm ambuſtum eſt qvicqvid in miſerâ naturâ & ſpiritu eſt, quid tunc exiſtimas ibi eſſe? Certè nî Deus naturam hanc ſuſtentaret modo ſupernaturali; tametſi mille hominum robore polleret, non poſſet ſuſtinere miram eam lætitiam, non obſtante quod ultrà momentum non durat. Momentum autem id prætereuntis Dei erat tàm forte qvàm pernix, quod etiam Eliam coëgit pallio tegere faciem.

Q. Dic qvid per ea hìc debeat intelligi? R. Per ſpeluncam humana impatientia, per oſtium obtutus divinus intelligitur: qvod autem Elias pallio faciem obtexit, per id intelligendum datur momentum id, quàm breve etiam ſit, eſſe cunctis Creaturis exuperantisſimum, naturæ humanæ incomprehenſibile ac intolerabile, nam Dominus Deus eſt hìc in Veritate, hinc etiam dulcedo quæ deguſtatur hìc, exuperat omnem ſuavitatem cunctarum rerum deſiderabilium, tranſcendit omnes ſenſus & intellectum, extendit ſe longè ultrà Vires in abyſſum, & ſicut oculus lippus non tolerat Claritatem ſolis, ſic infinities minus poteſt natura ob ſuam infirmitatem tolerare id, qvod hìc ſentitur. Qvicqvid hìc dici, aut ſenſu intellectivè comprehendi poſſet, quàm bonum quàm ingens ſit,eſt tamen tàm alienum, diſſitum ac diſſimile ei, qvod in veritate eſt, acſi Carbonem quis lumen ſolare diceret eſſe. Hìc naſcitur vera & eſſentialis pax quæ omnem ſenſum ſuperat, idcircò qvisqvis hoc ſentit, hâc pace fruitur, & hæc præſervat quominus

facilè

facilè qvis posſit inqvietare eum. Imago autem, quam Job videbat & non cognoſcebat, erat Perſona Filii Dei, & lenis aura, in qvâ Dominus pertranſibat, erat S. Spiritus.

Q. Dic obiter qvid hìc ſignificat, quod Dominus veniebat in tàm leni ſpiramine, contrà verò in die Pentecoſtes cum vento procelloſo? R. Id S. Gregorius exponit hoc modo: Adveniebat, ait, ad diſcipulos modo ſenſibili, cujus reſpectu ſenſualiter operarentur ad Utilitatem Chriſtiani populi. Sed hujus non indigent præfati homines. Beatus ergò, imò valdè beatus homo eſt, qvi ſaltem unico momento antè mortem ſuam poteſt hoc bonum ingens acquirere; attamen quàm magnum ac ſuave eſt, nihilominùs tàm eſt diſſimile ſuavitati Vitæ æternæ quàm minima gutta eſt in comparatione ad mare.

Q. Ubi manent & quid faciunt tales homines, qvibus eadem lætitia objectivè revelatur? R. Demerguntur in profundum ſuum Nihil modo ineffabili, & ſi eorum annihilatio ad Laudem Dei vergeret, multoties deſiderarent eam præ magnâ reverentiâ ejus eſſentiæ, ob cujus altitudinem merguntur in abyſſum. Nam qvò magis cognoſcunt ejus altitudinem, hoc plus agnoſcunt eorum exiguitatem. In hâc mortificatione ſunt ſibiipſis funditùs obformati, & ſi qvà Deus eam conſolationem & perceptionem vellet iis ultrà largiri, fugerent eam recuſando, qvoniam non eſſet ex re deſiderare eam ultrà & liberè, præ metu ne qvà labantur in defectus, id quod certo indicio eſt, qvod æquè benè cum iis comparatum non ſit. Nihilominus relinqvitur deſiderium in ſiticuloſo, diſcretio autem & candor aufugiunt. Ejusmodi homines immodicè ſitiunt paſſionem, & præferunt eam qvalicunq; gaudio & ſolatio, qvod à Deo adepti ſunt, idq; propter ſuaviſſimum exemplum Domini noſtri, qvod imitari deſiderant modo omnium probroſiſſimo ac doloroſiſſimo. Cruci qvam ſitiunt, ſubmittunt ſe ardenti cum deſiderio & dilectione. Hìc verè exaltatur ſancta Crux, tanqvàm qvæ res gratiſſima iis eſt; hìc paſſio ſimul

& exempla Christi in suâ excellentiâ generantur. Proinde dicit S. Paulus: absit mihi gloriari præterqvàm in Cruce Domini nostri Jesu Christi: sic & Job: *c. 7.* dicit: desideravit anima mea suspendi, & ossa mea mortem. Hoc ipsum eligebat præ omni bono, qvod Deus ei fecerat. Suspensio talis hominis in Cruce est in maximâ torturâ, eò qvod Deus ejus pependit in Cruce propter eum. Cæterùm & in densissimâ caligine relinquit Deus ejusmodi homines, qvi & hactenùs in extremâ miseriâ deseruntur penitus.

Q. Ast qvomodò se habet potentia desideriosa, qvæ ab ardenti Charitate tantoperè accensa erat, nunc verò adeò præcipitata est atq; privata omni sensibili solatio? R. In succursum tunc ei approperant Candor & discretio sic alloqvendo eam: Eccè inamorata, hæc est hæreditas, qvam Deus legavit diligentibus se, nimirùm mens Deo plena & corpus seu natura plena passionis. Qvò magis aut minus ardet Charitas, hoc magis vel minus placet hæreditas, sanè plus qvàm omne posset placere solatium. Desiderabilem hæreditatem qvam
Jerem. 3 Deus amicis suis promisit per Prophetam, qvò qvis nobilius possidet ac diligit, hoc & potentius beatiusvè possidebit æternam hæreditatem, qvam & sancti Martyres adepti sunt mediante ardenti Charitate. Sed homines, de qvibus noster sermo est, se putant jam incepturos esse, ideoq; sentiunt cum incipientibus. Hinc seriò deplorandum est, quod verum hoc purumvè Bonum non magis qværitur, qvod potius sub rerum vanitate negligitur.

Q. Cùm Vita nostra sit plena tentationum, ità ut omnes Sancti eam non Vitam, sed tentationem rectè nuncupaverint, qvoad una cùm præterit, alia sit in expectatione, dic, quæso, qvare Dominus Deus noster sic homini imposuit? R. Eapropter facit hoc Dominus, quia vult ut progrediendo feramus fructum, maximus verò fructus & promotio est sita in tentatione. Exin sugenda est occulta spiritualis dulcedo, sicut mel é genere florum spinoso colligitur. Sic qvi non habet tentationem nihil

nihil ſcit. De Utilitate tentationis Scriptura fert multa teſtimonia, & infallibile ſignum divinæ Charitatis ergà hominem eſt, ſi qvis tentatione probatur. Martyres coronas adepti ſunt, eò qvod ſunt inventi probati per Paſſionem tentationis retentâ Fide & Charitate, cui promiſit Deus Coronationem. Nam nemo eſt usq; adeò perfectus & ſanctus, qvi careat tentatione. Quàm moleſta autem ea eſt, tàm utilis qvoq; eſt bono homini, qvia per eam humiliatur, purificatur & in bono vero informatur; imò & in exercitio ſuo valdè promovetur, cujus exemplum præbent omnes ſancti Viri, indè qvoq; conſtat cauſa, cur omnes ſint reprobabiles facti, qvi ſuam Cervicem jugo tentationum ſubduxerunt. Tentatio autem eſt onus Crucis, qvam nullus ſtatus nec ſingularis qvisq; homo prorſus evitare poteſt qvamdiu vivit vel ideò, qvod à cupidine Carnis (tanquàm innato & domeſtico hoſte) perſæpè tentamur. Per fugam Crux non vincitur, ut qvæ fugientes perſeqvitur & aſſeqvitur, per patientiam autem & humilitatem vincitur. Qvantum homo in pietatis exercitio profecerit, innoteſcit è tentatione, qvâ ſi caruerit, exiguum opus eſt ejus devotio, ſin verò in multâ tentatione multum patiens eſt, ſignum id eſt profectûs & emendationis ſuæ. Qvi majores tentationes adhuc tolerare neqveunt, probantur minoribus, ab his tamen ſi ſuperantur, eorum commodum parvum eſt; aſt cùm per id humilientur, ſatis eſt pro eo tempore, ne ſuæ imbecillitati nimis multum tribuant. Notandum autem malignarum tentationum initium eſſe animi inconſtantiam & diffidentiam, hinc fieri nequit, qvin homo diffidens variis tentetur modis. Tentatio manifeſtat, num homo ſit juſtus necnè, qvapropter unicuiq; curanda eſt ſua propria tentatio, vigilandum & orandum, ne Diabolus inveniat qvem devoret ſeducendo præcipuè circà initium tentationum, cùm hoſtis faciliùs vincatur, ſi clauſis animi januis pulſanti non aperitur, ſicut dici ſolet: principiis obſta, ſerò medicina paratur. Principium

Digitized by Google

autem eſt, cùm intus ſurgit levis cogitatio, qvam qvidam vilipendunt tanqvàm rem exiguam parviq; momenti qvia evaneſcentem; attamen hanc cogitationum ſuppreſſionem negligunt maximo eorum damno, cùm non ſemper evaneſcant, ſed ſæpeſæpius centuplum fœnerentur mediante Imaginatione fortem impreſsionem earum efficiente, & tunc non facile deletur cogitatio, cùm ſtatim eam ſeqvatur oblectatio & ſic porrò aſſenſus Voluntatis, qvæ in delectabili re ſensâ & cognitâ ſemper qvieſcere vult. Et ſiqvidem hominis minus exercitati vires non ſunt tantæ, quibus hoſtis jam ſtratâ viâ ingreſſus rurſus expellatur, indè fit, ut hoſtis indies fortior, homo verò imbecillior reddatur, qvod ab exemplo patet, nam tanto minus valet undis qvaqvaverſum irruentibus reſiſtere, qvi aqvaliculi ſcaturiginem non potuit obturare. Dirigitur autem omnis tentatio à Deo ad ſalutem hominum juxtà facultates iisdem donatas, qvapropter aliqvi majores tentationes perſentiunt ſub initium converſionis, alii ſub finem, nonnulli per integram Vitam cruciantur, alii leviter affliguntur. Hinc animus non eſt abjiciendus in quâvis tentatione, ſed potius impensè orandum, qvò Deus aſſiſtat homini tentationem juxtà vires emenſam perducendo ad finem ſalutarem.

Q. Quotuplex eſt tentatio? R. Duplex, una carnalis, qvæ dominatur in regno animali externorum ſcilicet ſenſuum & qvidem ſuo tempore, ut cùm tentatur externus homo ad qværendum voluptatem in Creaturis ſivè ſint amici, cognati, ſivè alii mortales homines, item in curioſo ornatu, pretioſo veſtitu, gemmis, libris, artificioſis inſtrumentis, magnificis habitationibus, cibo ac potu delicato, vel in aliis caducis Creaturis, qvarum varietati & vanitati tenaciter ac petulanter adhæret. Sunt qvidem ſenſus nonnunqvàm ab hàc adhæſione liberi, ſæpè tamen tentatur homo ſuprà modum in carne & ſanguine, in phantaſiâ & pravis Cogitationibus, verùm tentationes tales non nocent homini, quantumvis ſint valdè impuræ ac deteſtandæ, id quod teſtatur S. Gregorius, cùm inqvit:

quit: Tentationes non inficiunt hominem, præterquàm cùm negligens est non adhibendo operam ad ejus aversionem. Altera tentatio est spiritualis interna, quæ dominatur in Regno intellectûs. Notandum hîc est, opera Spiritûs & naturæ esse tàm permixta & invicem implexa, ut quamdiu vivit homo, peragantur cum naturæ operibus simul omnia interna exercitia & conversiones ad Deum. Qvid qvod Deus nostro bono permittit, quò Spiritus malignus se coram oculis mentis transformet intus in Angelum Lucis, maximè tunc, cum homo ad Deum se convertendo suas colligit atq; intendit potentias. Advertendum qvoq; est, à S. Johanne tripartiri peccata, cùm dicit: qvicqvid in mundo est, concupiscentia Carnis est, desiderium oculorum & Vitæ superbia. Sicuti autem singularia hæc tria peccata sunt, quæ plerumq; in Carne regnant, ità quoq; ejusdem speciei sunt, quæ regnant intus in Spiritu sub spirituali apparentiâ. Externa peccata sunt valdè manifesta, quæ homo facilè in se advertere potest; ast spiritualia peccata sunt magis abscondita in rebus quibusdam ut & in specie virtutis sic ut vix prævideri possit Casus præ foribus ingens.

Q. Libido ergò seu spiritualis incastitas qvæ? R. Est qvædam superfluitas, qvà homo seipsum sollicitius quærit intendendo desiderium suum ad devotionem, ad perceptibilem exarsionem ac dulcedinem, id autem sic facit, qvia perpetuam sibi pacem procurare satagit, nequà corripiatur aut debito labori astringatur, tùm etiam, ut queat liberè persistere in proprio suo modo orandi & operandi sine justâ intentione. Quodsi dulcedine tali frustratur, turbatur valdè impatiens impacatus redditus in rebus accidentibus minimis, vilissimis, qvin etiam queritur de damno & tentatione qvâ corripi se putat, cùm suâ pace intus nequeat potiri juxtà suum desiderium. Bernhardus autem dicit, quod Dominus Deus perceptibilem gratiam largitur illis, qvi eâ tanqvàm non promeritâ digni non sunt, idq; sic facit misericorditer, quò hominem tantò com-

Digitized by Google

commodius ad suam dilectionem trahere possit. Aliis econtrà dulcedinem eam subtrahit, qvi cæteroquin diuturno durovè exercitio dediti sunt, ejusq; longè digniores, ut id prætercam, quod Deus nonnullis eam subtrahit per totam vitam (reservatâ iis æternâ remuneratione). Attamen subtractionis hujus causa est, quod spiritualis noster progressus summaq; beatitudo non est sita in Voluptate prænominatâ, sed in fiduciâ internâ Deiq; adhæsione, in abjectione etiam & in oblatione sui ad æterna Dei servitia, propriis sumtibus, uti dici solet, obeunda, si qvà possibile esset. Hoc non obstante homo juvenis ac incipiens concessum sibi reputet exorandi Deum, qvò largiatur ei perceptibilem hanc gratiam, per qvam in Fide & Charitate fortificetur: hoc autem noscat, quod quisquis devotionem eam pacemq; exhilarantem (qvæ dona Dei sunt) propter seipsum plus amat, qvàm ipsum Largitorem, certocertius prolabatur in spiritualem abundantiam grandemvè perfidiam, quam clementissimus Dominus cum perfectâ suiipsius abrenunciatione non est de nobis promeritus.

Q. Quid spiritualis est Avaritia? R. Est, cùm homo semper plus cupit qvàm ei necessarium est in Vitâ temporalis peregrinationis. Qvonam provideat sibi iter faciens nisi eo, qvo mediante satur contendat ad domum suam? Si magno cedit dolori plura quàm opus est cupere in verâ paupertate externâ qvantò majoris doloris causa erit intus in paupertate Spiritûs? Non magis pauper erat, quàm qui desertus erat à cunctis Creaturis & à cœlestibus rebus Christus JESUS, qvi sibiipsi in summâ miseriâ relictus clamabat: Deus, Deus ut quid me dereliqvisti? Id omne autem factum ad nostram admonitionem, ut indè solatium acquiramus in nostrâ paupertate ad eandem resignationem.

Q. Sed obstant plerumq; dicendo: Nî propriâ meâ Culpâ id perdidissem aut neglexissem, non dubium est, qvin longè facilius sustinerem, nunc autem cuncta ipsemet pessumdedi, quid putas hic regerendum? R. Non perdant, qui sic dicunt,

ani-

animum: an id qvod scriptum est obaudiunt: justum de die septies cadentem surgere? an verò putant fore, ut semper stantes inveniantur? Conceditur eorum propriâ culpâ neglectum aut promeritum esse, nihilominus longè melius est, ut clementissimi Domini (qvi noscit humanam infirmitatem, qui Culpam qvotidiè septuagies septies ignoscit) gratiam implorent, non autem seipsos per pusillanimitatem postponant. Surgat qui lapsus est, accedat cum filiali fiduciâ ad Patrem suum, sicut fecit filius perditus, ore & corde humiliter dicendo: Pater peccavi in Cœlum & coram te, & non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis. Annon faciet nunc Pater, quod fecit tunc? Propter peccata tua non permutabit se cujus thesaurus est proprius, parum enim est ei remittere peccata, si ei confideris. Non est abbreviata manus ejus, ne qvà te salvet. Idcircò caveat sibi unusqvisq; à spirituali avaritiâ, siquidem quò minus habens accedit ad Deum, hoc magis acceptus est ei, imò tàm gratus, ut eum ditare velit uberius.

Q. Dic nunc, qvid sit spiritualis superbia? R. Est, cùm homo ob suos defectus non vult confundi in seipso, qvin potius ubiq; sibi parcere cupit, ne supprimatur uspiam, indè sæpesæpius fit, ut suæ excusationis ratione utatur inutilibus ac noxiis Verbis, quasi non esse deberet is, qvem liceat corripere, nolitq; advertere eum qvi se cum simplici veritate non potest justificare, tantominus justificari à mendacio quod in propinquo sæpè est. Longè autem præfertur homo humiliatus temerario, qvi suâ se putat justitiâ excusare & justificare. Audi homo, qvid est justitia nostra tota, annon, ut Esaias ait, est sicut pannus menstruatus? Qvandò fuimus tàm justi unquàm? & quandò sumus futuri tàm justi (si Deus requirat rationem) ut coràm eo qveamus subsistere? Nos reos oportet procul dubio confiteri, omne bonum juxtim & justitiam nos divinæ gratiæ acceptum ferre. Dominus autem persæpè præparat hominem mediante infirmitate, si qvà sub- Esa. 64.

indè coram Domino proſtratus humiliat ſe, qvatenùs DEUS vult, ut omne genu ſe flectat coràm eo, omnisq; lingua pro acceptis virtutibus reddat ei gloriam & gratitudinem: indè perdiſcimus ſecretam ſæpè in nobis ſuperbiam eſſe, undè rerum immoderatio & actiones illicitæ promanant. Qvisqvis autem ſe cuſtodire laborat à ſpirituali ſuperabundantiâ, avaritiâ & ſuperbiâ, is neqvit elabi è Viâ Domini, neq; errare in ſuâ internâ exercitatione.

Q. Cùm ſic abundè tentationum neceſſitas & cauſæ ſint explicatæ, nonminus operæ pretium eſſet hîc aliqvid adjungere de modo ſe præſervandi à triplici eâ tentatione, hinc qvid morari te jubet, ne faceres pandc? R: Nil vetat, qvomînus dicam, nec moram traham, qvin qvod requiris expediam. Notandæ autem ſunt ſeqventes tres regulæ, earum

prima eſt: non Spiritus malignus, non ipſa natura poſſunt efficere qvalemcunq; adverſitatem, qvæ intus adoritur hominem, utpotè qvod eâ mediante trahitur aut cogitur ad ſimilitudinem (conformitatem) humilimæ Imaginis Chriſti ejusq; Sanctorum; indè ergò ſeqvitur à Deo provenire eam, ſiqvidem Deus eſt ſummum bonum & à ſummo bono non niſi bonum profluit: omne qvod DEUS dehinc elargitur, & qvod ad eum rurſus tendere debet, à DEO provenit, qvemadmodum rivi omnes ad ſuam originem, undè effluxerunt, refluunt, omnesq; res exhilarant ſe in reditu ſuo. Idcircò ſeqvitur verum eſſe, qvod omne id, qvo homo à tali conformitate abducitur, proveniat à Diabolo, qvi pro diſtractione continuò ſe occupat. Nam Chriſtus ait: qvi non eſt mecum, contrà me eſt, & qvi non congregat mecum, ſpargit. Hæc regula opponitur primo ſpirituali vitio, qvod antecedenter fuit appellatum ſuperabundantia.

ſecunda eſt: qvicqvid homini intus occurrit, qvo ipſo propius & notabilius impellitur aut colligitur ad Cor, id eſt, ad ſimplicitatem animi ſui in perfectâ fiduciâ & charitate ergà paternam

Cle-

Clementiam, non verò ergà sua propria opera, merita vel arbitratum, id est à Deo. Qvisqvis seipsum semper agnoscit esse egenum medicum (qvanqvam opera sua appareant pulchra) & quò potentius approximat Cordi suo, hoc longius remotum se invenit à virtutibus. Reperiet sic in seipso, qvod nil est aliud qvàm Vas destructum non pertinens ad gloriam Dei, sed ad æternam damnationem, qvod ideò à solâ divinâ gratiâ impleri debet: & si qvis Deo adhæret se non defendendo cum seipso, hoc opus procul dubio à Deo est, qvo pellitur homo introrsum ad agnoscendum propriam suam paupertatem. Ast ab instinctu Dæmonis & naturæ privatur homo omni bono virtutum ejus, qvod fit, si homo non agnoscendo seipsum putat habere id, qvod non habet, & dicit, sicut scriptum est: Dives sum & non indigeo, intereà nescit, (dicit Scriptura) qvod nudus & pauper sit. Hæc regula est adversus spiritualem avaritiam. Apoc 3.

tertia est: qvicqvid occurrit homini, undè intima ejus perceptio minuitur ac humiliatur, ità ut seipsum flectat subter manum Dei potentem & subter omnes Creaturas in verâ humilitate seipsum abnegando & supprimendo, hoc ipsum procul dubio à Deo est. Nam sicut Lucifer & sui sodales superbiendo se extulerunt, eaq; propter è Cœlo ejecti sunt; ità nos conductu reciproco perducimur in Cœlum propter nostram humiliationem & prout uniuscujusq; conductus est, taliter facit, docet, adq; suam similitudinem trahit omne qvod potest qvodvè trahi potest. Malignus Spiritus est in obstinato suo proposito elatus & superbiæ suæ magnanimitate & voluntate tàm induratus & contumax, ut se nec unico momento velit humiliare adipiscendi Regni cœlorum causâ. Ab eo edocti consimile qvid faciunt superbi, qvi suis fidunt sensibus adversus omnem sensum & rationem aliorum, propterea spontè prolabuntur in pugnam & contrarietatem adversus proximum, undè inqvies multa & labor Cordis resultat, qvà frangitur fraterna Charitas.

Correptionem nolunt à qvoqvam recipere, qvin potius in pravæ voluntatis propoſito firmantur adeò, ut nimis ſuperbè auſint reſiſtere monitionibus Dei ejusq; Amicorum, qvale qvid cum Chriſto fecerunt Scribæ, Phariſæi & Sacerdotes Judæorum. Contrario modo ſe habet exemplum Chriſti, per qvod ad imitationem ejus conducimur: ipſe enim eſt manſuetus & humilis, imò omnis humilitas ad qvam inceſſanter trahit cunctos homines, qvi ſunt trahendi aut tractionis cupidi. Sua ipſius eſſentia eſt omnium rerum cauſa, eſſentia & principium. Ipſe vita viventium eſt, reſurrectio mortuorum, Reſtaurator defectuoſorum & ineptorum, qvi ſeipſos per peccata deſtruxerunt, Ipſe revocat eos, qvi receſſerunt ab eo, erigit ac obfirmat eos qvi ſunt tentati: Columna eorum eſt, qui ſunt perſeverantes, conductor eorum, qui ſurſum tendendo ſuſpiriosè aſcendunt ad eum, origo eſt omnis luminis, illuminatio illuminandorum, Revelator obſcuritatis, qvam nôſſe nobis expedit, principium principiorum, cujus eſſentia eſt incomprehenſibilis & ineffabilis, quapropter tenemur ineffabilem ejus abſconſionem glorificare, & cum ſancto pudore in ſilentio laudare ſine ullo deſiderio ſcrutandi vel deguſtandi eam, præterqvàm in quantum ei glorioſum, nobis autem conveniens eſt. Semper autem opus eſt, ut pro virili nos convertamus cum diſcretâ devotione, verecundiâ & reverentiâ ad Claritatem immaculati lucentis ejusdem ſpeculi, ſemperq; timeamus à verbis, qvæ Deus ad Moſen loqvutus eſt
Exod.19 inquiens: Homo aut beſtia quæ acceſſerit ad montem lapidetur, qvo ipſo indicatur, non licere ſenſibus animalibus aſcendere ad Montem divinæ Eſſentiæ, quibus incumbit potius locum infimum occupare, donec dicatur homini, amice aſcende ſuperius. Et tunc non ipſe aſcendit in montem, ſed patitur ſe duci ſurſum, hoc modo purificatur & ditatur ejus animalitas lumine Dei, in quo plus accipit luminis, quàm ſibi alioqvin mediante omni ſuo externo conatu comparare poterat. Divina namq; Chriſti natura eſt Virtus attractiva omnium animorum

morum & Cordium similiter se quotidiè cum eo in charitate unientium. Erat olim unus qui sic docebat: Ego, ait, accipio Christum non solùm in Cruce, sed etiam in suâ Clarificatione in monte Thabor; veruntamen ibidem non licet eum accipere sine præsentiâ Petri, Jacobi, Johannis, Mosis & Eliæ, qvi testimonium ferant, qvod ipse verè Christus sit. Id qvod sic est intelligendum: in cunctis anxietatibus & cruciante indigentiâ possumus credere Christum esse intus; ast si qvà Christus apparet in monte internæ contemplationis, adesse debent tres testes prænominati, ne dona Dei usurpemus cum superabundantiâ juxtà nostram concupiscentiam, nevè nimium cum avaritiâ cupiamus de suo bono qvod non possemus digerere, necessum potius est, ut deprimamus nos humiliter, ne in superbiam labamur spiritualem. Hi sunt veri testes, qvi nos securos reddunt ejus, qvod Christum in suâ Claritate in Cimâ montis Thabor absq; errore & obstaculo accipiamus. Nam ubi testes hi sunt in veritate, ibi non potest Angelus falsus fallere quempiam. Hæc de tentatione cui adhæret passio.

Cap. X.

De Passione.

Q Estnè possibile, ut aliqvis promoveatur sine Passione? R. Qvocunq; se vertat homo, non potest fieri qvin habeat passionem, tantò magis passioni subjectus est, qvi vult in bono promoveri. Respectu hujus dicit S. Petrus, eandem passionem exercere reliqvos in mundo fratres. Neq; mundani carent passione, utut videantur florere, qvatenùs ea merces qvam mundus exhibet nonnisi exitiosa deprehenditur. Quotquot fuerunt in mundo ho-

Digitized by Google

homines fortes, juvenes, superbi, qvi Vitam suam devoverunt mundo ad servitium, non aliam à mundo hinc reportârunt mercedem, qvàm qvod tradiderit eorum corpora in escam vermibus, Diabolo animam in opprobrium. Longè aliâ fruentur mercede, qvi Deo serviunt sustinendo passionem propter Deum; nam hi non solùm Regnum cœleste (Vitam æternam) accipient, sed unà Deus ipse merces eorum erit. Eccè qvàm sit ubiq; passio, sed magnâ cum disparitate. Afflictio est homini perqvàm utilis & salutaris, qvatenùs ab eâ pertunditur obduratum pectus humanum, molliusvè redditur qvàm naturatenùs est, sic ut homo eò facilius agnoscat & perpendat suam miseriam spe non in caducas sed permanentes res positâ. Illata calumnia inservit homini ad humilitatem, præservat ab ambitione, ab humanâ fiduciâ & solatio. Animus afflictus tristatur, gemit, orat, vitæq; pertæsus abrenunciat omnibus, mortem expetit, DEI solatium & præsentiam qværit cognito qvod mundo nulla pax sit.

Q. Siccinè ad exemplum Christi decet passionem qvamcunq; humiliter perferre propter Deum, sicut Christus eam pertulit propter nos? R. Imò ad ejus exemplum respiciendum est tanqvàm ad Normam, qvò faciamus ei qvod fecit nobis ob eandem rationem. Nam caput nostrum Filius Dei passus est opprobrium, paupertatem, miseriam, imò mortem ipsam solùm propter nos. Annon qui membrum Christi est, pudore summo à passione sese eximat? in mundo nemo vixit unqvàm qvi tot probra dedecora & vituperia in se derivari passus esset, sicut passus est Christus Caput nostrum, qvi adhuc pati paratus est, si propter nostram salutem necessum foret, qvanqvàm (sic loqvendo) spirituali modo adhuc qvotidiè subeat Crucis passionem, qvotiescunq; Vulnera, Mors & Passio ejus execrandis Verbis dehonestantur, ut taceam qvævis alia mortalia peccata, qvibus passio ejus nonnisi renovatur.

Q.

Q. Ergone Deus patitur? R. In Deum non cadit passio, nec ulla tristitia. Dicimus quidem Deum offendi, irasci, contristari &c. qvæ passiones propriè sunt animæ in corpore suscitatæ à Causis sibi contrariis: de Deo autem dicuntur alio sensu. Nam Deus qvà Deus non patitur, sed qvà homo, sivè in homine divino est, patitur, hoc est, per Creaturam. In hoc respectu peccatum Deo tàm est acerbum, ut suprà omnem modum condoleat non tantùm de unius sed de totius mundi peccato. Nunc homo cogitet, qvantus Dei amor sit, si vel compassioni vel dolori æqvipollere debeat, qvo solo ad expiationem tàm pretiosam permotus sit. Nulla ergò advenit Deo passio nisi è peccato, qvia cætera qvà bona sunt, DEO placent. Idcircò in homine divino querela, tristitia & passio propter peccatum incessanter durat per totam Vitam, undè ratio desumitur, cur Christo per totam Vitam suam erat secreta passio: hæc enim est proprietas in homine à DEO suscepta, qvam DEUS efficit, & recipit in homine, qvia DEO valdè placet velut res difficilima homini. Cognitio hæc descendit à lumine veritatis, nec hominem passivum inflat: & hæc est interna passio, cujus exemplum exhibet Propheta, cùm dicit: qvis dabit Capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum, ut defleam diebus ac noctibus &c. Est & externa passio à morbis, affectibus & sensibus inducta, qvæ ab homine qvoad mortalis tolli nec potest nec debet. Jerem. 8.

Q. Qvare reqviritur in homine passio, & qvare passibilitas præ impassibilitate, dolor præ indolentiâ approbatur? R. Ideò, qvia in statu mortalitatis impassibilitas non est nobilis atq; gratus vitæ status, quantum ad DEI placitum; Vitam autem dolore (passione) perfusam esse DEO gratam & charam perdiscimus è Vitâ CHRISTI, qvæ antè mortem ejus merè passiva fuit, Vita alioqvin nobilissima Deoq; gratissima, quæ secùs se habuisset, si indolentia DEO acceptior fuisset.

Indè

Indè simul discimus, juxtà Voluntatem Dei non posse ullum hominem antè mortem suam ad indolentiam pervenire, qvatenùs passiva Vita in Veritate est optima ac nobilissima in Christi Vita conspicua: qvæ si talis non esset, in Christo passio non fuisset, si impossibilitas præstantior esset, procul dubio ea Christo perfectè bono non defuisset.

Q. Dùm sæpè homo de Corporis sui afflictione conqueritur, annon solatium qværit & auxilium inter amicos? R. Querela hæc insigne Spiritûs Vitium est, qvi nec promeritam pœnam nec mortem nec infernum recogitat, cujus respectu omnis afflictio exoptanda, omnisq; labor imperterritè suscipiendus erat, siqvidem afflictio est talis hominis culpâ, quatenùs peccati malitia, qvà homo captus ac excæcatus est, præpedit quò minus penitiùs conspici qveant Bona cœlestia, idq; dat Causam doloris atq; internæ mæstitiæ. Qvæ verò Cognitione sui & pœnitudine provenit mæstitia, est salutaris admodum, cùm hominem hactenùs à mundo secernat, bonum qvoq; est homini se dignum reputare multifariâ Calamitate, indignum verò divino solatio. Duplex autem solatium capessit homo, humanum & divinum, sed rarius utrumq; simul. Christianis familiare est carere humano & abundare divino solatio, quin & tutissimum, utilissimum est externâ prosperitate simul & humano destitui solatio, cùm è vestigio substituatur divinum solatium, quo si qvis ad tempus caret vel saltem id non persentit, suâ culpâ fit, nimirùm, qvia externum mundi solatium cupit postpositâ animi requie. Cùm autem omnes dicantur suos pati manes, cunctos qvoq; suis vexari incommodis constet, notandum est, qvod nulla passio sit mage proficua, qvàm ea qvà propter Deum qvis patitur, qvod patitur. Qui cupit Bona & officia, qualia videt à qvibusdam in gaudio possideri, is cupit, qvod aversandum erat, qvia timenda inutilis passio, cùm nihil possideatur sine timore & sollicitudine. Si Vita caduca ipsa est miseria, quid erit Vita tot curis immersa, maximè cumulatis pro ratione latitudinis officio-

officiorum atq; bonorum? Non est humanæ Beatitatis abundare opibus, qvorum suffecerat minima portio: quin & ipsa Vitæ sustentatio, requies & vigilantia, cura & labor, qvibus omnibus mortales per vitam carere nequeunt, summam homini spirituali afferunt molestiam, ne dicam miseriam, non solùm ideò, quod vix eorum aliqvid sine peccato fertur aut agitur unqvàm; verùm etiam quod per id internus homo velut ab Hoste oppressore continuò affligitur, inq; suâ vel actione vel passione turbatur. Qvamdiu in tenui corpusculo hospitatur anima, non vivitur absq; peccato, molestiâ & afflictione: ideoq; dolet homo pius de amissâ beatitudine & patienter expectat, donec cum vanitate mundi transeat ipsa mortalitas, redeatq; cum novâ vitâ pristina gratia. Hactenùs causam habet juxtà Sanctorum exemplum deserere id omne, qvod mundo spectabile est, & è contrario curare solum cœlestia. Contrario modo se gerunt infidi homines, quorum Corda tenaciter adhærent caducis mundi rebus, eatenùs nil nisi mundum atq; terrena sapiunt, qvin etiam tantâ voluptate degustant ejus obsonia, ut Regnum cœlorum cum mundo permutatum vellent æternùm.

Q. In qvo est sita humilis hominis passio? R. In triplici Actu 1. est perfecta separatio à cunctis Creaturis abstractis à Deo in tempore & æternitate. 2. Vera humilitas externi & interni hominis. 3. Sedula Counitio† semper in Deo elevati. † animi

Q. Annon distinguis passionem? R. Imò passio distinguitur in eam, qvæ est naturæ, dependens à primo hominis lapsu, & in alteram, quæ cruciatum est.

Q. Dic quid de primâ habes? R. Est implantata naturæ passio, qvà homo proclivis est ad defectûs, hanc debet homo tanquàm sibi adversam omni studio fugere, in qvantum Deo contraria est. Ex hâc resultat altera passio, nempè tortura & cruciatus: hæc debet homini esse perquàm accepta, qvatenùs accidit propter exemplum & imitationem Domini nostri Jesu Christi, qui semper in acerbissimâ passione vixit.

Divina verò Clementia permittit sæpenumerò, ut fragilitatis passio cadat super hominem eo qvidem fine, qvo diro sub lapsu cognoscat seipsum, diligere discat, seq; in eâ torturæ Viâ volenter constituat. Qvodsi qvis posset in eâ Viâ se linquere, id valdè bonum esset: in beatissimâ ergò istâ torturæ Viâ discat homo semper dispicere ad suam infirmitatem, id est, qvà nihil est, nil facit. Qvisqvis hanc Viam benè didicerit, tametsi nil aliud agendo inspiceret incessanter in suum Nihil, ei divina gratia veraciter innasceretur.

Q. Cur autem dicis hominem nil esse, nil facere, cùm sit & Creatura & operetur indies? R. Sensus ejus hic est, qvod homo habet à seipso, hoc verè dicitur esse suum & non hoc, qvod à se non habet. Atqvi nil habet à seipso, ergò nihil suum est, in hoc dixi esse inspiciendum ei. Qvod autem est & quicquid est, id omne solius Dei est immediatè, qvia à Deo provenit tàm magnum qvàm parvum. Licet præterea concedi debeat, hominem habere aliqvid à seipso, nihilominus idipsum est corruptio omnis boni sivè interni sivè externi, undè non habet gloriam sed perditionem, qvicqvid autem adest boni, suum non est. Idipsum nunqvàm è corde mittendum est, qvin potius considerandum humanum Nihil & pronitas ad quamvis malitiam, in qvam & laberetur, si suam natura libertatem haberet. Hinc magnâ industriâ opus est se cognoscendi, qvò suum vergat fundum, intentio, Charitas, Sedulitas, an fortè succreverint Zizania, cùm fundum aliàs simpliciter Deum intendere oporteat, nil aliud. Adhæc scrutandus est externus Vitæ cursus, verba, opera, mores, apparatus, Conversatio & amictus omni modo, & sicubi se invenit aberrâsse, subitò se hactenus habet accusatum coràm Deo in verâ pœnitudine & gemitu interno: est enim valdè utilis iste gemitus. Tali exercebantur Apostoli, non qvidem propter peccata eorum, sed propter ingentem oscitantiam neglectumvè hominum, ac propter desiderium, qvo ergà Deum incessanter ferebantur. Sic cum objicitur homini obtutus seu momentaneus æternitatis gustus, subnascitur

in

in ejus interiori gemitus pervadens Sensus externos: taliter offert homo Carnem & Sanguinem suum in compensationem effusi pretiosi Sanguinis Christi. Itaq; dum homo facit inspectionem in suos defectûs, debet se humiliatum projicere antè pedes Dei, quò Deus misereatur ejus, non minus debet etiam sperare, quod Deus omnem sit remissurus Culpam. Hoc facto pronascitur gratia, nimirùm è fundo humilitatis, quò profundior, hoc sublimior. De hoc dicit Bernard⁹: cuncta exercitia foris peracta non habent paritatem cum eo, qvo qvis vallem habet humilitatis, in qvâ nascuntur mansuetudo, benignitas, patientia, quæ & ipsa est vera Via, qvam si qvis præterierit, errat manifestè, etiamsi qvamplurima externa opera fecerit, qvaten⁹ De⁹ hisdem nõ placatur.

Q. Añon passionem aversantur omnes, & qvis est, qvi eam desideratò aut cum lachrymis à Deo expetat, etsi nemo sit, qvi passionem omnium intolerabilissimam non sit promeritus? R. Exindè patet, qvàm simus naturæ non Dei Filii, imò qvàm nesciam⁹ qvid nobis utile qvid sit nocivum. Passionem esse grande beneficiũ non cognoscit, qvi nescit quàm dulcis sit passionis Causa, qvàm deniq; acceptus ejus effectus, imò qvi sciret non crederet aut non appeteret beneficium, tàm inter nos vilescit amor Dei, tàm longè remoti à Dei præsentiâ stamus & nictitamus lucem diei ferre nolentes. Hîc aliqvid conferet dixisse de passionis nobilitate, qvam Deus ad nostram Utilitatem imponit hominibus, tametsi passio aliàs, ut passio, Deo non placet, nisi fine medii ob incomparabile bonum destinati. Verissimum namq; est, quamcunq; passionem, qvâ homo exercetur, esse præter naturam Dei, ex quo indubitanter colligitur non iri concessũ passionem, nî tàm proficua homini esset. Cur mitteret Deus homini passionem sine fine fructuoso, cùm Deus ipse patiatur in homine Deo veraciter dedito? Passio enim non attingit hominem nisi per Deum, atq; sic Deum primariò. Convenit igitur homini passionem pati volenter & amanter, tametsi non cognosceret Causam aliam propter qvid, nisi solam occultam Utilitatem, siqvidem Spe futuri vel præsentis Boni insensibilis mitigatur qvælibet passio.

Digitized by Google

Illuminatus homo cognoſcit Utilitatem ex Revelatione, hinc pasſionem non ſentit tàm exquiſitè ut alii, imò ipſa pasſio eſt ei dulcis ac divina ſenſatio, qvam comperit ſibi nonniſi per Deum adveniſſe: hâc ratione tàm gratum ei eſt opprobrium qvàm gloria, amaritudo qvàm dulcedo, & qvàm aſpera ſit afflictio, juſtum tamen ſentit eam reduplicari meriti ſui causâ. Hoc autem noſcat rerum ignarus, hominem, qui nil niſi Deum qværit, cupit, Deovè adeò redditus, ut nil niſi Deum ſapiat, tàm gratè ac amanter recipere Deum in amarisſimâ afflictione quàm in dulciſſima quiete. Per guſtum hunc divinum intelligunt divini homines eam pasſionis demulſionem, quâ homo doloris acerbitatem non tàm exqviſitè ſentit, prout aliàs in naturâ ſentitur, atq; ſic à ſimili intelligendum tradunt, per aliqvem modum quo infirmi ſumto anodyno dolores non ſentiunt, vel per eum modum qvo homines in ſpiritu abrepti Corporis vellicationem aut læſionem non ſentiunt, tolerare divinos homines paſſionem minori ſenſu, obindè hoc loco ſæpè inducitur etymologia amaritudinis, quæ aliàs pro ratione admixti Sacchari obtunditur, ità factâ comparatione, omnis in univerſum pasſio & ipſa mors tetrica per Dei compatientis præſentiam mitigatur. Id illuſtratur ab exemplis ſanctorum Martyrum, qvi ſummâ patientiâ ſuſtinuerunt crudeles torturas, qvorum & aliqui absq; ullo ſenſationis triſtis ſigno occubuerunt. Ibi profectò Lux luxit in mediis tenebris cujus fulgor per ſenſum guſtûs comparativè expreſſus eſt: guſtum hunc ajunt non poſſe abeſſe ab eo, qvi pro ſolâ Dei gloriâ patitur. Inter nos autem qui hiſcè perverſis ſeculis non tàm exercitati ſumus, guſtus hic vel planè non vel admodum raro percipitur; aſt in qvibusdam adhuc hodiè reperitur, quod tametſi Deum non manifeſtè ſentiunt guſtando, tunc tamen ſentiant qvid analogum, præprimis cùm pro Dei gloriâ cuncta pati reſolverunt, id quod certo indicio eſt, eos posſibiliter ad guſtum perventuros eſſe ſi indefeſſam operam adhibuerint prælucente gratiâ Dei. Qvod at-

attinet, præmemoratum guſtum, qvem homo tunc ſentit, cùm propter gloriam Dei deſerit rem ſeu opus bonum propter aliud qvod melius eſt, is merces eſt ſeu fructus centuplicis fænoris, qvem Chriſtus iis promiſit, qvi proter Deum deſeruerunt id qvod deſiderabant, ideoq; non eſt externus fructus, ſed intus in Spiritu deprehenſus. Qvantò enim Spiritus eſt Corpore nobilior, tantò ſpiritualis guſtus eſt nobilior quacunq; ſuavitate rei cum proprietate poſſeſſæ. Hic nota, cùm ſaporoſiſſima iſtæc ſenſatio in amore, amor vero in voluntate conſiſtat, non poteſt fieri, qvin utraq; gaudeat eodem privilegio. v. g. ſi homo hanc Dei ſenſationem ſincero animo etiam in ſe cupit deprehendere, qvaliter eam in ſanctis Dei Amicis obtuetur, etiamſi eam à Deo non adipiſcatur, nihiloſeciùs tàm verè in ſe habet eam cùm non ſentit, acſi per ſenſus diſcretionem eam ſentiret; dummodò deſiderium tunc divinæ Voluntati dedicaverit. Nam & hoc deſiderium, utut bonum ſit, eſt ſuo modo humana proprietas, qvia ab exemplis accenſum ſuaptè naturâ fertur ad bonum aliorum, ideoq; in hujus voluntatis abrenunciatione plus ſitum eſt guſtûs atq; mercedis, quàm in ipſo deſiderio ſibi proprio vel in quâcunq; aliâ re. Qvicqvid enim Boni à DEO flagitare licet (ſivè corporale ſivè ſpirituale) id omne in Deo invenitur, proindè tùm paſſio tùm ipſa rerum deſtitutio ſuſtinetur in Deo, hactenùs longè utilius imò nobilius eſt pati qvàm operari in Deo, & major imò maxima Sanctitas fundatur in paſſione, ceu per qvam cuncta reliqva exercitia, opera & geſta ſupernaturalia Sanctorum ſuperantur. Verùm hîc multi pedem figunt ac meditantur, quî fiat, quod alii ad ſanctitatem, ad paſſiones & exercitia duriora perveniant, quò ipſi nequeunt pervenire, utut amoris paritatem, undè promanant, cupiant: Hunc ſcrupulum excutit doctrina de bonis operibus, qvæ cunctis inſervit, qvi per afflictiones probantur, quantum pati velint ac poſſint cum Deo. Ut autem ſcrupuloſis hiſcè ſatisfiat, operæ pretium eſt iisdem

 hoc

hoc loco indicare, quid observare debeant: nam duo consideranda sunt, amoris Entitas & amoris opus seu species amorosa. IpsaEntitas amoris est mentis potestas, ob Unitatem ternarii potestatum ipsi Voluntati naturatenùs inseparabiliter unita, imò in ratione Essentiæ cum Voluntate unum, hinc infallibiliter seqvitur, tantò plus amoris ei esse, qvantò plus bonæ Voluntatis habet, tametsi non percipiat occultum eum mentis thesaurum, cujus ergò prohibitum est proximi judicium quatenùs tàm suus qvàm proximi amor & bona Voluntas abscondita soliq; DEO scrutanda sunt. Alterum qvod observari debet, est opus seu luminosus amoris effluxus, cujus sunt Confessio, Laudes, Jubilatio, interna meditatio &c. quæ forinsecùs longè lateq; lumen qvoddam diffundunt, hæc utut bona sunt, si Lucis veræ lumen sunt, qvoniam tamen cum effectibus naturæ aut falsitatis (quoad externam speciem) conveniunt, nec hactenùs discerni queunt, non sunt opus omnium optimum. Possunt enim hæc opera peragi etiam absq; amore sivè ex hypocrisi, sivè ex naturali ad ea pronitate sivè ex persuasione, sivè è glorioso rituum processu sensus alliciente; posset etiam suavis iste gustus, si Deus permitteret, à Dæmone causari, qvo sic decipiatur homo, ut speciem referat loco virtutis putando id se habere quod habet minimè, falsoq; fidendo propriæ vel aliorum persuasioni, hoc ipso deniq; fit, ut aliis tutius vivat in eâ deceptione suumq; damnum nunqvàm recogitet, sicut per falsam eam fiduciam cernimus integras nationes esse deceptas. Indè cognoscimus, cur non sint opus omnium maximum: hactenùs est benè explorandum, num opera nostra proveniant à Deo necnè? Deindè etiam est considerandus finis, ob qvem Deus ea largitur, qvoniam experientia docuit, dona hæc sæpenumerò dari homini eo fine, quo sustentetur longo annorum curriculo in Vitâ & Opere bono, atq; ad altiores perfectionis gradus elevetur. Nam à quo ardentius amat homo, paulatim evanescit ea externorum suavitas. Verùm tametsi homo sit ità obfirmatus, ut cum solatio interno semper fidelis DEO maneat, non tamen

men desistendum est à perqvisitione ulteriori, qvin amor hic probandus est, num verus sit ac integer necnè: & si qvà veritas inventa fuerit, non tamen est omnium optimum. Enimverò cùm Charitatis opera sint inæqvalia, qvà unum alteri prævalet, difficulter pernoscitur, quodnam sit majus altero, & qvodnam est qvod præ necessitate majoris agendi tunc deferendum est, in nullo ergò consistit optimum. Majus autem est id, qvod altero magis videtur necessarium sivè Spiritum sivè Corpus attineat, & hoc modo sæpè externa opera internis majora sunt, quorum ad actionem hâc ratione festinanter currendum est postposito altero, id qvod persimile planum redditur v. g. Si Spiritus hominis in Deum jam est immersus, non majus hoc spirituale opus est illo, qvo qvis pauperem, famelicum, vel nudum obvium cibo reficere vel veste operire tenetur: sed hoc externum tunc temporis majus est interno spirituali, qvocircà meditatio utut intensa sit, tunc intercipienda est per indigentis succursum amorosum. Interceptio hæc est species resignationis, qvà id qvod nobis dulce ac suave est, relinquimus propter observantiã mandati divini, & sic reduplicatur merces, imò centuplici remuneratione redditur homini tàm propter observatum mandatum, quàm propter desertũ saporosum solatiũ. Indè qvoq; perspicuum redditur, qvâ ratione mandata Dei sunt præponenda qvalicunq; exercitationi, qvàm magna etiam ea sit. Et quoniam Deus mavult, ut succurramus membris Christi, sit licet cum intermissione divinæ servitutis (qvale exemplũ præbet parabola evangelica: qvæ bovis è puteo extractionẽ in sabbatho comendat) non est censendũ, per qvaleqvale genus beneficii negligi hoc vel hoc bonum, quoniam id omne qvod consultò sub exercitio intermittitur, cum tanto fænore à Deo rependitur ac ipsũ op⁹ necessitatis. Exemplũ intermissi operis contemplativi ob aliud maj⁹ superveniens charitativũ habem⁹ in Paulo, quẽ tàm amâsse fratres perhibet scriptura, ut pro iisdem cupiverit de voveri non quidẽ juxtà amorẽ Christi quem cunctis aliis rebus semper præferebat, sed juxtà præfatũ solamen divinæ contemplationis.

Exter-

Externo enim ſolamine poſtpoſito ſemper manet amicis Dei internum ſolatium, ſolatium ſcilicet univerſale divinæ voluntatis nunquàm ſuſpenſum per pasſionem, nunquàm auctum per relevationem, quia in datis ac perditis idem ipſum perfecti boni gaudium.

Q. Annon ſunt multi, qui ſolent obſtrepere religioſis ac probis hominibus dicendo, tàm fragiles naturatenùs eſſe homines, ut imposſibile ſit ad amusſim obſervare Charitatis regulas, tantòminus edere opera, verba & cogitationes mandatis divinis congruas, hanc ob rem irritum reddi conatum immodicum, hypocriſiæ documentum? R. Qvàm impudica ſit communis hæc objectio, qvilibet facilè pervidet, cui quodlibet Verbum Domini vel in tantillo pretio eſt. Dictum eſt alibi, hominem ſuis vitiis planè mortuum, atq; relicto ſeipſo ad Deum integrè converſum non poſſe Deo carere unquàm in quovis verbo ac opere. E præpoſitâ verò objectione patet, contentioſos nunquàm exuiſſe vitioſum habitum, adeoq; nec unquàm poſſediſſe Deum in cunctis viis operationum ſuarum: eorum periculum ſummum eſt, quoad ſine judicio jam judicati ſunt, qvalitercunq; in libertatis curriculo mundum peragrent, utut perſuaſione propriâ inebriati vociferentur, ſe eſſe filios Lucis, hæredes Vitæ æternæ. Hi nôſſe debuerant rem longè aliam eſſe ipſam actionem è voluntate productam & cogitatum vagum citò evaneſcentem. Nam utut hic à ſuis Cauſis provenit antè voluntatis aſſenſum, ità quoq; à cauſis contrariis expellitur, antequàm alienet mentem, quo reſpectu ſolus cogitatus qvà talis, non eſt peccatum, nec nocet Sanctitati, cùm perit. Chriſtus non carpſit motum primum cogitationum, ſed reprehendit aſcenſum earum, cùm ſine voluntatis aſſenſu non imitantur in mentis penetralia; aliàs ſub motu vago poſſunt comparari igni fatuo, & in Scripturâ per levem paleam à vento disſipabilem exprimuntur. Et ſicut nullum triticum absq; paleâ eſt; ità nec homo absq; vanis cogitatibus, à qvibus nec ipſi ſancti immunes fuerunt, utpo-

utpotè qvod in vitâ & per vitam progignuntur. Et ficut triticum propter paleam non carpitur, ità nec vita hominis ob cogitationes. Hîc ergò nil valet objectio de cogitatuum illapſu, quia tractatur de operibus, quæ Voluntatis effectus ſunt. Qvi nimò ſi qvis in ſuo ſermone aut actione per oblivionem redditur ſuarum rerum immemor, & per injuſtas Cogitationes à Viâ recti abducitur, non eſt ut à cœpto ſuo deſiſtat, cùm Deus ſit initium operis ad gloriam ſuam propoſiti libenter hactenùs condonans transgreſſiones accidentales. Cùm etiam dictum ſit, cuncta piis cedere in melius, indubium eſt, pravas cogitationes eſſe iis valdè utiles, qvi nôrunt cum Deo benè converſari. Hæc ad objectionem eam, nunc redeundum eſt eò, undè digresſi eramus, hoc eſt, ad pasſionem.

Q. Cùm ſatis teſtatum, imò compertum ſit, Deum non velle non caſtigare eum, qvem amat, utpotè qvod utilis ſit vexatio ad capiendum intellectum (eruditionem), annon requiritur intervallum temporis pro Caſtigatione? R. Non eſt qvod dubites. Nam qvalis caſtigatio eſt, qvam ſenſus non capiunt? quò durior, intenſior ac diuturnior, eò ſenſibilior eſt Caſtigatio. Præclara ejus exempla ſunt obvia in Pasſione Domini, Jobi & ſanctorum Martyrum, qvorum veſtigia ſi nobis calcare convenit, certum eſt nos qvoq; eorum pasſionis ac patientiæ participes eſſe oportere. Sed hic labor, hoc opus eſt. Hîc valdè inæqualiter ſentiunt homines, hoc eſt, juxtà robur ſenſuum: exqviſitiores ſenſus animum habetant, & potentiæ vigentes ſolvunt patientiam, undè diffidentia & ſuſpicio, qvaſi Deus tunc deſeruerit eos; verùm hujusmodi homines ſunt nondum exercitati, nondum Deo ſincerè dicati, nondum ſatis humiliati, idcircò qvotqvot eorum ſunt, ſentiunt adhuc exqviſitè juxtà carnem. Cum illuminatis, humilibus, Deoq; relictis longè aliter comparatum eſt. Hippocrates dixit: Qvi aliqvâ Corporis parte dolentes dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat. Certè qvi corporis pasſiones conſtanter ac patienter perferunt, eorum animus non quidem infirmitate laborat, ſed qvà ſuis poteſtati- Hippoc. l. 2. aphor. 6.

bus utitur, corroborat corpus debile, ſenſus obtundit & inferiores potentias inditionem Spiritûs reducit, per qvam ſuperiorum virtutum ac inferiorum virium Unionem totus homo ad ſanctitatem pertingit teſte Scripturâ. Qvicunq; cupit à Deo amari, ei ſingularis cupienda eſt pasſio, qvoniam deſcripta Crux invenitur in flammâ divini amoris, qvapropter qui Dei amorem recipit, recipit ſimul Crucem ſeu paſſionem, amorem verò ſi tenet usq; ad mortem, verè beatus atq; perfectus erit. Nam pasſio voluntariè ſuſcepta & ſuſtenta cum patientiâ ſuavisſimam in auribus DEI reddit harmoniam, cùm ſcilicet Corporis Vires ſunt à pasſione oppreſſæ, mentis verò poteſtates devotâ ac patienti ſubmisſione qvieſcunt, cùm Spiritus S. ſuperiores virtutes regit, S. Angeli verò forinſecùs demulcent ſenſus, viresq; Suavitate ſpirituali reficiunt, velut exemplum Chriſti docet, ad qvem reficiendum Angelus miſſus fuerat. Status hic tranqvillitatis vocatur in Scripturâ devictio Carnis, eaq; duplex eſt, una ſenſuum, altera ſenſationum: de priori eſt alibi dictum, poſterior huc ſpectat, eſtq; tantò gravior, qvantò intenſior pasſio, & qvæ ſub incluſivâ prioris obtinetur Victoria, eſt tantò excellentior, ejus reſpectu victores vocantur Heroës; imò ſi talis Victoria cum Vitæ jacturâ, cum Sanguinis profuſione, ut ſæpius factum eſt, obtigit, appellantur teſtes cruenti (Martyres), imò in ſenſu myſtico velut in ſcenam producuntur cum habitu purpureo, qvemadmodum qvi ſolebant induti chlamyde roſeâ ſeu rubicundâ oſtentari Heroës. Heroïbus ſuis purpuratis præivit ipſe Rex, Dominus noſter ſub cruentâ procesſione, in cujus admiratione hæret Propheta dicens: Qvis eſt, qvi venit ab Edom
Eſ. 63. tinctâ veſte de Bazra; qvare ruffum eſt indumentum tuum? Sic legimus, glorioſum hunc Regium amictum non qvidem Angelis, ſed DEI Filio, ſuisq; ſequacibus collatum eſſe, qvi Dominum ſuum in conflictu viriliter ſeqvuti ſunt, nunc verò devictâ pasſione per patientiam coràm Altisſimo agminatim

tim ambulant in magnâ gloriâ. Singularem hanc Regiam vè dignitatem & gloriam dedit eis Deus propter duram passionem & incredibilem patientiam, qvalem Angeli hoc merito carentes non obtinent. Discendum hinc est, eos omnes, qvi glorioso hoc æterno habitu olim indui cupiunt, non nisi probandos esse passione & torturâ, num sint capaces, quemadmodum juxtà Scripturam Christum ipsum oportuit in gloriam introire per passionem. Etenim si nos in omnibus Christo similes reddi tenemur, ipse qvoq; passionem omnium dirissimam sustinuit, sequitur, in tantum nos similes ei reddi, in qvantum nostra passio qvoad magnitudinem & solatii Carentiam respondet passioni Christi. Erat autem patientia ejus sic modificata, prout scriptum est: oppressus fuit ipse & afflictus & non aperuit os suum, sicut pecus ad mactandum ductus, & sicut ovis coràm tondente se obmutuit & non aperuit os suũ. Ad hæc immotis oculis & artubus ad acclavandum manus pedesq;, caput verò dumeto implectendum liberè tradidit, atq; qvod probè notandum est, solatium & remedium naturale non expetivit, & hinc è passione raptus est in gloriam &c. Consimilem patientiam in martyribus conspectam fuisse tradunt Historiæ, qui hactenùs inventi sunt digni qvi ambulent cum agno qvocunq; ierit. Prout autem apud Deum non dies est, & anni ejus non deficiunt, ità non solùm eo tempore cupivit constantes summeq; patientes Heroës, sed adhuc hodiè consimiles cupit habere, qvorum etiam gloriam credimus æqvalem præfatorum antecessorum nostrorum gloriæ, si devictâ occasione passiones perversi hujus temporis patienti animo pertulerint Deo dediti homines. Imò ob inenarrabilem gloriam, qvam anima in suo Caduco corpore per temporaneam passionem præ Angelis impetrare valet, si homo illuminatus ad plenum cognoscere posset, quàm sic Deus amet animam, optaret tolerare passionem omnium acerbissimam ipsum vitalem fomitem exstinguentem. Neq; dubitandum est, si homo intus & extus admissas qvasvis tentationes sine omni solatio posset perferre, qvin DEUS è suâ

immensâ bonitate juxtà optatum hominis ei imponeret passiones omnium horridissimas, eas scilicet, quas Filio suo crucifixo imposuit. Siquidem in tolerantiâ desperatæ passionis latet mysterium, nimirùm quod per eam intrà horæ Spatium pervenit homo ad sublimiorem perfectionis gradum, ad quem per bona opera toto anno non potest ascendere; imò hujusmodi patientiæ respondet æterna gloria, & ea non immediatè per Deum in homine præparatur, verùm mediatè per homines malos, crudeles, traditores, qvibus Deus ceu instrumentis Artificis conflantis & polientis utitur. Multi sub diuturnâ passione undiq; requirunt solatium; verùm hi sunt effæminati, imbelles milites, fugaces & attoniti, quidam etiam tales fiunt ex pravâ occasione & falsâ doctrinâ. Qvodsi qvem probum summeq; afflictum defungi videmus sine manifesto solaminis indicio, hunc facilè judicamus, qvasi corona vitæ saltem gliscceret sub solatio, cùm nôsse debeamus, hanc Vitam non esse solario dignam, sed passione, undè si vita sub passione obit, jam nacta est suam mercedem, nam & totalis nostri vasis purgatio (absterfio) debet fieri cum extinctione vitalis luculæ, in quâ scintillat fomes peccatorum. Id cùm in morientis Christi personâ credendum proponatur, nemo miretur, quod eo tempore, qvo homo se Deo in suâ passione offert, solatium ei inter orandum non mittitur, utpotè quod adhuc indiget præparatione (purgatione) antequàm Deus sua pretiosa transfundat in eum. Est autem proborum hominum genus triplex, unum quidem reliquis perfectius, qvi possunt passiones perferre ad mortem usq; sine solatii appetentiâ. Iis succedunt debiliores, qui quidem passiones cum patientiâ perferunt, non tamen sine interventu solatii. Hujusmodi infirmis non propinatur Calix meracioris, sed diluti debilis potûs, hoc est, internum solatium interpolatis lachrymis permixtum, atq; id obtigit iis ex abundantiâ gratiæ, si quà oraverint assiduè, respectu hujus inadvertenter sitienti animæ adfertur ea refectio non ab ipso Domino, sed à Servis ejus, Angelis scilicet. Tertium genus est ignobilium,

bilium, sivè ad gesta heroica planè ineptorum, horum aliqvi nullis vexantur passionibus, eò qvod nullas perferre valent, alii verò per leviores probati paulatim exercentur gravioribus, donec aptiores redditi in Classem mediam tandem evehantur. Quicunq; Heroum desiderant gloriam, habitumvè purpureum, cognoscant oportet, qvânam Virtute promereantur eam. Certum namq; est, Regium hoccè indumentum non conferri nisi ei, qui per flammantem seu exurentem passionem satis tortus, probatus, eoq; dignus inventus est. Talis passio non levis sed gravissima est, ut quæ ad medullam usq; penetrat eam excoqvendo per modum ignis urentis, destruentis atq; in aliam formam transmutantis, ità ut homo ad lubitum summi Datoris præparatus sit. Hic passionis ignis inservit ad tollendum omnes formalitates, qvæ hactenùs impediunt alterius formæ inductionem, siquidem in sphærâ naturæ notum est, nullum Corpus posse transmutari in melius, nî prior forma tollatur, qvæ dat esse rei, & alia forma superveniat, qvâ informetur informis materia; sic etiam cum gratiâ divinâ comparatum est. Summus namq; Fictor & Factor non inprimit in animam humanam formam sivè Ideam essentialis imaginis suæ nisi sublatâ prius antiqvâ formâ humanæ Vanitatis. Huc inservit præfata assertio, nimirùm, qvod nobilissima hæc animæ transformatio à Deo ipso non nisi ad exemplum ordinis naturæ perficitur, hoc est, per passionem igneam penetrantem & formam antiqvam annihilantem. Istam antiqvæ formæ eversionem invenimus in Scripturâ indicatam per similitudinem duplicis medii, nimirùm ignis & aqvæ, similitudine è statu naturæ depromtâ. Nam sicut rerum formæ æq; emoriuntur in aqvâ atq; per ignem destruuntur; ità circà depositionem antiqvi hominis passim occurrit mundatio ac præparatio tàm per ignem qvàm per aquam, sicut scriptum est: fundam & mundabo Filios Levi per ignem &c. & alibi: lava me, munda me Domine: item omnes tui fluctus suprà me &c. Qvisqvis ergò hujus transformationis cupidus est, patiatur necessum est Pf. 110.

aut hujus gehennæ temporalis æstum, aut aqvarum multarum inundationem, qvibus mediis informis redditur, hoc est, sicut per ignem incineratur, ità per aqvam dissolvitur, & ideò balneum divini amoris æqviparatur ignis effectui qvoad potentiam. Nonnunqvàm invenitur homo tantoperè afflictus & tentatus, ut non solùm sexcentos homines malos, sed, qvod mirum est, multos probos nôrit nominare, qvi eum pariter affligunt; dehinc videmus exemplum præparationis. Nam uti Deus hanc animam, qvam sibi proposuit transformare, omninò vult præparari, ità si aliter fieri nequit, permittit bonis ac malis eam præparandi etiam sub immaturo judicio. Hoc quidem ideò sic fit, qvia passio electorum non est vulgaris, sed tàm mirabilis sæpènumerò, ut omnem humanum captum superet: & hinc tàm necessaria est, ut nisi homines præstarent vicem instrumentorum, Angeli substituendi essent, ceu docent quædam historiæ. Mirum ergò non est, si cernimus probos homines affligere afflictos, qvatenùs & hi sunt instrumenta supplentia locum malorum, imò uti dictum, necessaria propter electorum præparationem. Dehinc etiam fit, ut post mundationem factam per DEI gratiam agnoscant errorem, necnon cognoscant præfatam Electorum præparationem & immutationem: hujusmodi errores nec curat nec punit DEUS, qvia consilio suo permissos ad majorem utilitatem.

Q. Qvid decet animam impari passione adeò tortam ac tostam? R. Convenit fructum suæ passionis edere, qui consistit in eo, ut per orationem Deo suo offerat hanc benè meritam passionem, jungendo eam passioni Domini nostri, qvà junctim gratiam inveniat in oculis Dei Patris; hoc ipsum probatur per exemplum Latronis cum Christo crucifixi. Hoc enim solatii habet anima perpurgata, qvod Dominus noster intrat in animam sub ipsâ amarissimâ passione, eam è corpore migrantem secum rapiendo in gloriam æternam, tametsi acce ssionem Domini sui anima inter angustias conclusa tunc

tunc non sentiat, qvam aliàs sentire posset, cùm unà secum afferat tunc prægustum suæ dulcedinis antehac non observatum. Talis anima emigrans è Corpore (qvoad membra non mutilato, non sauciato, non Sanguine suo conspersо) assumitur in Cœtum Heroum cœlestium, utpotè qvod per internam absolutam passionem æq; pervenit ad Martyrium atq; alii per externam Corporis passionem.

Q. Ubi inveniuntur hodiè Martyres, cùm quilibet passionem aversetur? R. DEUS novit suos Electos, qvàm pauci etiam sint. Indubium est eos, qui cunctis viribus suis à passione se præservare conantur, non pervenire ad præfatum Martyrium, nec eos, qui sunt impatientes sub passione hincindè auxilium qværentes, qvantò minus hos, qvi fragilitatem suam semper in ore habendo prætexunt naturæ mollitiem, ac ineptitudinem, qvi Voluntatem DEI non respiciunt immotis oculis, nec Verbo ejus exasse obtemperant; nec hi perveniunt eò, qvi Opera bona non sincerè peragunt. Annon conspectui sistitur nunc summa mundi negligentia? Qvin & Apistiam ac iniqvitatem agminatim devolvuntur homines, alii ad opera justitiæ pigerrimi ac ineptissimi inveniuntur, nunqvàm incipiunt benè agere, nunqvàm discunt, nunqvàm volunt, qvia excusant peccata tàm per naturæ statum qvàm per misericordiam DEI. Ubi ergò reperiemus electos, qvorum tanta carestia est, ut vix non fame Cœlum pereat? Verùm qvanta sit penuria, non tamen oblitus est mundi Miserator, qvi potius, si Martyres Heroës non invenit, præparat sibi qvosdam famulos & ancillas ad peragenda servitia utut servilia, qvia vilissima. Malunt enim hi qvibus malè audit perfectio, manere imperfecti, viles, otiosi, ac despecti, eâ saltem ratione, ne corpus ab exercitio aspero atteratur & concutiatur. Optandum ergò esset, ne tales desides penitus maneant, sed ad minimum servilibus operibus se occupent, qvò tandem eorum portio

portio sit, qvalis distribuitur janitori aut famulo fideli. Nam etsi sublimiores gradus non conscendunt, non tamen prorsus elabuntur, qvia per obsonia succosa à Deo alliciuntur, ne se avertant penitus. Consistit autem hic famulatus in operibus misericordiæ, orationis ac devotionis, & qualiter in tali servitio operandum sit atq; studendum, ut promoveantur ad altiora officia, istam encheirisin docet caput de bonis Operibus. Interim debilibus atq; plebejis opus est confiteri Domino, qualiter in Viâ latâ ambulant, velut inter rosas & lilia, hoc est, in securitate, cùm Dei Filii studeant permeare viam angustam spinis ac tribulis septam. Et qvia possibile est plebejos tales præparari à Deo, promoveri ac evehi in militiam, necessum qvoq; est, ut ipsos se & omnia qvæ possident Deo offerant, & ad pugnam & passionem se resolvant. Nam hæc est etiam resignatio, qvâ potest effici, ut Deus suam effundat gratiam in animam sibi oblatam & dedicatam, eamq; sic præparando, uti visum ei est, transmutet, hoc est, è servo Ducem, ex ancillâ Reginam tandem faciat.

Dedicatio hæc, qvæ paulò ante nominata est, vocatur externa, quatenùs externum hominem, qvoad Corporis sensus & actus ab animæ sensitivæ potentiis rectum, taliterq; à mente ejusq; internis abstractis actionibus & passionibus interstinctum concernit; & quoniam sunt homines, uti dictum est, qvi qvidem patientiam habent in passione minori, non tamen perfectam in graviori, hoc est, non cum oblatione sui exercitam, nihilominus ea virtus eorum utut defectuosa adhuc est, vocatur simpliciter patientia, qvia & afflicti homines, dummodò suam abnegârunt voluntatem, sunt aut volunt & conantur esse patientes. Patientia est medicina universalis cunctorum morborum, qvia Virtus est potens sustinere quascunq; afflictiones, infirmitates, torturas, persequutiones, probra, cônvitia, injurias pari animadversione, & quoniam nemo potest veraciter frui pace absq; singulari patientiâ, idcircò nuncupatur ea virtus opus pacis, qvâ de causâ dicit Christus:

Beati

Beati pacifici. Eximia qvædam purgatio sita est in patientia, qvà homo magis dolet de alterius malitiâ,qvàm de illatâ sibi Vi & injuriâ, qvædam etiam purgatio est, qvà homo sibiipsi subtrahit aliqvid, ut alteri benefaciat,purgatio etiam est condonare & benefacere hostibus: dicendum hactenùs est non purgari in futuro eos, qvi modis prætatis purgârunt vitam suam. Patientia si deest, parum valent opera qvævis: petenda ergò à Domino est patientia, qvò aliorum defectus patienter perferamus, cùm & nostri defectûs ab aliis sint perferendi. Si fortè semel, bis aut ter monueris aliqvem, aut reprehe- deris, satis est, qvia nondum adest tempus conversionis ejus, si qvà non obtemperaverit. Non est in potestate hominis sic esse ut optat, idcircò diversi sunt mores, diversa hominum vitia, qvorum si qvosdam unqvàm concordes in bono uno eodemq; inveneris, ab uno bono taliter effectos eos veraciter pronunciaveris. Vitium penè maximum est ab aliis pænam Culpæ exigere, quam sibi eximere cupit. Huic non est absimile,petitioni alterius repulsam, suæ verò exauditionem adjudicare. Hodiè tritissima consuetudo est propriam libertatem sciscere, alterius verò Cervicem legis jugo subdere. Qvis non pervideat proprium commodum præferri, curam autem amoremvè proximi sic posthaberi? Idipsum est qvod totum mundum occæcat,Deoq; exosum reddit,qvia contrarium. Siqvidem cùm nemo sit sinè culpâ, onere vel defectu, nemo sibi sat prudens sat potens, hanc ob rem jussit Deus alterum ferre alterius onera: hinc naturatenus convenit homini ferre, juvare, erudire ac solari proximum suum; nam & in hâc occasione redditur manifesta qvalitas, virtus seu potentia hominis. Aliàs solent & hi qvi Vitæ suæ subsidia nimiâ sollicitudine à Creaturis procurare satagunt, suas qvoq; tentationes multis qverelis confidere aliis, censendo angustias animi Creaturarum ope tolli posse. Errorem hunc nimis vulgarem castigat Deus in suis amicis vel ideò, qvia sanctam eam Vitæ exercitationem posthabent, qvæ vocatur tolerantia jugi divini. Initium perfectionis

eſt adhærere ſoli Deo inceſſanter in ſilentio & patientiâ cujuscunq; paſſionis. Is namq; Deum amat, qvi per Deum afflictiones patienter ſuſtinet. Si mens ſub carnis tentatione ac humiliatione tranqvilla eſt, mitigantur ſimul Corporis dolores, imò ſub ipsâ perſeqvutione & ignominiâ neſcio quæ ſuavitas & ſupernaturalis lætitia ſentitur, velut experientia docet; id qvoq; ſic eſſe contrarius teſtatur eventus, qvoniam ſat cognitum eſt, cruciatus Corporis ſub impatientiâ gravius invaleſcere. Dixi patientiam eſſe medicamen morborum; qvin & dicendum eſt, eam eſſe amuletum intercipiens ipſam impatientiæ acceſſionem. Eſt & ſcutum cordiale, qvo muniatur homo, ne iraſcibilis vis concitet furoris procellam, qvotiescunq; externis aut internis occaſionibus tentatur, qvaliter qvidem in malè ordinatis fieri ſolet. Qvicunq; admonitioni DEI in mandatis ejus contentæ pro virili non obtemperant, hi voluntati DEI non ſatisfaciunt, tantominus animum ſuum ad ſuſtinendum qvasvis adverſitates Deo offerunt; & iſtæc contumacia impedit, quominus homo in rebus divinis ſe exerceat. Clamant ergò contrà perfectionis inſtitutum & propoſitum dicendo: non eſt juſtus, nemo perfectus, omnes homines ſunt peccatores. Attamen per eam declamationem nemo excuſatur, ſiqvidem inventum eſt ſummo noſtro pudore, non ſolùm nos nihil poſſe, nihil valere, verùm etiam nihil facere, nihil valere, nil pati velle. Impatientia in adverſitate hominis conſpicua non reddit hominem malum, ſed quod deterrimum eſt, abſconſam prodit malitiam, ac pravam voluntatem, ob qvam falſitatis inventionem uſu venit in Scripturâ proba ſeu examen à ſimili ignis deſumtum, cujus potentiâ metallum purum à Scoriâ ſeqveſtratur. An aliqvis hic dixerit, ſanctos Apoſtolos & Martyres non fuiſſe juſtos, perfectos? Annon ſunt, qvi id Scripturæ dictum objiciunt, qvod ſcilicet in Sanctis ejus fuit inventa ſtultitia? Hi qvosdam lapsûs Sanctorum ſibi accommodant, qvo ſuam continuatam excuſpent malitiam, ſubrutâ

omni

omni justitiâ & perfectione. Quis nesciat in Scripturâ passim obvium esse Etymon perfectionis & justitiæ? Nôsse ergò debebant hi, qvod in tanto ætatis curriculo per imperfectionem mediante gratiâ Dei, & continuato exercitio perveniat aliqvis ad perfectionem dimensam, per vitium ad virtutes, per superbiam ad humilitatem, per impatientiam ad patientiam, per iram DEI ad gratiam DEI, per injustitiam ad justitiam, per naturam in DEUM ipsum. Hic namq; est status emendationis, sicut scriptum est, qvo dic peccator conversus fuerit, non recordabitur DEUS injustitiæ ejus. Et istum statum vocat Scriptura militiam, pugnam verò exercitium, media qvoq; vocantur armatura, & sic à famulitio ascenditur ad regimen Ducale, à Centone ad purpuram. Cùm autem de perfectione dicitur, de humanâ tantùm dicitur, nec id simpliciter, (qvia & Dei est) sed qvatenùs Deus perficit operando juxtà humanam Capacitatem, cui & comparationis gradum pro lubitu suo addit, indè mercedis ac meriti diversitas, sicut diversus est fulgor stellarum testante Scripturâ. Dicat aliqvis, qvo privilegio præeminebant nobis tot sancti & perfecti Martyres, qvi homines erant tales, qvales nos sumus, corporis mole induti, sensibili Carne onusti, animâ, sensibus & potentiis sensitivis præditi, ejusdemq; sensationis & passionis uti nos participes. Prætereà cuncta dona, qvæ data sunt iis, promisit imò dedit DEUS nobis, qvid ergò moramur iis in patientiâ humanâq; perfectione effici similes? sed qvod propudiosum est, cur allegatione defectuum prædecessorum, qvos impudenter nimis hodiè recitari audimus, conamur tacitè supprimere eorum merita, perfectionem & gloriam? Cur non suppressis lapsibus extollimus eorum gesta gloriosa ad imitationem incitantia, cùm tot tormenta ineffabilia nobis calcar addant similia lætanter patiendi? Nûm parum est eos in sævissimâ torturâ inventos fuisse summè hilares, constantes, ne dicam pa-

Digitized by Google

patientes? Verùm ad exemplum Christi eamus: perpendatur ejus dirissima passio, mors ignominiosissima, flagellatio ac vulneratio, sudor sanguineus, infernalis agonia: perpendatur hanc passionem absq; reficiente medio, sine solatio fuisse absolutam; sed perpendatur qvam optimè,qvod, qvi hæc omnia passus est, fuit ipse Creator, Deus, imò Redemtor, Amator, Benefactor eorum, qvi ejus passionis causa extiterunt. In hâc Consideratione latet arcanum patientiæ & imitationis, hoc est, desiderium passionis & similitudinis. Utinam cuivis possibile esset cognoscere, qvæ & qvanta Deus in humanâ passus est naturâ, cùm sic futurum esset, ut homo proponeret tolerare omnia sivè ignominiam, perseqvutionem, torturam sivè mortem ipsam, qvoniam non majus beneficium est adversitatis impositione, utpotè qvod per eam in veritatem deducimur. Si qværis qvid nobis redditur pro passione ob gloriam Dei susceptâ, tametsi minimâ? Respondetur, ipse Deus. Dicendum ergò denuò, non posse conferri beneficium prævalens afflictioni. Hîc qvidem putant multi rem benè gestam esse, dummodò in universum omne meritum sivè ex passione, sivè ex actione credatur obtinendum,rejecerint; verùm qvàm malè humanæ passionis meritum exauthorant, dum meritum passionis Christi commemorant, tàm malè supprimunt distinctam explicationem eorum, qvi passioni humanæ tantum remunerationis donant, qvo merito Christi gloriosissimo nil unqvàm derogatur. Hinc manifestum fit, contentiosos non solùm turpi invidiæ passione excarnificari, verùm etiam Scripturæ Spiritum obscurare. Nam sicut semper edoctum est, nullam passionem esse utilem sine fructu dominicæ passionis, ità qvoq; Scriptura satis abundè testatur,Deum Datorem omnis boni doni velle minimè, ut gratis patiamur & operemur, velle autem ut passio & actio nostra fructibus suæ passionis & actionis abundantissimè compensetur,dehinc securi sunt, qvi fructûs passionis à merito dominicæ passionis decerpere cupiunt. Ipse enim tam verè fructus est passionis

fionis noftræ, imò corona noftræ victoriæ, qvàm verè exemplar patientiæ noftræ factus eft olim. Per hoc autem qvod Ipfe in nobis eft fructus & corona factus,intelligitur,qvaliter homo fit Deus Deo, qvia & Deus homini homo factus eft: id qvidem ut ad plenum intelligatur, expedit nôffe, qvod ficut Filius Dei modo nobis abfcondito usq; ad Crucem habitabat in humanâ naturâ; ità & nos oporteat naturam noftram abfcondere in petrâ divinæ naturæ fic ut homo qvoad divinam Vitam nonnifi Deus, hoc eft, fine humano defectu appareat. In eâ naturarum abfconfione confiftit magna perfectionis ratio; nam uti Deus Pater faciem fuam abfcondebat à Filio in monte oliveti fimul & in Cruce relicto eo ad mortem usq; fine folatio (auxilio); ità & faciem fuam ad momentum abfcondit ab eo, qvem longo dehinc tempore exercuit in lumine gratiæ, ficut jam folus laborare ac pati videatur non aliter ac fi difcrimen inter Deum & hominem factum effet. Iftæc afflictio gravisfima eft vel ideò, qvod non ab hominibus, fed ab ipfo Deo provenit nullo feqvente auxilio in tantâ anguftiâ, utut DEUS imploretur. Tunc quidem probatur qvàm pugnax fit,qvantumvè robor ejus, qui folus pugnat fine fuccurfu, undè tunc dicitur cum Chrifto: Deus meus ut qvid me dereliqvifti. Jam cape Myfterium abfconfionis. Nam cùm pugnantes taliter omne folatium, auxilium & fuccurfum tùm Dei tùm Creaturarum poftponunt totaliter oblati divinæ Voluntati, hactenùs abfcondunt fe fugaciter in divinam naturam, ità ut planè nihil fint, atq; iftæc abfconfio eft omnium optima confeffio. In hâc annihilatione contemplamur divina media, nec tantùm mundus contemnitur, fed etiam deferuntur ipfa media & fpecies virtutum non qvidem per contemtum,fed per commutationem in ipfam virtutum effentiam, qvæ efficit, ut virtutes non per media fed fuâ fponte impofterum ex nobis tanqvàm ex fonte fuo derivent. Nunc demum confideranda eft Utilitas, qvam vera patientia fuo contribuit Corpori. Nam ubi vera refidet patientia, ibi quies eft affectionum, nulla fenfibus

Cap. XI.

De Vocatione.

Q. Quare Vocationem subnectis passioni? R. Quia Deus indesinenter vocat hominem varimodè sequitur hinc vocari etiam hominem per passionem, qvod è sequentibus patebit, non ergò abs re erit, existimo, adnectere materiæ de passione tractationem de vocatione. Vocat autem Deus hominem per Exercitium tanquàm per quod informat eum, ad Exercitium autem pertinet actio & passio, de qvibus satis dictum est: percussus homo observat plagas undè veniant, & propter quid ei obveniant, cùm sentiat non casu eas contingere, sed potius per jussum ac directionem aliqvam incognitam ei, hoc ità se habere dictat sonti Conscientia. Deus autem nonnullos ad pœnitentiam vocat mediante paupertate & ægritudine, alios multis adversitatibus, quosdam doctrinâ & exemplis proborum hominum, alios internis admonitionibus, quosdam vi compellit, alios duritate, & alios mitiori conscientiarum disciplinâ. Nam homo creatus est ad laborandum, ad serviendum & patiendum, sicut scriptum est in libro prophetico: Ut avis ad volatum, ità homo ad laborem conditus est. Et in Epistolâ apostolicâ: Homo creatus est ad Opera bona. Indè perspicuum fit, non ad otium, non ad voluptatem, quæstum, non ad gloriam suam esse conditum à Deo, nec ad lætitiam, quin potius ad tristitiam: hæc namq; virtutis proba est, ut stipula & scoriæ deflagrent, opus verò ut aurum repurgatum restet inconsumtum, nimirùm ut cedat mollities, evadente homine in virum fortem, durum ac omnia perferentem. Id fit per modum transmutationis, quà homo exutâ sivè exustâ carnis cupidine in novam & perfectam Creaturam permutatur. Qvàm rara

fit

sit hæc immutatio, qvia difficilis, constat ex paucitate eorum, qvos aliqvandò & vix aliqvandò cernimus cum multis conversari, & tamen in vitæ rectitudine, mansuetudine, patientiâ, imò & qvâvis aliâ virtute constanter vivere, tandemq; in pari fidelitate obdormire.

Q. Quî potest protendi conversatio sub tàm contrariâ vitæ actione, seculo nihilominus subsistente juxtà modum? R. Non potest id fieri nisi mediante spontaneâ mundanæ prudentiæ resignatione & conversione ad stultam ignorantiam, obscuritatem & vacuitatem, id qvod indicatur in Scripturâ per simplicitatem, stultitiam; desertum, peregrinationem &c. Quisquis in Conversatione pro minimo ac stulto haberi cupit, fruitur pace; qvi verò aliud quid præter Deum quærit, puta qvaliter aliis placeat &c. Is aliud nil obtinet qvàm anxietatem & dolorem.

Q. Qvid est notandum circà Vocationem? R. Quatuor sunt observanda hìc: 1. Qvis sit qui vocat & impellit. 2. Qvomodo vocet. 3. Qvò vocet. 4. Qvaliter dignè debeamus obtemperare vocationi.

Q. Ad primum quis est, qui vocat? R. Cœlestis Pater per omnia quæ habet, est & potest, vocat & allicit ad seipsum, media autem ea sunt Charitas, Bonitas & ipsa essentia ejus. Deus enim verè & semper tàm desideriosus est nostri, acsi totum ejus esse & ipsa beatitudo sita esset in nobis. Quicquid Deus in Cœlo & Terrâ creavit per suam sapientiam, id eo fecit fine, quò nos per ea tanquàm per Voces vocet adse in nostram originem.

Q. Quot modis vocat Deus homines? R. Tribus:

1. Nonnullos vocat per medium ignominiæ eo fine, ut se convertant ad Deum corde puro ac sincero. Et circà hunc modum dici satis nequit, quàm mirabilia sui ordinis opera Deus exerceat, quæ homini humili & grato ea contemplanti magnam judiciorum Dei notitiam suggerunt, secùs fit illis, qui maximo eorum damno sensualiter ea dijudicant.

2. Alios

2. Alios vocat per medium pœnitentiæ. Si qværis, qvid fibi hoc loco velit pœnitentia? R. Pœnitentia hoc loco eft earum rerum, qvas homo concupifcit, abnegatio, ut cùm qvis loqvi defiderat, taceat propter Deum, vel fi rem vifam ardentius concupifcit, claufis oculis eam rejiciat propter Deum, vel fi qvid eft, qvod fenfus appetunt, ab eo fe ftatim avertat propter Deum.

3. Alios vocat per femetipfum, uti eos qvos vult perficere.

Q. Dic qvæ ad hanc perfectionem qvam Deus per feipfum efficit, fit via proximior? R. Id alibi eft pertractatum, hoc autem loco nofcas, qvod proxima ad perfectionem via eft mors proprietatis feu voluntatis propriæ, cùm fcil. omnis cupiditas (inclinatio) hominis ad res Caducas fupprimitur fic ut non fit amplius: fuppreffio ea vocatur communis tàm agentis qvàm patientis facultatis mortificatio, rariffima autem eft & noftris feculis vix invenienda.

Q. Cùm iftæc proprietatis mortificatio perqvàm rara fit, qværitur, num adminiculo qvopiam vel nullo mediante perficiatur? R. Nunqvàm perficitur propriis viribus, fed folùm divino auxilio. Imò tametfi aliqvis nonnifi fpinas & tribulos ederet, corpusq; fcuticis continuò caftigaret, iis tamen vel fimilibus tormentis non exftirparet eam, cùm fit naturæ proprium concupifcere. Verùm fi qvis humiliter demiferit fe in Domini mifericordiam excufsâ fuâ Voluntate, futurum eft, ut clemens Dominus id præftet auxilium virtute Bonitatis fuæ oftendendo, quàm fimus fervi inutiles, poftqvàm etiam qvæ poteramus, effecerimus omnia juxtà dictum illud Confeffionis debitæ. Luc. 17.

Q. Dic nunc qvò vocet Dominus? R. Ad fuum Filium Dominum noftrum Jefum Chriftum, qvo Fratres & cohæredes ejus fiamus. Nam Chriftus ipfe eft fupremus fratrum, cui hæreditas connaturalis eft, qvam nos per gratiam acqvirimus, & ideò vocat nos ad fui fequelam, qvatenus eft Via per qvam debemus ambulare, & Veritas qvâ dirigimur in Viam, & Vita qvæ finis nofter effe debet. Vocamur, non ut feqvamur exem-

Digitized by Google

plum ejus solùm Cogitationibus perpendendo, verùm etiam virtuosâ Vitâ, passione & patientiâ id exprimendo; idcirco vocamur varimodè, intus qvidem in fundo vocat Deus hominem incessanter diversâ monitione, internâ præoccupatione, imò & durâ Castigatione, extus verò per varios Casus discriminatim permissos, qvæ omnia sunt grandes Voces, qvibus Deus vocat hominem & ideò si qvis mitiori Voci statim obsecundaret, non perveniret ad grandiores puta Casus variasq; passiones.

Q. Annon & uspiam aliò Deus simul vocat bonos homines? R. Hos etiam singulariter vocat ad contemplationem internam, alios ad operationem (exercitiũ) alios rursus ad internam gratam quietem, in silentium adhærendum divinæ obscuritati in Unitate Spiritûs. Nonnunqvàm vocat Deus hominem extrorsũ, aliqvandò introrsum, idq; juxtà suum beneplacitum. Hanc autem nec vocationem nec variationem observant multi in seipsis, indè fit, ut modo inverso se vertant extrorsũ & sic proficiunt nihil. Qvodsi divinæ Voluntati attenderent, procul dubio daret iis Deus cognitionem ejus pari modo atq; aliarum qvarumvis rerum temporalium.

Q. Si homo intrò vocatus est ad silentium in divinâ obscuritate, annon assuescet otio, intermisso Charitatis opere? R. Hoc esset valdè iniqvum, qvamvis plurimos homines cernamus recedere à Charitatis exercitio; sed ità debet esse, ut quoriescunq; occasio aut instinctus adest, exerceantur opera charitatis, non qvidem sub complacentiæ comodo, sed ex merâ Charitate, in Resignatione, fugâ & vacuitate. Qvisqvis autem operatur in abrenunciatione, is quælibetcunq; negotia ad multiplicitatem refert, qvam nemo pernoscit melius, qvàm qvi persistit in statu abstractionis. Ideoq; varietas est fugienda, sivè spectet bona, sivè conversationẽ, ut cùm ad aliorum exemplũ conveniunt homines se recreatum variis vanitatibus &c. Si quis bonorum abesse nequeat, opus est Cor suum studiosè indè avertat, aliàs simul ipse transformatur, ac diversificatur.

Q. Si bonus homo bono cum ordine externum suæ Charitatis opus

opus perfecit, dic quid posteà? R. Hoc facto debet festinare, qvò redeat ad internam quietem & vacuitatẽ, qvodsi non statim succederet, convertat se ad opus internum meditando ineffabilem Dei Clementiam, admirabiles modos effluxûs ejusdem in homines, maxima facta incarnationis Verbi, passionis & mortis. Hoc enim modo cum magnâ charitate & gratitudine manat homo in Deum. Ast tametsi hæc exercitatio sit valdè bona, qvà hominẽ excitat ad desiderium, Zelum & Sedulitatem, nihilominus valdè impar est internæ quieti & silentio, ut taceam quod aliqui hîc errant pari modo atq; in externis operibus, cùm species (Ideas) in se rapiunt. E.g. Cùm qvis sic operatur intus cum qvodam successu, indè verò sibi parat sufficientiam cum beneplacito, per id impeditur, quominus queat pervenire ad veram paupertatem Spiritûs, tenaciter enim hîc inhæret suavitati divinæ gratiæ sistendo gradum, cùm tamen istæc actio nil aliud esse debeat, quàm Via ad sum̃um illud bonum qvod Deus ipse est. Nuspiam ergò debet homo adhærere, nec se nec suum alicubi, sed tantùm divinam gloriam & Voluntatem quærere.

Q. Qvid ergò nascitur ex utrâq, operatione, externâ scil: & internâ, si juxtà ordinem procedatur? R. Indè nascitur bonum excellentissimum, hoc est, interna quies animæ, qvà mediante pertingit homo ad obscuritatem divinam abstractis formis & speciebus, ubi cum Deo utitur pari requie. Huc olim ducebantur Moses & Elias, de eâ qvoq; loquitur Liber Sap: c. 18. huc insuper debent inservire omnes modi, omnia facta hominis.

Q. Cùm autem & circà hoc objectum multi errent, cùm naturalem quietem substituunt, seq; cum beneplacito eò applicant, annon remedium superest ad exstirpandum errorem? R. In hoc consistit remedium, ut homo cautè persistat in timore interno, in humilimâ sui abnegatione, præteritos ob errores suspec tum se semper habendo, ad Deum quoq; statim confugiat rogatum humiliter, quoad eum adjuvet in suâ anxietate. Nam quod homo desiderat in hâc necessitate esse vacuus & simplex, id eum perducit ad suam purificationem.

Qvodsi accideret, ne post multiplicem externam exercitationem se statim queat recolligere, non terreatur, dummodò hæc opera promanârint ex verâ Dei dilectione. Nam per hoc absolvit Deus impedimenta, & corrigit paulopost errorem. Introvertat se subitò necessum est in fundum internum, & si tàm subitò evacuari neqveat, remeet rursus breviter & ordinatè per Viam interni operis præmentionati, hoc est utilius ei hactenùs, sicut alterum longè nobilius est, id est, quà homo solùm Deum intendit in Spiritu & Naturâ, non verò suum: nam sic non dubitandum est, qvin Deus eum custodiat, ne erret, qvâcunq; Viâ ambulet.

Q. Audito hoc cùm boni homines putent, se jamjam saltem incipere, contrà qvàm faciunt prudentes, qvi longè se progressos putant, dic utra opinio prævaleat? R. Priorum, qvia proborum, horum enim tota Vita & esse semper est incipere. Qui verò cuncta ad suos trahunt modos, eaq; suis implicant subtilitatibus, falluntur penitus, qvoniam fit, ut appropinquante mortis horâ inveniant fundum suum vanum & sine Deo, eoq; in extremam conjiciantur angustiam. Notandum ergò est, dona Dei esse qvidem usurpanda, ast non in iis acqviescendum, qvatenus in solo Deo quies habenda est.

Q. Ad quartum dic, qvaliter quis suam Vocationem ritè seqvitur? R. Si ambulat in patientiâ, humilitate & mansuetudine.

Q. Eorum qvi vocantur quotuplex Ordo? R. Triplex: primi Ordinis sunt incipientes homines qvi vocantur in gradu infimo; secundi Ordinis sunt progredientes, vocantur in secundo gradu: tertii Ordinis sunt perfecti, qvi vocantur in supremo perfectionis gradu.

Q. Siccinè hæc differentia est solùm sita in ipso vocante? R. Hoc non est objiciendum Domino, qvi habet potestatem faciendi & intermittendi qvod vult: nihilominus tamen vult nos reddi Conformes imagini sui Filii & fieri charissimi ejus liberi.

Q. Dic qvaliter homo se gerere debeat ad suam Vocationem? R. Debet observare qvæ sunt ei facienda vel intermittenda juxtà

xtà mandata & interdicta divina. Summum autem præceptorum est amare Deum super omnia. Ast frustrà ajunt, se Deum amare qvi nolunt deserere ea, qvæ in charitate, respectu & intentione eorum longè profundius qvàm Deum radicata inveniunt, in qvibus se qvoq; longè magis oblectant qvàm in Deo non obstante, qvod ejusmodi obstaculis prorsus separentur à Charitate divinâ? Qvod seqvitur præceptum est amare proximum sicut seipsum; huic annectenda est prima Decalogi Tabula continens præcepta de necessitate servanda, si volumus salvari. Id autem non sufficit, qvin etiam observanda est altera Decalogi Tabula qvæ interdictionis est, ubi cavendum præcipitur, ne qvà noceamus proximo sivè in Corpore, sivè in bonis, sivè honore, verbo vel facto &c. Noscendum hinc est, qvod qvi in veræ fidei subjectione hiscè satisfaciunt, seqvuntur Dei Vocationem in gradu infimo & ambulant in Viâ qvæ tutò ducit ad Deum.

Q. Si Observantia mandatorum Dei est infimus gradus, ostende, quæso, superiorem? R. Sublimior gradus est Consilium Dei, quod qui seqvuntur, scandunt prioribus Principistis longè sublimius.

Q. Dic qvalis hæc Via est? R. Est Via virtutum, animæ scil. Corporisvè puritas, paupertas & obedientia &c. Hoc ipsum Dei Consilium dedit sanctæ Ecclesiæ ansam instituendi singulares conventûs, qvò tanto commodius huic Vocationi queat vacari, verùm hic modus videtur hodiè qvalitercunq; inversus, quatenùs multi apparent in Spiritu qui habent Corda mundana, nonnulli vicissim spirituali Corde vincunt seculum. Hos S. Augustinus pronunciat maledictos, qvi in Viâ Domini aberrant, exponens eam Domini Viam, in qvam homo Consilio Domini vocatus est. Quapropter prospiciendum est unicuiq;, qvaliter in Viâ tutò ambulando divinæ Vocationi seriò obseqvatur, ne qua in die Visitationis carens Veste nuptiali conjiciatur in tenebras æternas. Reqviritur etiam huc, ut interiori mentis Oculo considerando perveſtiget

Digitized by Google

diligenter, quænam è tribus his ſit Via, in quam à D E O vocatus eſt.

Q. Cùm dubitandum non ſit plebejos & ruſticanos homines multos, qvi ſe qvotidiè pro pane lucrando plurimum fatigant, in ſimplicitate ſuâ habere verſus D E U M reſpectum bonamvè intentionem atq; obhinc ſalvari, dic quæſo annon hâc obſervantiâ Vocationis prævaleant qvibusdam apparenter ſpiritualibus, qui ſuam Vocationem ſusq; deq; habent? R. Ità reor vel maximè! Enimverò qvi tales ſunt, non cognoſcunt ſeipſos, neq; Vocationem qualis ea ſit norunt, hodiè incipiunt unum, cras alterum juxtà id qvod foris viſum vel auditum introfertur per ſenſûs in phantaſiam, & cùm nec hoc ſufficiat, non ſervant impoſterum, adeoq; quod uni dat Vitam, affert alteri mortem.

Q. Oſtende ergò ſupremum Vocationis gradum? R. Is eſt imitatio exemplorum Domini noſtri intus & extus modo activo & paſſivo, ideali aut contemplativo inideali. Quoniam quicunq; hæc imitatur omnium ſimpliciſſimè & ſinceriſſimè, adipiſcitur ſummum omnium quod poteſt obtineri; proindè oportet ſcrutari ſeipſum, qvàm procul quis aut propè acceſſerit Exemplo Christi, quin etiam quærendum eſt intus exemplum, in fundo ſcil. ubi eſſentialiter & effectivè vivit.

Q. Quid porrò convenit facere his, qui obſervatâ Vocatione ambulârunt dignè, primò quidem in mandatis D E I, ſecundò in Conſiliis & tertiò in venerabilibus exemplis Chriſtum imitando in omni humilitate & manſuetudine? R. Tales oportet conferre ſe ad intimiora nonnunquàm cum deſiderio & exemplis, aliquandò ſine iisdem ſolùm ſilentiosè & tranquillè curando ſervare Unitatem ſpiritûs in Vinculo pacis, de quâ Unitate alibi dicendi locus erit.

Q. Oſtende nunc, qualiter dignè debeamus obtemperare Vocationi? R. Hominis providi intereſt Vocationem ſuam omni diligentiâ perpendere & obſervare modum, per quem DEUS

DEUS reddit hominem ſibi acceptabilem, perſpecto poſteà modo eo, qui eum præ cunctis aliis conducit ad DEUM, tenetur conductum hunc ſequi electivè. Verùm utcunq; iſte exercitationis modus eſt exercendus per media Idearum in ſtatu formali & formato, non tamen cenſendum eſt modum eum eſſe proximum Vitæ ſpirituali tantòminus divinæ. Hæc namq; modum habet cunctis aliis longè ſuperiorem, quem vix & nevix obtingit, qvi implicatus eſt officiis aut facultatibus, quia non cuivis eſt datum myſteria nôſſe Regni DEI. De Vitâ divinâ alibi dictum eſt, ad quam pervenit homo ſolùm per modum ſummum cunctas Ideas formasvè tranſcendentem, cùm animus pertingit in ſolitudinem Unitatis, quò Dominus electos ſuos perducit ad loquendum cum iis ſine obſtaculo. Qvisqvis ergò non poteſt eò pervenire, tenetur ſeipſum hîc linquere, functionem ſuam fideliter obire, Voluntati divinæ ſe ſubjicere, atq; nonniſi DEUM ſimpliciter reſpicere. Nam tametſi non omnibus ſit præparatum diadema, quà non omnes evadunt Victores, non tamen deſpondeat bonus homo animum, ſiquidem & infimus beatitudinis gradus ſatis beatus eſt. Enimverò in domo Patris noſtri multæ manſiones ſunt, diverſa autem gloria beatorum. Dixi autem alibi, deſidiam hominis improbari, quà homo beatitudinem credens præſtat ſe ſegnem in curſu aut pugnâ, cùm dicat Apoſtolus teneri nos omnes inchoare curſum & validè intendere, quò videatur quis alteri prævaleat; idcircò non ſufficiat homini ſuæ functionis obſervatio, currat ſimul quantum poteſt, pugnet qvantũ valet, nam præmii ſpecies habent ſe juxtà meriti qualitatem. Hîc nihil derogatur merito Chriſti, cùm id extendat ſe ſuper omnes totius mundi vocatos; aſt totus mundus non eſt Area Heröum armis ſuis ad pugnam paratorum, nec ſtadium eſt Curſorum, utpotè qvod qvi electi ſunt ad currendum vel pugnandum ſuo conſcribuntur circulo longè ſequeſtratis Spectatoribus ad ſpectandum & imitandum ſpectaculum convocatis. Quapropter hîc adjungendum

eſt,

est, quot qualibusvè modis ad Vitam divinam sivè ad Scopum præfixum perveniendum sit. Primus & infimus modus est per hominem externum sivè per corpus, secundus per animam, tertius per Spiritum, quartus per Unionem Deiformem. In corpore est magna difformitas sensuum, potentiarum, membrorum, viscerum, quodlibet etiam propriam suam habet substantiam, qualitatem, officium & actum. Anima verò cunctis iis præsidet regimine suo: hæc etiam suas habet diversas potentias, quibus exeqvitur actiones quaslibet. His omnibus longiùs excellit Spiritus seu mens, qvia cuncta mundana, imò tempus ipsum transcendit æternitatis incola. Deniq; præter hæc omnia datur Deiformis Unitas, quæ est supereminens divina similitudo & imperceptibilis eoq; indicibilis proximitas Dei in mente habitantis. Per quatuor ista media quadruplici modo contendit homo ad scopum Vitæ divinæ, nimirùm per transformationem Corporis in animam, animæ in Spiritum, Spiritus in Deiformem Unitatem. Et quanquàm non omnes attingant qvartum modum, convenit tamen omnibus eò insudare, ut collimen: quo possunt, qvamvis alicubi subsistant. Incumbit autem unicuiq; rectâ viâ ambulare & ab initio scrutari externum hominem, hoc est, propensiones, consuetudines, mores, verba, facta, gestus, hoc est, totum suæ vitæ statum, quæ omnia tenetur juxtà Scripturam capere. capta ligare, vincta incarcerare, inclusa domare ac reformare. Enimverò uniuscujusq; vita requiritur esse similis vitæ sanctorum, cujus causâ dictum est à Christo: sancti estote, perfecti estote, sicut & Pater vester sanctus, perfectus est. Idcircò vana & profana verba tàm severè sunt interdicta, ne vel audiantur inter Christianos. Cura & traductio alieni operis indicat inclinationem malignam, consuetudinem pravam, mores corruptos, verba prophana, opera iniqua, deniq; statum Vitæ Deo prorsus perosum, quæ & hactenùs severè prohibita sunt; ea ergò hoc magis usitata nunc deprehenditur, quò acrius reprehenditur. Cura aliena est occasio

mo-

motûs interni pacem & tranquillitatem tollentis, imò & invidiæ causa, indicio hinc est, corda talium hominum esse plena voluptatis & concupiscentiæ, ne dicam caninæ appetentiæ, adeoq; ineptissima adhuc pro Regni Dei adeptione. Non mirum sic, qvod hodiedum nec unicum Vitium, ne dicam turpitudo radicitùs exstirpetur, cùm & frigescant corda saxea non per quotidianam confessionem & pœnitentiam accensa. Nunqvàm enim cœlestium contemplatio & cognitio impetratur, nî homo sibiipsi cunctisvè rebus aliis emoritur internè, imò nec sancti ad tantam perfectionem pervenissent nî animo & corpore ab omni terrestrium cupidine revocato, necnon & corde libero gratoq; adhæsissent Deo. Mirantur aliqvi Sanctorum in passione constantiam, qva putant parem gratiam non posse nunc impetrari; ast graviter errant hi, cùm manifestum sit gratiam nec sentiri nec observari, si sine bono proposito, sineq; virili animo sit, qvalem omnes Sancti in acerrimâ pugnâ exhibuerunt. Quid ergò nos præ illis & illi præ nobis, nisi qvod illi gratiam receperunt, qvam nos negligimus? Eâ de causâ nil magis nunc obvium est, qvàm qvod in minimâ qvoq; Calamitate deficimus, adeoq; humanum solatium reqvirimus in pudibundâ pusillanimitate, qvæ nunqvàm in ullo sanctorum fuit conspicua. Inservit autem nôsse, Deum per qvalemcunq; Calamitatem impellere nos ad pugnam, adeoq; semper intendere adjutum pugnantes eiq; confidentes, qvia desiderat qvemlibet cernere victorem. Cùm homo sibi proposuit præliari fortiter, expedit nôsse compendium hostilis aggressûs, qvoniam præstat velut unico ictu potenti reddere imbellem adversarium, id qvod hoc loco nequit aliter fieri, qvàm per amputationem Carnalis concupiscentiæ, qvæ aliâ comparationis voce redditur radix omnis mali. Verùm hic ictus fortissimus sit oportet, tenax qvippè est ac difficulter cedens; qvod si unico non amputetur ictu, ictus ictui addendus est, donec perimatur. Hinc sancti dixerunt, nos brevi perfectos futuros, si vel unicum singulis annis exstirparemus peccatum. Ab initio est resi-

stendum Concupiscentiæ & qvidem fortiter ac incessanter, qvò prava frangatur consuetudo & subseqventer præpediantur peccata. Nam durum ac difficile est priscam adultam consuetudinem deserere suamvè Voluntatem vincere; qvapropter multi aut absterrentur anteqvàm incipiunt, aut in progressu remittunt non obstante eorum de jactâ fide jactantiâ. Verùm si prior pars ab initio modicum laboraret, altera verò in progressu majorem operam impenderet, omnes optatum finem leviori negotio conqvirerent. Qvisqvis autem minora pericula vincere renuit, qvomodò poterit majora superare? Hodiè magni æstimatur, si qvis arma tantùm manu teneat, hoc est, si partem aliqvam antiqvæ devotionis retinere potest; attamen si semper debiles pueri invenimur, non crescimus in Virum fortem. Exigua citoq; desinens devotio est, qvæ tantùm externis ritibus absolvitur, cùm tamen devotio, pietas & Correctio singulis diebus augeri debeat.

His omnibus probè observatis possibile est, ut Corpus cum suis viribus, sensibus & actionibus Nobilitatem Spiritûs acqvirat, plusq; spiritualis qvàm corporalis proprietatis suis in locis exhibeat. Corpore subacto & à Creaturarum adhæsu soluto, ligato & concluso incumbendum est sedulò, qvò totũ id qvod animæ est capiatur & sursum ducatur in ditionem Spiritûs. Anima sensitiva est forma substantialis (corporis); idcircò naturatenus nil aliud respicit qvàm Corpus sibi substratum, hinc semper occupata est, qvò suum formatum perficiat, perfectum conservet, regat & pro Utilitate ejus quæcunq; existimat necessaria media congerat è penuario naturæ, taliter qvidem juxtà scopum naturæ mortem utcunq; avertere nititur, dum timet sui aññihilationem, qvam naturaliter sentit, tametsi non cognoscat eam nisi per rationis medium interveniens. Iste respectus animæ ad Corpus appellatur respectus inferiorum, qvia & omnis actio sensitivæ deorsum flectitur, sivè sit vitalis, motiva, illuminativa, sivè sit virtualis, ut inclinatio ad fidelitatem, honestatem, justitiam, misericordiam &ç. Sivè sit sensualis prudentia, discretio rerum creatarum,

rum, sensarum aut imaginatarum, sivè actio discursiva ratiocinii. Nam in his omnibus judicat juxtà præscriptum naturæ, juxtaq; subjecti sui dispositionem, hactenùs qvod sibi utile est, reputat bonum, inutile verò & grave malum, nec est sollicita de suâ origine, quid antè fuerit, quid post futurum sit; quæ nescit non cupit, nec extrà sensuum limites fertur, qvare non quærit Authorem sui, num Deus sit necnè, tantòminus qvis qvalis Deus sit, quid coràm eo bonum sit qvid malum; sed solùm inferna corporea lustrat in sensibilibus, visibilibus formis & imaginibus sese oblectans. Hoc minus principale humani corporis principium postqvàm est eruditum per Spiritum, deberet se cum omnibus suis potentiis & viribus, quibus corpus secum trahere potest, sursum vertere ad Spiritum sanumvè Intellectum, nullamvè illuminationem hactenùs admittere, nullam suavitatem degustare nisi rerum intelligibilium & cœlestium. Ità convenit inferno principio elevare se per medium rationis & jungere se principio superno, ubi cum intellectu simul suprà tempus fertur visâ Spiritûs Claritate. Et taliter fieri potest, ut juxtà postulatum Apostoli totius hominis versatio sit in Cœlo. Qvaliter autem anima eò perducatur, suo loco videatur.

Supernum hominis principium est substantia formalis, omniū Creaturarum simplicissima, clarissima, permanens, hinc proprissimo suo nomine vocatur Spiritus, à quibusdam animus, communiter mens, ab ethnicis vocabatur anima rationalis. Est autem de naturâ Spiritûs semper sursum tendere, sursum operari, ideoq; hoc magis principale principium dicitur esse longè suprà animam elevatum. Respectu hujus diciturSpiritum non contemplari inferiora, sed solùm superiora, qvin & proratione naturæ & potestatis ejusdem compertum est fieri, ut homo fidem & doctrinā, postquàm per gratiam ei objecta est, facilè recipiat, concipiat & conservet, fieri etiam posteà, ut Spiritus animā & corpus erudiat, moneat, impellat, exerceat & perficiat, inprimis divino adjutorio mediante. De Spiritu ergò & hoc dicendū est, qvod cùm per Corporis luxuriantis molestiam deorsū tractus,

obrutus, captus, ligatus, ſoporatus, & ad peccati conſenſum perſuaſus eſt, ſuâpte naturâ feratur ad evaſionem, ad pugnam, ad redemtionem, pari modo ſe ſurſum ſtatim recipiat in editum æternitatis locum, qvamprimùm divinâ mediante diſciplinâ perculſus, à ſomno revocatus, correctus, adjutus, novoq; robore fortificatus eſt. Ad iſtam eruptionem, qvâ ſponte ſuâ fertur ad ſublimia, non indiget loco, nec tempore, qvia ſolutis vinculis naturatenus ſemper ſurſum vergit ſpiritualiter ſeqveſtratus. Huic oportet uniri animam, ut cum eo ſimul volet ſurſum absq; diſcrimine, ſine controverſiâ. Qualiter autem Spiritus à Captivitate ſuâ liberetur, alibi paſſim invenitur.

Nunc ergò ulterius ſcandendum eſt ac perſpiciendum, qvid ſit id qvarti modi nobilisſimum, qvod ſpiritum hunc incomparabiliter ſuperat. Eſt autem omnium ſupremum Deiformitas ſeu Unitas divinæ imaginationis, per qvam & in qvâ producta eſt imago Dei. Hîc ratio ſuccumbat neceſſe eſt, ſuumvè Lumen obſcuret qvieſcendo, feriando, ſe invertendo, Spiritus autem omnem ſuum actum cohibeat, ſeq; integrè adinſtar muti ac cæci præcipitet in vaſtam obſcuritatem infinitæ occultæ Deitatis. Qvisqvis eò pervenerit ſic, in Nihil converſus eſt qvoad Spiritum; qvodſi voluerit enarrare, qvid in abyſſo tenebrarum invenerit, obmuteſcet ratio nil aliud cognoſcendo, nil aliud dicendo, niſi inventum hoc eſſe rationi prorſus ignotum, informe, innominabile: qvid autem non ſit, narrabit his verbis, non eſſe mundum, non locum, non tempus. Cùm autem veraciter ibi fuerit Spiritus, dehinc pernoſcimus, eum tunc extrà mundum, tempus, extrà ſeipſum, hoc eſt, in proprietate æternitatis, fuiſſe delibatum beatitudinis confectoria. Iſti ſunt qvatuor modi ad Vitam verè divinam perducentes, qvi qvidem omnes à paucis & tantùm à ſpiritualibus viris uſurpantur, qvibus vocatio, occaſio crebraq; exercitatio acceſſum paravit: paulò freqventius aliqvi ad tertium modum perveniunt, major fidelium pars hæret in principio, & ne primum qvidem modum integrè obſervat, idcircò non habet perfectum gaudiũ,

qvod

qvod habent,qvi qvartum exercent modum. Perfectum dico cum distinctione, id est in positivo non superlativo gradu. Enimverò hîc datur gaudium perfectum, ibi verò perfectissimum, ob hanc diversitatem S. Paulus perfectionem temporaneam vocat imperfectionem, non qvod non perfecta sit ratione Boni assеqvuti, sed ratione durationis, siqvidem æternæ Vitæ gaudium non est transitorium sed perenne, hoc est per stabilitatem obfirmatum, in æternum non convertibile. Gaudium verò hujus Vitæ est momentaneum, hoc est, in puncto temporis præterfluentis rapidè conversum. Et propter instabilitatem ac subitaneam mutabilitatem nil ejus comprehenditur, utut aliàs quodammodo degustando posset comprehendi, si homini datum esset toto animo cunctisq; actibus suis se conjiciendi in stabile æternitatis ævum. Deindè etsi juxtà prædictam distinctionem gaudium verè dicatur perfectum, imperfectum tamen dici potest alio respectu, qvatenùs eorum hominum, qvi Sanctitatem qvarti modi (perfectam) habent, unus alterum superat, sic ut dici debeat, qvamvis hic modus vocatur colliqvatio sivè demersio in Deum, eum tamen diversos gradus recipere, nimirùm juxtà id, qvod ille hominis accessus ad Deum purior est, veracior, intensior & concitatior, & hi perfectionis gradus in ipsâ perfectione imperfectionem aut saltem comparationem efficiunt. Verùm ipse præfatus accessus non impetratur ullo externo opere, nec etiam internâ actionum pluralitate: tutissimus omnium accessus est per ipsum Dominum Salvatorem nostrum, per passionem ejus pretiosissimam, hoc est, per Filium in ipsum Patrem, Deus autem purus & simplex est. Convenit ergò in eo, qvem Lux divina illuminare debet, obscurari qvalecunq; Lumen, qvatenùs divinam Lucem nemo videre potest nisi visu carens, adeoq; Spiritus itidem purus ac simplex esse reqviritur, vacuus à cunctis Ideis in qvibus se sensualiter contemplari potest, si appetit adunari Deo, imò si cupit intelligere Sanctitatis suæ obscuritatem. Tantum de vocatione &

 vocatis,

vocatis, à qvibus pergendum est ad Electos, qvi observatâ vocatione per modos & gradus præfatos operati sunt Salutem; Isthæc electionis perfectio cuilibet probo Christiano necessaria qvàm sit difficultatis plena per illud Christi effatum indicatur: multi sunt vocati, pauci verò electi.

Cap. XII.

De Electis beatis & non beatis reprobatis.

Q. Quod omnes homines naturatenùs desiderant æternam beatitudinem, añon hoc sufficit iis ad electionem? R. Id genus desiderii est prorsus insufficiens, qvo homo non qvæ Dei gloriam, sed quæ suam utilitatem saltem concernunt, quærit. Si quis autem noscere cupit id qvod defectuoso sibi sufficit, is nôrit necessum est sufficere ei tempus omne, qvo suum exolvat debitum. Est autem debitum nostrum hoc, ut Dei quæsiti præsentiam respiciamus in cunctis vitæ nostræ actionibus, mentisvè potestatibus. Id namq; exposcit Charitas, quoad amando Deum transcendam[9] nos ipsos & omnia in tempore, cùm omne tempus & nostrum & summum sit, quod bene impendamus juxtà voluntatem ejus propter qvem omnia fieri debent. Ubi Deus est, ibi tempus omne sumum est.

Q. Cùm multi homines frustrà prægustum Vitæ æternæ desiderent, frustraq; querulentur, qvod nihil divinæ præsentiæ intrà seipsos deprehendant, utut Deum exorent hactenùs, annon hi rectè faciunt, si tædio orationis & operationis capti desistunt à cæpto? R. Non rectè faciunt, qui murmurant præ tædio, cùm ipsa ratio suadeat progressum operationis causâ præsentiæ Dei sivè perceptæ sivè non perceptæ.

Q. Cùm tempus omne nos obliget ad quærendum Deum ubiq; & in omnibus, præprimis in nobis ipsis, an etiam attendendum est ad tempus præcisum (incertum tamen) qvo Deus manifestat

ſtat ſe nobis? R. Ad tempus revelationis dominicæ non ſpectat omnis dies, ſed tantùm determinata hora Deo ſoli cognita; hinc etiam ſoli Deo comittendum eſt hoc temp⁹, nec anxius inquirendum. Equidem indubium eſt, Deum eſſe verè præſentem iis qui colunt eum qvanqvàm ſecreto ac imperſcrutabili modo; idcircò quærentes eum inceſſanter continuato exercitio, inopinatò eum tandem inveniunt.

Q. Quis finis eſt omnium modorum, rituum, operationum, qvas homo probus exercet cottidiè? R. Omnis noſtri conatûs finis eſt ac eſſe debet ſolus reſpectus Domini Dei noſtri, qvi Regnū ſuum in nobis obfirmet: hâc ratione cunctis devotionis exercitiis tantū accedit Utilitatis & Sanctitatis, qvantū ipſa contribuunt ad prælatum Domini noſtri reſpectū & gloriam, qvæ cæteroquin inutilia prors⁹ ſunt. Externa qvippè exercitia (ut paſſim ſatis ſuperq; dictum) ſunt tantùm primæ præparationis Viæ, in qvibus Regnum Dei non invenitur, aſt ſi cum fundo interno in unum puritatis effectum coëunt, advenit Regnum Dei quandoq; perceptibili qvodam modo, teſtante intus Spiritu.

Q. Quid ergò dicis de homine bonæ Voluntatis, qvi nec mortaliter peccat, nec ullam ob cauſam patrare cupit quidpiã, qvod Dei Voluntati adverſum ſentit? R. De tali ſic dicendum eſt, qvod conſervatur in ſanctâ fide ad electionē. Verùm hoc unumqvemq; nôſſe oportet, ſi quis præſentiam Dei ejusq; Regni aliqvo modo in ſe percipere cupit, neceſſum eſt fore, ut Deo præſenter purum mentis fundū offerat ſic ut nil ei ſapiat præter Deum, hæc ipſa devotio ſola vera eſt.

Q. Cùm propter ingratitudinem & ſomnolentiam Majorum noſtrorum puniverit Deus mundū tantâ ſtatuum rerumvè cunctarum confuſione, imò permiſerit ipſam Chriſtianam Remp: tot vanitatibus, opinionibus, ſeductionibus & litibus lacerari, ſic ut pleriq; nunc anxii & dubii vivant de ſuâ beatitudine, alii verò rejectâ fide ad tantam impietatem deflexerint, ut timor Dei aut neſciatur aut irrideatur, & omnes à Moſe & Chriſto prædictæ afflictiones velut ex imbrium Catarractis ſuper orbē terrarū effuſæ ſint,

ſint, qværitur meritò: an omnes beati uno modo aut diverſo ſalvantur, qvo ſigno etiam electi à rereprobis internoſcantur? R. Non uno modo ſalvantur beati, ut nec uno modò damnantur reprobi, adeoq; diverſis ſignis etiam internoſcuntur. Omnia autem beatitatis ſigna elucent è Vitâ fidelis Chriſtiani, qvicqvid alii clament de fide ſolâ, de qvâ nemini licet judicare, ſicut qvidem de conſpicuâ formâ Vitæ Chriſtianæ: hoc ipſum teſtantur multa Scripturæ loca, comprimis Catalogus verborum Moſis Devt. 28. qvæ ibi legantur: Et Pſ. 50. Ut qvid aſſumis Teſtamentum meum per Os tuum &c. Imò & Chriſti effatum: non omnes qvi dicunt, Domine, Domine &c. & plura alia. Omnibus qvidem qvi Chriſtum ejusq; verbum confitentur, una baſis, unum fundamentum, una terra eſt, fides ſcilic: qvæ tamen alicubi ſterilis, alibi fertilis, reperitur: hæc etiam diverſos reddit fructus juxtà diverſitatem ſementi, vel raro vel ubere proventu juxtà diverſum culturæ modum. Qvæ fructum non reddit fides, ſterilis terra, mortua fides eſt, de qvâ hîc nihil dicendum. Dicendum igitur eſt de fructibus qvos profert fides diverſos, qvorum in bonitate ac ubertate magna invenitur diſparitas. Hi verò fructus in genere ſunt opera ſeu actiones fidelium aut morales, modales, externæ, aut internæ ſpirituales, connexæ aut diſcretæ, omnes tamen è fundo laudabili productæ, qvia omnes in fide, à fide, per fidem, & propter fidem: qvoniam in fideli ſupponitur fides conſtans, non interpolata, intercepta, ſed firma, protenſa & creſcens, ità ut cùm de actionibus dicitur, intelligendum ſit, eas in fide factas eſſe. Quis enim in Chriſtiano vel vilisſimo præſumeret opus bonum ſine fide, quod mereat dici opus infidelis? talis nutatio erat priſcis Chriſtianis planè incognita, hinc nec diſcusſa iſtæc differentia. Suppoſito autem fundamento fidei in unoqvoq; baptizato declaranda eſt Vita beatificatorum hominum juxtà diverſitatem regiminis ſeu regulæ ejus. Diverſos modos juxtà electionem vivendi depingit Author noſter per ſimilitudinem novem petrarum ſeu graduum,

per

per qvos, ait, Deum indicâsse novem Statûs Reipub: Christianæ, in qvibus solùm inveniuntur (subsistunt) tales homines, qvi absq; peccatis mortalibus vivunt atq; in Viâ beatitudinis gradiuntur. E qvorum numero excluduntur, qvi tales non sunt, & qvi ad gregem eorum per Conversionem non conducuntur, qvia damnatos tales judicat Scriptura, cùm dicit: foris esse canes. Nam sicut homo judicabitur olim secundum Opera sua, ità qvoq; perditionem sibi crimine suo causatur sic ut verè dici nunc possit: Homo criminosè vivens qvà talis damnatus est, & modo inverso: homo non talis qvà conversus, damnatus dici nequit quamdiu conversus manet. Omnis iste respectus est ad fructus sivè opera fidei, de qvorum excellentiâ mundani homines nimis abjectè judicant, qvi & hâc ratione à novem gradibus longè remoti existunt. Eum autem qvi cupit salvari oportet se recipere ad gradus Petræ, & cùm se reputat subsistere in uno eorum, tenetur se movere (sunt enim gradus operationum & exercitii) nec non in Dei amore cum Vitæ suæ emendatione progredi, nam scriptum est apud Prophetam: ne subsistatis. Quisquis subsistendo hæsitat, haud difficulter à Spiritu maligno repellitur, lapsuq; præcipiti in Casses ejus ruit, sub cujus potestate diu detinetur unà cum iis omnibus, qvi extrà gradus asyli oberrârunt. Horum pleriq; sunt, qvi Deo causam lapsûs eorum adscribunt; ast clementissimus noster Dominus manet justus, cùm judicatur. Paratus enim est ad juvandum & promovendum eos omnes, qvi se sincerâ pœnitentiâ à suis peccatis convertunt ad eum, qvi etiam constanti bonâ Voluntate per fidem se in bonis operibus exercent, undè culpam non habet ullam, cùm à peccatoribus & operum bonorum osoribus manum suam abstrahit. Deus namq; purus ac bonus effundit suam abundantem gratiam tantùm in vasa mundata & evacuata, sicut scriptum est: Beati mundo Corde. Sufficit ergò bono animo cognoscere novem eos gradus,

Digitized by Google

qvorum ad exemplar seipsum possit probare & observare, in qvonam eorum reperiat se, quid desit ei, quid eum impediat, quovè captus teneatur. Nunc ergò gradus hos perlustrando & incipiendo ab ultimo, perspiciendum est, qvales ibi in mortis viciniâ sivè in obscuro & infimo gradu periculo proximo inveniantur.

1. In primo gradu inveniuntur homines, qvi fugatis peccatis mortalibus in Dei timore vivunt. Timor Dei est primus apparatus ad similitudinem Dei, qvam sine exceptione omnes qui Dei gratiam quærunt, gestare debent, qvatenùs omnes qvi per peccatum amittunt eam similitudinem qvam Deus unicè desiderat, Dei qvoq; gratiam hactenùs perdunt. Proindè qvi Dei imaginem fædando atrâ peccati fuligine infumant, extergunt rursus atq; clarificant eam mediante abstersivo timore Dei, hinc per amplexum irradiantis divinæ gratiæ fiunt iterum participes ejus: in hoc namq; gradu qværitur illuminatio divina. Hic autem gradus cùm à supremo longissimè distet, hâc ratione illuminatio, qvam homo tunc recipit, est modica & nebulæ instar obscura, in eo igitur gradu orabat David dicendo: Domine illumina oculos meos, ne unqvàm in morte obdormiam. Ejusmodi homines versantur adhuc in magno periculo, sic ut vix discernere possint mortem ac fugere. Eorum salus dubia est adhuc, eò qvod sensus eorum sint circumvallati multis tentationibus, animus qvoq; mundanis negotiis implicatus, actiones directæ ad quæstum, laudem, favorem, honorem & oblectationem, qvapropter eorum ambulatio fit adhuc super eam Basin, qvâ ipse rictus inferni velut ostio clauditur. Quis ergò est, qvi non pervideat hanc habitationem esse barathro proximam? Et qvantumvis causâ perrosi discriminis Spiritus inferni non habeat in eos potestatem aliam nisi quam ipsi per peccata mortalia conferunt ei, insignem tamen semper spem habet damnationis eorum, qvin & permultos incautos taliter

ter

ter piscatur infernali ore semper hiante. Nam si parumper inquirimus in causam occasionalem hujus piscaturæ, occurrit statim incuria & oscitantia multorum, quam hostis sine tædio attentè observat, siquidem commoditatem quærunt & oblectamentum sensuum arbitrantes se posse servire duobus Dominis, Deo & Naturæ, adhæc cohonestari cupiunt nomine probitatis, tamq; tenaciter suis inhærent modis, ut melius qvid nolint scire vel assumere, indè fit, ut actiones suas segniter perficiant sine debito puro respectu Dei. Nemo ergò miretur, qvod horum qvamplurimi labantur in peccata mortifera, nimirùm in Casses & laqueos Diaboli. In hoc etiam statu sunt multi, qvi lapsis his ansam præbent peccandi, qvi & ipsi cum peccatoribus præcipitantur in locum eundem. De iis autem qvi inciderunt in Casses Diaboli, hoc est imprimis notandum, nonnullos eorum pergere in suis peccatis, tantoq; magis mancipari potestati maligni Spiritûs: eorum status est miserabilis, qvia in mortis articulo nonnisi cum summâ difficultate possunt evadere ac superare summum periculum: alii iisdem qvidem retibus infernalibus implexi sunt, ast mediante verâ pœnitentiâ, confessione, & Vitæ emendatione effugiunt perruptis hostis retibus, alii verò præ socordiâ tanqvàm fascino ligati ibidem subsistunt. Nonnulli autem eorum, qvi structas insidias cautè observant, invadunt naturam severâ pœnitentiâ & emendatione potenti ità qvidem, ut eam Vim vix tolerare queant, rejectis insuper tùm propriâ naturâ tùm cunctis Creaturis suum convertunt animum ad Deum tàm solicitè ac sincerè ut neqveat fieri, qvin statim à Deo in statum sublimiorem evehantur. Ad eos autem redeundo qvi omnes promiscuè adhuc in classe infimâ reperiuntur & sine peccatis mortalibus vivunt, cum veritate dici potest, eorum esse paucos in Comparatione ad illos peccatores, qvi foris sunt & nihilosecius Christiani volunt nuncupari & videri. Hi autem infimi (postremi) homines

si sine peccato mortali sub Vitæ obitum reperiuntur, salvantur ita quidem, ut multâ magnâvè mercede sint carituri in æternum, insuperq; gravem aliqvam tormento igniformi similem passionem subituri, eò quod non fuerunt mortui concupiscentiæ peccatorum qvotidianorum, & qvod valdè exiguum fuit eorum exercitium, labor & amor ergà Deum Idcircò esset optandum fore, ut quilibet agnoscat immensam pœnam, quâ tandem mulctabitur omnis ea delectatio, per qvam natura hominis demulcebatur ad Dei despectum; sic namq; multi permoverentur ad abstinendum unà à peccatis quotidianis. Hîc sistat gradum homo bonus ac circumspiciat, cum qvibus hodiè versatus est, quibuscum heri conventum freqventavit. Verisimile est eum fuisse conversatum cum multis foris errantibus, cum paucis verò infimo gradui insistentibus, ultroq; provehi renitentibus. Tàm securè ambulamus per viam Lethi, aut subsistimus in ipso limine orci, qvi procul fugiendo ad limina Cœli scandere debemus. Magna, proh dolor! hodierna Christianorum miseria est, qvà qvilibet secum benè actum credit sub ipso voluptatis usu, quam tamen præstat deserere, eò quod nusquàm vera pax, nuspiam verum gaudium præterquàm in solo Deo reperitur. Noscere ergò debet unusqvisq;, neminem ad æternum gaudium posse pervenire priusquàm cum summâ prudentiâ vicerit naturam suam totumq; se funditùs Deo obtulerit. Ex his apparet, qvàm sit periculosum vivere in statu (gradu) infimo, cui vicina est sedes Satanæ, id ergò cùm probè adverterint, qui persistunt.

2. In secundo gradu, magno perculsi metu progrediuntur in proximum ac tutiorem statum. Tales jam impulsum ac ductum D E I seqvendo forti animo seipsos ab omni mundi vanitate abripiunt: Cùm autem adhuc indigeant mediis, qværunt societatem bonorum ac perfectiorum hominum, qvorum consilio & exemplo eruditi emendentur.

Mul-

Multum enim situm est in fido Conductore, qui viæ & artis gnarus est, cujus fidelitati committat se initians, cùm & de Deo dicatur, eum cum Sanctis sanctum esse, cum perversis perversum. Hujusmodi homines cùm duriori Vitæ exercitio se magis fatigent qvàm primi gradûs homines, hinc plus illuminantur, adeoq; freqventant publicas conventiones, loca sancta visitant tùm ad colendum Deum, tùm ad audiendum Verbum Dei, qvod dum fit, mirè permoventur ad aversandum causas peccati. Qvod autem non ità procul distant ab hiatu inferni, subnoxii sunt Diaboli tentationibus qvamplurimis, comprimis pigritiæ ac socordiæ, qvò sæpenumerò fit, ut ibi subsistant neqvicqvam proficiendo in lumine & exercitio virtutum. Hâc de causâ manent valdè defectuosi, devitant solùm Crimina & graviora peccata qvotidiana, de minoribus ac occultis defectibus non sunt solliciti, qvàm multi etiam sint subtiles mille artificis laquei, sanè & alius indè nascitur magni momenti defectus, nimirùm tædium & lassitudo in operando, & adipiscendæ excellentioris virtutis incuria. Ut malum ex malo, ità defectus è defectu gignitur; hîc quidem incuriam sequitur Cupido Commoditatis, qvapropter aversantur pugnam, cursum, pasfionem, & cum molestiam sibi nolunt inferre, confirmantur ab hoste in vanâ opinione taliter, ut putent devictis multis voluptatibus se debiles factos non obligari ad majora, & qvod fiduciam putant in meritum & satisdationem Salvatoris positam compensare defectum, non observent instinctum hunc esse Diaboli. Num autem eorum opinio cum an sine instinctu maligni Spiritûs, dignoscet facilè qvicunq; perpenderit effectum, qvi hanc opinionem subseqvitur. Per eam namq; concipiunt complacentiam Vitæ & statûs, ità ut interrogati, num sublimiores perfectionis gradus conscendere animiq; graviora exercitia subire velint, respondeant, manere se malle in eo statu, in qvo servire Deo possunt æq; ac alii, derisui habentes exercitia gra-

graviora. Profectò sic censent se aliquid esse, valere, omniq; bono consilio posse carere, & qvamvis dicant se nil valere nil esse, à ratione tamen clàm decepti non deprehendunt qvàm sibi adulantur, qvàm statui, gestis, & vanæ libertati confidunt, ideò quidem, quia non intelligunt necq; persentiunt, qvaliter eorum modi inferantur per sensus in imaginativam, qvâ mens captiva indies magis abalienatur. Taliter autem deprehenditur fundum eorum internum, qvod aliàs virtutes exerere debebat, plenum philautiæ & proprii arbitrii, proclives qvoq; reperiuntur ad lapsum & patratum vitiorum atq; defectuum spiritualium, qvâ ratione à Dei amicis ad altiores gradus compelli neqveunt metu ne redditi pejores è stadio penitus elabantur. Propter qvid autem Deo sint chariores prioribus, est, qvod naturam valentiori impetu oppugnárunt, dummodò non retrolabantur, sed aut subsistant aut progrediantur. Si verò firma iis esset in Deum fiducia, intrepidus animus, bona ac perstans Voluntas tùm Creaturas abnegandi, tùm Deum è cunctis viribus amandi, semper qvoq; adesset divinum auxilium promovendi eos, imò possibile esset tunc fore, ut brevi tempore attingant gradum supremum.

3. In gradu tertio morantur boni homines, qvi victis mundo, Carne, sensibus, socordiâ, sollicitudine & voluptatibus &c. Omnem impenderunt operam in exercitio virtutum, bonarum cogitationum, verborum & actionum laudabilium, sicut & in moderatâ Corporis castigatione. Summa eorum exercitatio est externa (jejunium nempè, vigiliæ, amictus abjectus, pilosus, oratio freqvens modificata) estq; bona & laudabilis operatio, eò qvod provenit ab obedientiâ, à metu cruciatuum purgatorii & à desiderio Vitæ æternæ; verùm qvà tantùm externa est, eoq; vel à metu extorta vel à cupidine promissi boni profecta, est adhuc valde defectuosa & imperfecta, qvamobrem multi crudi Christiani exibilant eam

tan-

tanqvàm opus ſine fide aut qvid ſuperfluum, qvo ut deſtitui qveant, in ipſo fœtido mundi Cœno in qvo volutantur ſalutem ſibi ſpondent. Tales autem nôſſe debuerant, intermiſſionem hujus exercitii eſſe defectum longè majorem, ſi ipſa laudabilis & in divino Verbo fundata exercitatio eſt adhuc debilis ac defectuoſa. Utut autem defectuoſa, cùm tamen non eſt defectus ipſe, ſed potius bonum ac laudabile exercitium, reſtat ſcire, homines taliter occupatos eſſe Deo longè acceptiores prioribus vel eâ de causâ, qvia ſtrictiori Vitâ actiones magis moleſtas perficiunt. Ut autem è defectu eorum qvis diſcat, qvid deponendum ſit qvid conqvirendum, eſt operæ pretium paucis hîc enumerare ea qvæ deſunt bonis iis hominibus defectus ſuos ad plenum non cognoſcentibus. Primo ergò ſciendum eſt, eos adhuc in eâ cæcitate detineri à Diabolo, qvà exercitationum ſpiritualium ſublimitatem, mortificationem ſui, adde cordis puritatem non agnoſcunt, quam ob rem dicimus, eos plus quærere & amare ſeipſos quàm Deum, cujus tamen gloria ſolùm qværenda eſt. Exin ſecundò venit, ut retineant amorem & inclinationem naturalem ad voluptatem ſenſuum, ad gaudium ſpirituale, ad Converſationem cum familiaribus, Amicis, Cognatis &c. imò eorum cæcitas eſt tantò gravior, quod putant, eos poſſe tali amore liberè perfrui, qvi tamen damnum occultum & grande periculum ſecum trahit. Adhæc ut ſemper tales nonniſi in eodem ſtadio currant, efficit ingens eorum cura cordisvè intranquillitas, qvâ miris modis illaqueati impediuntur, qvominus ad exercitium interni hominis ſe qveant applicare; indè qvoq; pronaſcitur aliud grave incommodum, nimirùm, quod taliter eorum cogitationes confunduntur vel diſperguntur, pollutâ ſcil: mente ab impurâ cupidine, ſollicitudine aliisq; tentationibus, qvæ plerumq; ſeqvuntur amorem malè ordinatum, id eſt, ſeipſum & Creaturas ſpectantem, id omne autem efficit, ne valeant internæ exercitationis excellentiam aſſequi. 4. In

4. In gradu qvarto consistunt boni homines, qvi non solùm externæ Corporis castigationi, puta Vigiliis, Orationibus, Jejunio &c. incumbunt; verùm etiam per S. Spiritûs assistentiam diu noctuq; occupantur internis spiritualibus exercitationibus, gemitibus, compassione & desiderio, qvantum possunt perferre. Hi tamen etsi prioribus quodammodò perfectiores, sunt tamen defectuosi adhuc respectu reliqvorum ordinum. Defectus eorum produntur per id, qvod sine resignatione vivunt, eoq; in toto eorum exercitio plus quærunt sensibilem pacis suavitatem & affectionem, qvàm nudam Dei Voluntatem, hunc itaq; defectum internum comitatur lapsus externus, ambitio scil: & inflatio, qvatenus de illuminatione & spirituali eorum qvalitate gloriantur, eos qvoq; qvi sub tentationum jugo fatigati sudant, præ se contemnunt. Indubium autem est, hominem pertinacem, qvamdiu talis est, non posse unqvàm ad veram Cognitionem Dei, tantominus ad Coadunationem ejus in hâc Vitâ pervenire. Atqvi bonos eos homines in propriâ suâ prudentiâ plerumq; obstinatius persistere, hactenùs qvoq; nec sibi emori nec se oblatos abnegare velle exin probatur, qvia tametsi inter orandum tàm se & sua qvam cuncta aliena divinæ Voluntati offerant, imò & quascunq; afflictiones, passiones, opprobria, paupertatem &c. propter Deum perferre spondeant; sunt tamen inconstantes, quoad tentationis tempore, qvamprimùm iis subtrahitur devotio aut cùm iis accidit afflictio, probrum, damnum, injuria &c. Confestim produnt sensibilem ac vitalem eorum naturam, qvæ jam defuncta aut insensilis esse debebat: per hanc inquiem, impatientiam, murmurationem &c. testantur se philautiam nutrire occultam, cujus ope pax & desiderata quies inescat & allicit bonam Voluntatem Deo alioqvin oblatam. His tamen hominibus divina adest gratia, cùm ex iteratâ tentatione innotescat, quàm frequenter Deus lumen resignationis in eos effundat, si fortè tantum efficeret, qvo sibi resi-

resignent ipsis, nam qvi benignè recipiunt hoc, profecti in melius promoventur. Interim tamen non feriatur hostis, qvin omnem impendit operam eos capiendi mediante commoditate, prout experientiâ constat, qvàm multos liget Diabolus proprietatis fascino, cùm palàm etiam sit, cunctos illic subsistentes modificare sua exercitia mediante naturali proprietate. Ut autem id hostis efficiat, incitatur magnâ ratione, notum habens, Deum mox esse tracturum tales homines ad opera occulta & sublimia, si summâ in subjectione suiq; Spiritûs humilitate demergant se in Deum.

5. In gradu qvinto divertunt chari homines, semper occupati in exercitio naturam contranitentem debellandi, peccata & voluptates mortificandi atq; ferventi cum amore Deo soli adhærendi. Amabiles illi homines pro virili vivunt in puritate Cordis, eamq; puritatem ad mortem usq; servare cupiunt, qvo fine suppressâ Voluntate offerunt ac reddunt Deo in simplicitate cordis quæcunq; habent, possunt, volunt, ac impetrare qveunt unà cum cunctis Creaturis. Adhæc (qvod probè nunc est notandum) subjiciunt se mandatis Dei & Ecclesiæ, imò & cunctis hominibus qvibuscum conversantur obediunt obseqvendo scil. cuilibet mandato, qvod virtutis, pacis & mortificationis objectum esse cognoscunt, nec percontantur pro more indomitæ plebis, num sint mandata DEI an hominum, num obligati sint ad parendum necnè? Verùm priusqvàm inqvirant, expedierunt jussum, noscentes perqvisitionem hanc esse vitium pravæ Voluntatis & signum rudis ac inepti, indocilis, si non pagani, saltèm Christiano nomine indigni hominis. Qvin & præfati chari homines suam præstant obedientiam de diè in diem cum intensiori Conatu, mortificatione carnis, sanguinis, sensuum, imo & voluntatis propriæ, hoc est, totius hominis, idq; non solùm juxtà modum propriarum inventionum, verùm & (qvod notandum) juxtà eum modum, cui obstringuntur Vi mandati divini aut institu-

ti Amicorum Dei. Quisquis eorum vestigia seqvi cupit, attendat diligenter, qvibus mediis eousq; progressi sunt, ut curam suam eorum acqvisitioni impendat. Nam si cuilibet præsumtuoso licet ambulare & vivere juxtà suum arbitratum, inanis est christiana Sapientia, supervacaneum omne mandatum & consilium Verbi divini. Hi verò chari homines, cùm minimum divini Verbi apicem revereantur, amplissimam qvoq; in eo inveniant doctrinam mortificandæ suæ Voluntatis, vitandæ humanæ prudentiæ, hactenùs diffidunt sibiipsis non audendo qvicqvam juxtà arbitratum, scitum & actum proprium moliri: hâc ratione (notato) quærunt non quidem vagum qvendam Spiritum, sed verum Dei amicum, cui divina Via perspecta est, ei se concredunt obediendum in cunctis monitis, suasibus & jussibus legitimis. Hujusmodi propositum est hodiè valdè inusitatum, imò vix cognitum, hæc igitur Rudiorum christianorum inscitia cùm admodum probrosa sit, satius est eam hoc loco præterire. Sufficiat indicâsse homines prænumerati gradûs esse Deo longè acceptiores cunctis aliis priorum ordinum Religiosis vel ideò, qvia hi soli inter eos inventam jam calcant viam suæ Originis, qvæ Deus est. Cæterùm qvàm chari Deo sunt, qvâ tamen ad seqventium ordinum perfectionem nondum pervenerunt, jure meritoq; dicuntur defectuosi. Manifestus eorum defectus est inconstantia & exercitii exiguitas: Cùm enim Voluntas eorum sit nondum extincta penitus sed semiviva adhuc, imò nec ipsum mortificationis desiderium profundius radicatum, qvod nonnisi per diuturnam exercitationem (qvalis non est eorum qvæ brevis est) nanciscitur firmitatem, hinc nequit fieri, qvin sæpiculè debilitentur, vacillent atq; per inconstantiam ad mores pristinos devolvantur. Fit indè perspicuum, cur pauci ad hoscè gradus perveniant, nimirùm qvia maxima hominum turba hanc ipsam exercitationem rejiciunt. Ast ordo præfatus suscepta sua proseqvitur exercitia, & si qvandoq; abindè

exci-

exciderit, reversus tamen longiori temporis tractu persistit in opere resignationis vel ideò, qvia ubiq; se Deo sine recalcitratione Cordis obtulerunt, hinc aliqvandò evenit, ut Deus eos per tramites virtutum secretissimos cunctis mortalium incognitos conducat propter amorem, qvo voluntatis propriæ expertes complectitur.

6. In sexto gradu perstant suaves homines, qvi prævià longâ exercitatione simulac ardenti desiderio se totos subdiderunt Deo, superioribus, Dei amicis & vicariis abjecto amore sui & Creaturarum, qvi insuper parati sunt constanti animo perseverandi sine ullo scrupulo in omni afflictione ad mortem usq;. Eo namq; Luminis divini splendore illustratur intellectus eorum, ut agnoscant omnes eorum Casus, adversitates & passiones à Deo permitti ad salutem animarum. Eam qvoq; ob rem eunt sibi comparatum solatium spirituale, cognitionem & suavitatem divinæ amicitiæ, nimirùm ut mediante hoc auxilio allevietur onus passionum, & sic in donis Dei cum animi oblectatione & qvâdam proprietate conqviescunt. Quis autem non pervideat quæstum hunc esse documentum defectûs, cùm hactenùs eorum intentio non sit pura (merè divina)? Non pura, qvia in graviori passione tamdiu fluctuant animo, donec spiritualem assistentiæ refectionem juxtà desiderium suum à Deo impetrârunt. Hìc diceret aliqvis, si divinum solatium notabile gratiæ donum, omne verò bonum donum à Deo sit expetendum, seqvitur, immeritò divini doni desiderium vocari defectum. Ast qvanqvàm petitio donorum Dei permissa, eorum qvoq; desiderium sit bona intentio, noscendum tamen est, permissa hæc esse ob imperfectionem, ignorantiam & pigritiam nostram, quæ tàm potenti medio corrigenda est, indè autem nemo persuadeat sibi absolutam perfectionem. Et ut defectus (præfata imperfectio) clarius innotescat, noscendum est, per donum solatii moveri Deum, ut ab opere suo desistat mutatâ

voluntate, deindè etiam intercipi veram firmamvè ſui abnegationem, eoq; impediri hominem, ne Deo concedat operationem, qvam ſibi Deus in homine abſolvendam propoſuerat. Noñè id defectûs ſignum evidens eſt? Notum & eſſe debet cuivis Chriſtiano, in S. Literis fundatam eſſe defectûs hujus emendationem atq; edoctum, hominem obligari Deo ſic, ut ex toto corde calamitati qvalicunq; ſubjectum ſe DEO tradat, qui juxtà voluntatem ſuam liberè agendo trahat eum qvo modo, quâvè viâ viſum fuerit ei. Comprimis id ità eſſe agnoſcunt ſuaves iſti homines, verùm id ipſum, quod pari dignatione perpendendum erat, non ſatis agnoſcunt, hoc eſt, occultam qvandam naturalem inclinationem & inordinatam ſubtilem Concupiſcentiam, cui emori nolunt hactenùs, hinc non tàm diligenter laborant, quò miſſo ſolatio ſe liberè qveant paſſioni ſubdere: ſic autem cùm firmius ſuo adhæreſcant gradui, hoc obſtat qvo minus progrediantur per ſingulas virtutes & beatitudines eos, quæ adhuc proſtant exercendæ.

7. In ſeptimo gradu ſe ſiſtunt ſancti illuminati homines, qui prævià præparatione, multâ exercitatione, ſanctoq; deſiderio firmiter ſunt implantati, cor ſuum ſervant hi mundum, vacuum ſeu liberum ab omni alieno amore tàm ſui qvàm Creaturarum. Eodem qvoq; vultu reſpiciunt utiliter proſpera & adverſa, hoc eſt, ſine diſtinctione, qvia ſunt paratisſimi ad ferendum Crucem Domini propter ipſum Dominum noſtrum. Quodſi qvis capere hæc nequeat, norit utentem adæquato medio haud difficulter poſſe aſſequi rem ipſam deſideratam. Sancti iſti homines longo tempore uſi ſunt hoc conducente medio, qvod conſiſtit in abnegatâ vel ſuppreſsâ naturâ juxtà conductum diſcretionis, nunc ergò & impoſterum nil aliud per totam Vitam appetunt niſi divinæ Voluntatis obſequia tàm ſub internâ exercitatione qvàm ſub externâ operatione, ſivè in cunctis modis. Eorum amor & intentio habet ſe ad amorem Dei ſicut ſe habet umbra ſolis lucentis ad motum Corporis illu-

illuminati hinc indè se moventis, qvæ corpus locomotum immediatè seqvitur. Si corpus dominicum est mobile hoc umbrosum à Luce divinâ collustratum, nemo non intelligit, qvalis sit sanctorum, qvi umbram referunt, seqvela seu imitatio Christi, hoc est, immediata & inconfusa; directa hæc seqvela est, qvæ alio vocabulo suprà exprimebatur per implantationem, & irradicationem, cui synonymum est vocula adhæsio (adunatio &c.) Splendor talium hominum refert singularem coràm Deo Claritatem, qvi eos donis singularibus & perfectis ceu lumine multo ac magno illustravit, hactenùs eorum lumen neqvit à Caligine passionum obscurari. Imò (qvod est notandum) in afflictione inveniunt reqviem, & sub tentatione progrediuntur ad majorem Spiritûs perfectionem, hoc qvidem sic possunt perficere, qvia à nudo amore in qvo diutius perstiterunt, didicerunt non solùm magna præstare sed & majora tolerare. Hâc ratione de die in diem præstantioribus à Deo locupletantur donis, ità ut eorum memoria miris modis ac speciebus incidentibus impleatur & recreetur, intellectus clarificetur, Voluntas autem ab igne divini amoris subitò accendatur. Diceret aliqvis, si tanta iis est sanctitas, nulla remansit iis imperfectio. Attamen dicitur in veritate eos nondum esse absolutè perfectos, defectum suum ignorant ipsi, qvi provenit ab ipsâ satietate seu superfluitate donorum, qvâ nonnunqvàm improvidi homines ab occultâ eorum inadvertentiâ circumducti abutuntur in tantum, qvantum sine suo scitu gressum sistunt cum qvâdam animi refectione in donis Dei placidè morando ac sine tantilli solatii sacramento utendo, id qvod defectûs cujusdam indicium est, cùm & sensibili hâc oblectatione aliàs adinstar mortuorum carere debeant, si summam cupiunt adipisci perfectionem.

8. In gradu octavo decumbunt sancti & oblati homines, qvi præ amore flagranti se tàm sincerè divinæ Voluntati obtulerunt, ut nil remaneat iis mundani desiderii sive inclinationis

 ad

ad Creaturas vel dona Dei, qvod possit iis proprium dici. Et qvanqvàm non deficiant iis dona Dei nec bona temporalia, hæc tamen nunqvàm permovent eos intus in fundo animæ, eò qvod id tàm liberum est & vacuum curis, ac si ne hilum possiderent, indè venit, qvod cuncta Vitæ subsidia à Deo sumant pro exigente necessitate, residuum tanqvàm non suum reddant Deo contenti cum eo qvod Deus cum iis agendum sibi proposuit. In iis adimpletur jussus Apostoli dicentis: ut offeratis vos Deo sanctam & acceptabilem hostiam: eoq; fit, ut redamentur à Deo amore magno tanqvàm ii, qui longo conatu ad cœli limina ascenderunt, Deo jam præ cunctis aliis viciniores facti. Causâ hujus facti onerat Deus eos bonorum suorum cumulatione, qvanqvàm ea non qvæsiverint, & ostendit iis mirabilia magna per medium formarum seu Idearum: per medium dico, qvia immediata ea revelatio atq; conspectus Dei denegatur iis adhuc vel eâ de causâ, qvia voluntas eorum est adhuc occultâ qvâdam & intuitivâ curiositate prædicta, qvæ tamen penitus mortua esse debuerat, ejus causâ deprehenduntur recipere dona Dei secretissimâ qvâdam proprietate iis ignotâ; hæc inadvertentia facit, qvominus agnoscant se inæqvali desiderio, majori nempè eadem accipere, minori verò iisdem carere solere. Subtilis iste defectus etsi ab iisdem non advertatur, qvatenùs in abditis naturæ recessibus profundè delitescit, nihilosecius tamen Deo satis superq; obvius est, causamvè Deo reddit iisdem non satis fidendi. E. g. Si Deus gratiam spiritualem vellet iisdem subtrahere, non potest id facere confidenter, id est sine metu lapsûs eorum. Idcircò exhibet Deus clementiam suam eo fine, qvo debilem hominem eo modo ac medio trahat ad Vitam perfectam. Etenim cùm sanctitas & perfectio non consistat in donis Dei, nemo habet qvod sibi perfectionem adscribi permittat, etiamsi cuncta Dei dona accepta ferat; idcircò oportet eum hominem, qvi niteretur perfectiorem attingere sanctitatem,

tatem, emori qvoq; omni ſpirituali gratiæ, hoc eſt, omni donorum divinorum internâ applicatione, appropriatione, attributione & oblectatione ſic carere, ut ſi omnia poſſideat, videatur ſe nihil accepiſſe. Id autem competit ei facere, nimirùm ut animo humilimo ſuſcipiat admirandam Dei Clementiam peccatori exhibitam, miretur, laudet, & glorificet eam, dona verò à Deo accipiat ſine ullâ ſcrutatione purè ac ſimpliciter propter Deum ſemper paratus iisdem carendi, viciſſim etiam qvascunq; tentationes patienter ſuſtinendi.

Octo iſti gradus (claſſes) ſunt ea ſeries beatitudinum, qvas Chriſtus commendavit: qvisqvis earum cognitionem habet, faciliùs diſcernere poterit inter eum qvi perfectior, quivè imperfectior eſt alio. Ea qvippè eſt forma juxtà qvam examinet ſe fidelis qvousq; pervenerit, ubi hæſitet, ut arrepto medio conductivo procedat ulterius. Sicut enim tota via perducens ad Regna ſublimia eſt eo fine diviſa in gradus, qvò Viatori reddatur aptior; ità qvoq; Deus peregrinanti potentiā dedit, (qvam indies auget) eundi, progrediendi, ſcandendi, altioraq; loca petendi. Ignavus, ſomnolentus, & juxtà Viam ſtertens æqviparatur ſervo Talentum defodienti, contrà Viator promtus fideli, probo & vigilanti ſervo comparatus laboris ſui præmium reportabit. Matth. 5.

E præfatis patet, omnes horum ordinum homines adhuc defectuoſos, defectus qvoq; cuilibet eorum eſſe proprios, unum verò præ alio juxtà ſuum gradum plusminus defectuum, plusminusvè perfectionis habere. Sic enim unicuiq; conſtat, qvò altiores ſunt gradus, eò nobiliores cenſeri homines iis incumbentes, eò qvoq; chariores Deo, qvòminus iis humanæ imperfectionis & impuritatis, hoc eſt, divinæ diſſimilitudinis ineſt. Hinc dicunt aliqvi, qvalemcunq; impuritatem ac defectum, qvàm parvus etiam ſit, in ſeculo non agnitum nec dimiſſum, iri olim expurgatum per modum ignis purificantis vel ideò, qvia Deus purus eſt impuri nil intromittens in Regnum ſuum; verùm

verùm etiam ajunt, per pœnitentiam & fidem purgari animas, eoq; defectus emendari ope cœlesti. Id autem, qvod in hâc Viâ est observatu dignum, est varietas, variatio seu quotidiana translatio ac depositio ad exemplar ludi scholastici modificata: nam sicut qvidam homines summâ levitate & qvasi uno impetu scandunt per omnes gradus adusq; supremum; ità eorum nonnulli vel alii inconstantes retrolabuntur nec nisi in infimo gradu sistuntur, eorum qvoq; alii scandunt iterum vel subitò vel lentè, alii verò in ipsa retia Diaboli præcipites dantur. Si causam inqviris tàm subitæ ac mortiferæ mutationis, noscas velim, eam esse inconstantiam, qvatenùs eorum Exercitium non absolverunt debitâ gratitudine, humilitate, summâq; industriâ, adeoq; nec incrementum virtutum suiq; totalem mortificationem obtinuerunt. Hinc juxà spatium intervalli concipere poteris, qvantus lapsus & qvàm periculosus sit ejus, qui à supremo ruit in casses Diaboli: indubium enim est hujusmodi hominem vel ipso Lucifero evadere nocentiorem tàm alios seducendi quàm ipsa horrenda peccata committendi.

9. In gradu nono omniumq; supremo acclivi habitant sanctissimi homines, secreti & charissimi Dei Amici, qui plenitudine gratiæ ac divinorum donorum perfusi nonnunqvàm elevantur ad contemplandum Deum. Sunt perqvàm rari & paucissimi, præsertim sequioribus hiscè seculis, imò, quod est dolendum, mundo incogniti, aliàs afflicti & subsannati: verùm qvàm pauci sint, censent tamen Theosophi, eorum precibus fulciri mundum, qvasi mundus propter tantam ejus impietatem à Deo perderetur, si absq; iis esset. Ut autem appareat, qualis eorum sit vitæ status, nec non quousq; profecerit eorum exercitatio, non abs re erit hoc loco pleraq; atq; potissima gesta eorum juxtà membrorum quandam seriem subjungere, idq; exemplar Christianis oculis præfigere, si fortè ab obsoletâ verorum Christi imitatorum formâ haurirent qvod discerent. Nam

1. Exucci

1. Exucci hi ſanctisſimi Dei Amici ſunt, qvibus teſtatur Apocalypſis, ex multis Calamitatibus eos veniſſe; horum externa forma prodit id ità eſſe. Nam ſuperatâ naturâ per media ardentis orationis, perfectæ reſignationis, perpetuæ exercitationis, nec non erumpentis in amorem Dei deſiderii deperdidit corpus vires, caro ſuccum nutritium, oſſa medullam, venæ cruorem, animo interim nec advertente neq; curante naturæ diſpendium, qvia confortato à Spiritu qvi liberè nunc ſuâ in iis utitur poteſtate efficiendo, qvò natura & operetur & patiatur ſuprà naturam. Nil namq; poterat iis ferre ſolatium niſi ſolus Deus per ipſum Deum, qvid qvod in ipſum Deum tàm arctè ſunt & firmiter implantati ceu palmes Viti, hactenùs nil poteſt eos ſeparare à Charitate Dei nec vita nec mors &c. Charitas Dei vicisſim in iis tanta eſt, ut ocyus eos comprecantes exaudiat Deus præ mille aliis.

2. Tàm purè Deo ſe tradiderunt in fide, ut iis nunc nulla reſtet concupiſcentia niſi adimplendæ Voluntatis & Gloriæ divinæ.

3. In omni rerum caducarum ceu alienarum uſu carentat tributione & oblectatione contenti cum beneplacito divino, ſivè Deus det ſivè auferat, non optant aliud niſi opus Domini, qvod iis tàm bonum apparet atq; ſuave, qvàm acerbum & grave aliis videtur. Attamen

4. Plus averſantur proſpera qvàm adverſa terrefacti à collato iis divino ſolatio, qvod eorum deſiderio contrarium eſt, qvatenus nonniſi Chriſtum imitari ejusq; imagini internè & externè ſe conformare cupiunt mediante calamitate, contemtu, ignominiâ, anxietate & ſolatii defectu. Qvo fine

5. Omni diligentiâ conſiderant ineffabilem anxietatem, ac in ſummis Cruciatibus patientiam & oblationem Spiritûs in Domino noſtro tùm expreſſam, cùm amor ejus conflictabatur cum naturâ tanto niſu, ut ope expers & ſolatio ac ſuperatâ naturâ nobilem ſui Corporis ſuccum ſanguineum reddiderit ab-

ſumti ſudoris vicarium, tumq; viſam, cùm derelictus in cruce luctam acerbisſimam cum victoriâ æternùm gloriosâ totiq; mundo ſalutari commutavit. Tanta ergò qvæ comparari neqvit Domini noſtri pasſio profundo vulnere ſauciat eorum corda tantovè dolore afficit, ut ſemper qvaſi pasſionem ſitiant parati dominicam pasſionem glorificandi vel ſimili vel aliâ morte acerbisſimâ & ignominioſisſimâ. Poſito ergò ſuper ſolam hanc Domini redemtionem fundamento fidei, nec non ornato eo amoris reciproci decore ſub Voluntatis propriæ abnegatione, in humilitate.

6. Suſtinent tentationes plurimas & maximas,qvarum pleriq; Chriſtianorum neſciunt reddere rationem, cur ſcil. Deus auferat ſanctis ſuis cuncta ſua dona relictis iis nudis ac miſeris, ac ſi propitium Deum nunqvàm habuiſſent. Summas qvoq; tentationes ſuſtinent eò facilius, cùm cenſeant ſe omni afflictione & pasſione dignos, nil magis deſiderando qvàm expiationem impotentiæ in defectu perfectæ imitationis Chriſti conſpicuæ: qvapropter cupiunt etiam ab omnibus Creaturis illudi, vituperari,rejici & ſupplantari.

7. Inſuper & ſine neglectu obſervant divina opera, illuminationes, influxus & viſitationes Domini, non obſtante tantâ eorum ad crucem & pasſionem inclinatione, qvin ob inſignem amorem, qvem Deus in iis accendit ſine ſcitu eorum, offerunt ſeipſos ubiq; & in omni opere tanqvam viva S. Spiritus organa, ne gratiæ Dei reperiantur im̃emores.

8. Quantum ad opera cum nemine contendunt,nec ulli palmam præripere cupiunt, dum Opera ſua extremâ cum humilitate cunctis Creaturis poſtponunt, qvâ de causâ Deo qvàm maximè placent vel propter tantum ac ſolum humilitatis veræ fundamentum.

9. Seipſos ſimul & cuncta mundana creata, qvantum in iis, amiſerunt penitùs, in iis qvoq; defuncta ſunt cuncta opera & effectus rationis, qvorum olim Authores exſtiterant,ſic itaq;

apprimè

apprimè dicuntur mundo ceu fato cesſiſſe, id eſt, clauſo in æternum animo mundum ſibi averſum dejeciſſe.

10. Nec ſe nec ſua qværunt aut reſpiciunt, quia quæſtum ac omnem voluptatem cum ſterqvilinio conculcârunt, imò nec ulli ſe mancipârunt niſi ſoli bono, qvapropter ſolam admirantur immenſam Dei Clementiam miſero peccatori exhibitam. Utinam conſiderabilis hujus admirationis & æſtimationis divinæ Clementiæ etiam inter nos eſſet ſine fine duratio.

11. Adorant Dominum utrâq; adoratione, hoc eſt, non tantùm in Spiritu, verùm etiam in veritate, nec hactenùs curant inſultum & aſtutiam Diaboli, cum promtè jam evaſerint ad reſiſtendum complacentiæ ſeu ſubtili oblectationi, qvâ eos capere hoſtis ambit. Nam Satanas ſolet etiam ſupremos ſanctos tentare cunctis modis, ſi qvà ſuâ arte falleret eos, verùm in tàm extenuatis ac perviis tentationum jacula locum non inveniunt, qvo hæreant infixa, hactenùs qvoq; ſine noxâ permeant.

12. Divino amore pleni amant omnes in Deo homines tàm impensè, ut exoptent qvalemcunq; expurgationis torturam ſubire in vicem animarum examini rigidiori deſtinatarum. Sunt enim adeò illuminati, ut cognoſcant, qvo malo capiantur homines, ac de defectibus hominum poſſunt ſat copioſam doctrinam cum diſcretione tradere cunctis imperfectis. Imò cùm noſcant, qvàm ſe horrendis peccatis polluant homines ſeveriſſimo judicio hinc pereundi, nullâ cruce magis affliguntur ad mortem usq; qvàm ingenti compaſſione cum peccatoribus habitâ, parati ſic pati multa magnaq; pro iisdem tormenta, ſi Deo viſum eſſet modò omnes impetrarent agnitionem tantæ beatitudinis in Deo ſitæ.

Enumeratis nunc beatitudinis ſivè electionis gradibus, ac evolutis ordinum & vitæ ſanctorum imaginibus, qvæ terminantur per interventum mortis & transferuntur è tempore in æternitatem, expediret qvædam annectere de ipſo ter-

mino agonis paucis exoptato, permultis vero diro, truci ac tremendo, qvi irrevocabili statuto sistit rotantis temporis circuitum, vultuq; inexorabili præcludit omnem regressui viam: studio verò prætermittitur hîc ejus tractatio & rejicitur ad finem operis, eò qvod terminus hic etsi in se diversus, non tamen modificatus est juxtà diversitatem præfatorum statuum, tùm etiam qvod modus tàm diversus unà cum suis Causis soli Deo cognitus est, utut referatur ad status præfatos in respectu ad præmium illicò subsequens. Quoad electionem patet è præfatâ 9. graduum doctrinâ, ad Vitam beatam reqviri sensus religatos, id est, à carne mundoq; revocatos & ad Deum elevatos, reqviri simul incuriam rerum caducarum, tædium conversationis, præter hæc requiritur etiam paupertas Spiritus & cogitationum in formas cœlestes transmutatio.

Q. Expone, qvæso, etiam octo beatitudines, qvas Christus ideo deprædicavit, qvia constituunt qvasi integrum complexum perfectionis, à primâ ergò incipiendo dic, qvid in se habeat qvod Christus dixit: Beati pauperes Spiritu, qvoniam eorum est Regnum Cœlorum? R. Propterea posuit Christus eam beatitudinem primo loco, qvia est caput ac initium omnis perfectionis. Hæc verba qvalitercunq; qvis intelligat aut vertat, oportet tamen fundum hominis esse nudum, vacuum, inops & liberum, si Deus debeat in eo operari qvàm propriissimè, qvin sine Deo nec esse potest, si vacuum est.

Q. Quot modis accipitur ea paupertas? R. Quatuor modis constat eam posse accipi. Nam primi modi pauperes sunt nolenter volenter tales, & hinc de iis non est severè judicandum, qvoniam Deus ipse parcit eorum defectibus valdè gratiosè propter paupertatem eorum.

Secundi modi paupertas est eorum, qvibus non adeò deficit subsidium necessarium; de eâ dicit S. Thomas, qvod ea quoq; * sit expetenda, & tantum ejus acceptandum, qvantum liqvet esse homini auxilium & promotio ad libertatem & vacuitatem

tem animi. Nam palàm eſt, mentem qvorundam eſſe longè puriorem ac ſinceriorem, cùm corpus habet neceſſariam ſuſtentationem, quàm ſi qvotidiè eam ſollicitius quærere oporteat. Qui juſtâ ſuæ ſuſtentationis veniâ utitur cum gratitudine, eſt magis liber ac vacuus, qvàm qvi eam qværere debet. Aſt ſi qvis advertit, ſe inordinatè eſſe obſeſſum ab eâ, eoq; nec virtutes, putà temperantiam, liberalitatem, humilitatem, puritatem &c. exercere, neceſſum eſſet, ut cuncta deſerendo cum pauperibus fiat pauper forinſecùs.

Tertius modus paupertatis eſt, cùm homo usq; adeò amat Deum, ut nedum nil hactenùs impediat eum, ſed multò magis omnia ſuggerant ei auxilium & promotionem, ſicut dicit Paulus: qvod iis qvi Deum amant, cuncta cooperantur ad bonum: tunc non movetur homo ab omni eo qvod Deus non eſt, qvin etiam qvæcunq; tangunt ejus fundum, non impediunt, ne qvà permaneat pauper, vacuus & liber: hi ajunt cum Paulo: tanqvàm non habentes & omnia posſidentes: Quoniam & Regnum posſidere poſſent ſine damno interni hominis. Rom. 8. 1 Cor. 6.

Qvartus modus paupertatis eſt, qvâ qvis ex Charitate profitetur paupertatem foris & intus vel ideò, ut juxtà exemplum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeqvatur eum in ſuâ merâ paupertate ſine curâ vel adhæſione ullius rei intus & extus. Ejusmodi pauperes habent ſolùm im̃ediatum refluxum mentis in ſuam originem ſic, ut qvàm citò excurſus aliqvis ſivè elapſus fit inadvertenter, fundum ſtatim perſentiat eum, eoq; ſubitò invertatur. Hæc eſt omnium ſimplicisſima paupertas, cujus ſumma nobilitas in hoc eſt ſita, ut, de qvo dictum, refluxus ſit non impeditus, ſed liber & vacuus, ad eum modum, qvem habent pauperes nunc & in æternum beati.

Q. Qvid de ſecundâ beatitudine habes, nimirùm: beati manſueti, qvoniam poſſidebunt terram? R. Hi uno gradu propius accedunt ad beatitudinem, qvoniam per paupertatem removentur impedimenta, per manſuetudinem verò

proximè in fundum divertimus dehinc ejectum omnem rancorem & iracundiam, sicut scriptum est: Puris sunt omnia pura, & mansuetis nil est amarum. Qvod autem bonis sunt omnia bona, id bono ex fundo procedit. Gentes prisco tempore martyrio præparabant amicos Dei, nunc autem tormentis eos afficiunt tùm Christiani apparenter boni, tum & vicini eorum, ità ut usq; in fundum penetrent vulnera. Si qvis se vertit ad Deum, ajunt, eum non esse sanæ mentis, item infirmi sensûs hominem appellant, singularistam, impostorem. Huic accidenti vadit obviam mansuetudo, qvâ homo conducitur in fundum ad seipsum, per id monstrando, qvaliter non hominibus, sed Deo acceptum ferat; indè qvoq; fit, ut homo in pace qveat dicere: ad qvid nocere possunt omnia, qvæ faciunt mihi homines, cùm Deum habeam amicum & patronum? Taliter possidet mansuetus suam terram, qvò vivat in pace, qvidcunq; etiam cadat super eum. Contrà qvi hoc non facit, perdit cum virtute pacem, & potest vocari oblatrator, id est, qvi rabidum Canem æmulatur.

Tit. 1.

Q. Quid censes de tertiâ, qvæ est lachrymantium, ut qvi promissionem consolationis obtinent? R. Duo sunt genera plorantium; Unum eorum est, qvi patiuntur, alterum eorum, qvi deflent sua peccata. Sunt autem & prænobiles Dei amici, qvi sua peccata deploraverunt, hactenùs omnium beatissimi: his non est opus plorare amplius, nihilosecius plorare non desinunt, qvia acerbo ploratu deflent peccata & defectus proximi. Legitur S. Dominicum, interrogâsse qvendam è suis sociis, ad qvid ploraret adeò? Eo autem respondente: Chare Frater, peccata mea defleo: regessisse Dominicum dicendo: non sic, mi Fili, peccata tua sufficienter deplorâsti, nunc potius defle peccata eorum, qvi ea deflere nolunt. Sic namq; Amici Dei deplorant peccata mundi ejusq; malitiam. Cùm Deus ostendere judicium suamq; iram effundere vult super peccatores, prout sunt comminatæ plagæ magnæ per ignem, aquam,

aquam, tenebras, Careſtiam, terræ motus &c. Orbem terrarum variè terrentes, adſunt amici Dei, qui ſuis continuis lachrymis Deum placando præconceptas pœnas intercipiunt, ità ut Deus nobis parcat expectando noſtram emendationem. Verùm ſi intermiſsâ emendatione fruſtrà expectaverit, longè graviores pœnæ ſunt ſubſeqvuturæ. Suſpenſæ ſunt nubes, qvas Lachrymis ſuis Amici Dei ſuſtinent; aſt certocertius eſt, nî fiat emendatio fore ut delabantur ingenti impetu, eoq; noviſſimum diem revocent in memoriam iis qvi nunc fruuntur pace, tunc autem immenſum gravati turbabuntur ſubverſo interim Verbo & Cultu Dei; Deus autem noſcit conſervare ſuos.

Q. Ad qvartam qvid habes? R. Salvator dicit: Beati, qvi eſuriunt & ſitiunt juſtitiam. Raram hanccè Virtutem pauci homines verè obtinent, nimirùm ſic, ut omnis eorum appetitus fames & ſitis nil aliud intendat, qværat atq; deguſtet præterqvàm juſtitiam. Aſt ubicunq; hæc eſſet, ibi abeſſet ſivè favor ſivè invidia verſus ſeipſum, verſus amicos, verſus ſuum honorem, nec Laus nec Vituperium, nec falſum vel præcox judicium promanaret è favore aut invidiâ. Ubi hoc fundum inveniretur, laus ei competeret, eò qvod homo conſcendiſſet gradum tàm nobilem, ut nil niſi juſtitia ſapiat ei: de tali homine cenſendum eſſet, qvod ſit beatus.

Q. Quid tibi videtur de qvintâ: beati miſericordes, qvoniam invenient miſericordiam. Scriptum eſt: Miſericordia Pſ. 144. Domini ſuper omnia opera ejus: idcircò miſericors homo eſt verè divinus. Miſericordia naſcitur è charitate & benignitate; qvapropter veri Dei amici ſunt longè magis miſericordes & tàm verſus peccatores qvàm verſus afflictos longè clementiores qvàm alii homines qvi charitatem non habent. Naſcitur autem miſericordia ex eâ charitate, qvæ inter nos invicem eſt exercenda, qvam ſi non habemus, reqviret eam Dominus in noviſſimo judicio; ſic ubi non invenit neceſſariam

Vir-

Virtutem, ibi denegabit suam misericordiam, uti dicit in E-
Matth. 25. vangelio, ubi omnem perfectionem prætereundo damnatis solùm id objicit, qvod non misericordes fuerint.

Q. Ergonè misericordia solùm sita est in munusculis aut eleemosynis? R. Non solùm; verùm etiam sita est in omni eo, qvod proximo accidit vel potest accidere. Quicunq; id omne non cum verâ charitate, & compassione intuetur, nec qvalemcunq; calamitatem ac defectum misericorditer suffert, timendum habet, ne quà Deus misericordiam suam deneget ei, qvia
Matth. 7. scriptum est: Eâdem mensurâ, qvâ mensi fueritis remetietur vobis. E qvibus Verbis seqvitur cavendum sibi esse, ne judicet proximum, qvi non vult damnari in æternum.

Q. Sexta beatitudo, qvod sunt beati pacifici. dic qvid in se habet? R. Annexum dicto est de iis, qvod filii Dei nominabuntur. Homines qvi verâ pace potiuntur, sunt omnium gratissimi, qvi & eâdem privari neqveunt: exutâ enim totâ eorum Voluntate Vitam & actionem omnem contulerunt in Deum in prospero, in adverso, in tempore & æternitate (non qvidem humano more, sed modo supernaturali, divino, in virtute Patris, in Sapientiâ Filii & in Charitate Spiritûs S. cujus lumine totaliter perfunduntur) sic ut si possibile esset, vellent seipsos deserere, ac intus & foris effluere in proximi dilectione, quatenùs ubiubi tanguntur, nil nisi charitas & pax reperitur. Hi sunt pacifici ex Corde. Pax quæ omnem sensum superat occupat eos adeò, ut neqveat exstirpari, hinc jure meritoq; vocandi sunt Filii Dei. & qvicqvid Filius Dei habet de naturâ, id iis datur per gratiam, quin & pacifici verè in Deo & ex Corde Dei nascuntur, ergò & pax ea nuspiam nisi in Deo generatur, in nullis verò institutis, regulis, modis, in externo nullatenùs, non obstante qvod tales pacifici insultibus subnoxii queant pati ingentes impetûs juxtà sensûs externi hominis varimodè.

Q. Quid

Q. Quid ſibi vult ſeptima beatitudo, nimirùm beati puro Corde, qvoniam Deum videbunt? qvid eſt Cor purum? R. Eſt, cùm homo liber & ab omni ſollicitudine Creaturarum ſolutus vivit, in tali invenit Deus fundum vacuum, liberum & à Curis cunctis expurgatum, hinc eſt futurum, ut qvi tales ſunt, viſuri ſint Deum in Veritate. Iſtæc autem puritas vitiatur, ſi homo petulanter Cor & ſufficientiam ſuam convertit ad terrena ibidem quieſcendo, cum certum ſit fore, ut quantum quietis ſibi ſumit aut invenit extrà Deum, ſivè in eo qvod Deus non eſt, tantum ſe ſeparet à Deo. Sic obſcuratur in eo Vultus Dei, ne Deum queat videre in modo ejuſdem quietis. Propalàm indè fit, quàm Carnis puritas forinſecùs inſerviat puritati Cordis, prout Paulus allegat Virginitatem dicendo, Virginem curare, quod Dei eſt, cùm ſancta ſit Corpore & Spiritu, qvale qvid habere aut facere nequeunt uxoratæ. Igitur quemadmodum amittitur pulchritudo Corporis ſub externâ ejuſdem mutilatione, ità diſſolvitur integritas Deiformis Spiritûs mediante voluntariâ Communione cum iis rebus, quæ non ſunt ejus imago vel origo, eò quod hujus medii ope ſic obſcuratur Spiritus, ut ſuam Originem videre nequeat in fundo ſuo, cujus gratiâ creatus eſt, hoc eſt, è quâ profluxit: undè autem profluxit, eò refluere debet, nimirùm in ſuum principium ad intuendum Deum Oculis mentis (Spiritûs). Hinc plurimum laudanda eſt puritas, quia habet continuatum introitum in Deum. Oportet enim ſponſam Chriſti ità ſe gerere, ut nulli deſideret placere uſpiam præterqvàm ſoli Deo, ſi quà vult eſſe & vocari ſponſa ejus.

Q. Dic qvid nos doceat octava beatitudo, qvà prædicantur beati, qvi per ſeqvutionem patiuntur propter juſtitiam? R. Quid boni in ſe contineat hujuſmodi paſſio, non poteſt dignè dici. Nam Deus benignus qvi ſuos amicos deſtinavit ad intimam ſuæ beatitatis viçinitatem, cùm videt eos non vivere

uti decet & par eſt, efficit, ut expiati per diram paſſionem perveniant ad ſalutem nolenter volenter; annon immenſa hæc eſt & ineffabilis Dei bonitas? Annon hinc obligatur homo reddere Deo infinitas gratias, nimirùm pro eo, qvod aliqvid pati debeat Causâ ſalutis? Quâ ratione autem ſe eâ gratiâ indignum reputare debet, hâc etiam ſpes magna in Deo concipi debet acquirendæ tantæ dignationis, qvà imitando eum per paſſionem reddatur ſimilis ei. Proindè ait Bernhardus: Exigua paſſio patienter perpeſſa præcellit multis magnisq; bonorum Operum exercitiis. Sic S. Thomas inqvit: non eſſe paſſionem tàm parvam, qvam qvis & foris & intus ſuſtinet, qvæ non haberet imaginem qvandam venerabilis paſſionis Domini noſtri.

Q. Daturnè exuperans paſſio aliis magis vicina Saluti? R. Tametſi paſſio, de qvâ dictum eſt, in ſe ſit incomparabiliter utilis, ſit & fructuoſa, nihilominus datur alia, qvæ ſupereminet atq; proximior eoq; nobilior eſt, nimirùm cùm homo intus patitur Deum. Nam qvantum diſtat Deus à Creaturis, tantum ſuperat ea paſſio cuncta Opera, qvæ poſſunt peragi. Ideoq; Deus ſummè diligendus eſt pro eo, qvod æternam beatitudinem repoſuit in qvandam paſſionem Dei. Sic autem eſt, ut Opus ſit Dei & non noſtrum, in eo Deus accipiendus eſt, qvia homo naturatenùs plus poteſt pati qvàm agere, plus accipere qvàm dare. Singula dona præparant aptumvè reddunt deſiderium accipiendorum infinitorum donorum, dummodò qvis vacuatâ & qvietâ mente in ſe expectaret Opus Dei, & loco conceſſo Deum in ſe pateretur, qvò ſitum excellens Opus queat in eo perficere. Deus enim eſt merus actus, Spiritus autem in ſeipſo mera paſſio; idcircò ſi homo maneret in ſuâ dignitate, ſeq; æqvaliter mereq; ſubjectum Deo teneret, ità ut Deus opus ſuum in eo abſolvat ſine ullo impedimento, hæc mira beatitudo eſſet. De electis nunc eſt pergendum ad non-electos.

Q. Quid

Q. Quid sentis de iis hominibus, qvi vivunt juxtà Voluptatem (desiderium) Cordis eorum, qvi tamdiu degunt in pace, qvamdiu locupletantur Opibus, Gloriâ, Amicis &c. ac si eorum Vita deberet esse æterna, qvin observatis insuper horis multum orant putantes sic se qvàm benè gessisse, cùm nemo audeat vel unico Verbo iisdem contradicere? R. Tales sunt magis deplorandi qvàm excusandi, tanqvàm qui re non benè gestâ in suâ propriâ tantùm resident justitiâ, propter quam sibi persuadent pacem & securitatem, damno qvidem eorum maximo, cùm tamen (si non seipsos deciperent) toto die in aliis compertum habeant, qvàm cuncta eorum bona, qvibus delectantur, nonnisi temporanea sint & transitoria. Nam factâ per DEUM Visitatione, qvà mori jubet eos, non feriatur tunc præsens inimicus, qvin festinanter obsidionem facit circumvallando eos vallo maledictæ desperationis sic qvidem, ut ruendo contendant in eam Viam, quam vel maximè vitare cupiebant. Neq; de DEO qvicqvam possunt cogitare præ continuato hostis insultu, qvod mirum non est, qvia nec DEUS fuit unqvàm in illis, non DEO confisi, non dedicati, intenti potius fuerunt temporali felicitati sensuumvè suffectui. Destructo hinc fundamento (qvod Diabolus facilè diruere potuit) ruit quoq; pax desuper structa.

Q. Dic qvid subsequitur? R. Sequitur intolerabilis, æterna inquietudo, qvam nemo potest satis deplorare. Omnis Cupiditas Carnis, Oculorum, Superbia &c. non est à DEO, sed à mundo juxtà id 1. Joh. 1. Mundus autem præterit cum suis cupiditatibus, solus tantùm manet in æternum, qvi fecit Voluntatem DEI. O si vel semel possent cognoscere aliqvid de rigidissimo extremo judicio & de carentiâ pacis æternæq; qvietis! Enimverò si corpus & anima hominis est Templum DEI, neglectus verò ejusdem tàm est supinus, ut

anima ejusdem Culpâ fiat ſpelunca latronum, qvî poterit DEUS habitare inter latrones? an poterit intrare in talem ſpeluncam vel in tabernam mercimoniæ, qvæ profaniſſimæ ſunt, cùm ſanctæ debeant eſſe?

Q. Dic obiter, qvid mercatura & mercatores denotant in ſenſu ſpirituali? R. Uti in ſenſu communi mercatores ſunt, qui id quod habent, dant pro eo qvod non habent; ità in ſenſu ſpirituali nil magis proprium eſt homini qvàm Voluntas; cum eâ negotiantur homines emendo delicias rerum temporalium, in Cibo, in Potu, in Veſtibus, ornatibus, in iisipſis, in beneplacito aliorum, ubiubi Occaſio ſe exhibuerit ad aliqvam Voluptatem, quà tempus terant, quà ſe exhilarent, qvò benè ſit illis, blandiuntur ſibi dicendo, nil nocent hæc, non Deum offendunt, Deus indulſit ea nobis. Aſt certocertius eſt, eos toto hoc mercaturæ tempore, qvo liberam ſuam vendunt voluntatem, ſe indies procul à Deo elongare, qvatenùs divinum ſolatium tantæ teneritudinis eſt, ut ſe nullatenùs cum qvopiam terreno ſolatio compatiatur.

Q. Eheu! qvid profers hîc, ignorasnè qvaliter totus mundus deditus eſt tali mercaturæ, emtioni ſcil. rerum mundanarum, & venditionis Voluntatis ſuæ, qvid regerat tibi mundus pro tali encomio? R. Qvid mundus ad me? Tantòmagis caveat ſibi, qvi mundo peroſus Idolum ejus non reveretur: noſcas etiam, perpaucos dari fortes Viros, qui DEO ſe auſint exponere, cùm omnia ſint plena naturæ ſuiq; arbitrii, omnes ferè qværant ſeipſos in cunctis rebus. Utinam cum DEO contraherent oblatâ ſcil. DEO Voluntate, cujus mercaturæ exoptatiſſimum finem reportarent, id eſt, beatitudinem.

Q. Quid comparat ſibi mundus, cùm putat pacem oblectantem

ſtantem eſſe mercem lucro ſuo dignam? R. Superiùs audiviſti, mundanos indè acquirere perpetuam inqviem, torturam Conſcientiæ, & qvid deficiat iis ignorare, qvoad animus incompoſitus eſt, ſibiipſi Oneri & Martyrio, templum eorum eſt plenum mercium nundinalium, qvas nolunt ejicere, tantominus ſeipſos deſerere.

Q. Ad qvid ſuperaddis Verba ſeipſos deſerere, annon ſufficit abrenunciare amicis, facultatibus, bonis *&c*? R. Non ſufficit, imò nil eſt hoc, nî etiam ſeipſum abneget homo juxtà Scripturæ effatum ità ut tàm ſe ſit carens, qvàm fuit tunc, cùm à Deo profluxit.

Q. Cum autem animæ fundum (Mens) tale ſit, qvod habet relationem ad DEUM, undè ſitis (deſiderium) ejus ſurgit, quæritur, cur adeò nil ejus in ejusmodi hominibus (non electis) percipiatur? R. Id adſcribendum eſt ſummæ eorum corruptelæ, ut qvi fundum id deſerunt, negligunt, omnemq; animæ ſitim impurâ aqvâ reſtingvunt, dum ſolum Creaturarum uſum appetunt. Idcircò nullum guſtum è rebus divinis capiunt, amiſſus eſt appetitus, repletus ſtomachus, eoq; paulatim feruntur in mortem æternam.

Q. Si Vitæ ſuæ curriculum tali modo abſolvunt homines, qvid tandem obvenit iis circà obitum? R. Apertis tunc Mentis oculis cùm vident tùm naturalem ſuam nobilitatem eos totaliter corrupiſſe, tùm ſubter immenſâ eorum ſtultitiâ & vanitate neglexiſſe bonum ineffabile ſuumvè fundum devaſtâſſe, labuntur in tantam anxietatem, qvæ cunctas alias longè exuperat.

Q. Ut autem defectûs hujus gravitas velut ab oppoſitorum juxta-

fructu interim cessuram. Non sic, non sic ô homines.

Q. Sunt autem multi, qvi dicunt, in sanctâ Ecclesiâ sumus fruentes sanctâ Communione, oramus, legimus, num deerit his aliqvid? R. Deest iis nimis multum, qvoniam id omne sic faciunt sine Charitate, ac sine devotione, hoc est, disperso Corde cæcè ac frigidè, ut qvis miretur desuper, nec seqvitur emendatio.

Q. Sed regerunt dicendo: Nos confitemur DEO peccata nostrosq; defectûs? R. Ejusmodi Confessio est saltem verbalis & verbosa: neq; enim habent firmam Voluntatem emoriendi cordicitùs cunctis suis peccatis ac defectibus, & tametsi Sacramentum Evcharistiæ percipiunt, nil prodest iis, qvin magis expediret, si ab usu ejus abstinerent.

Q. Nihilnè juvant conciones ac privatæ dehortationes eorum, qvi è sincero Corde iisdem periculosum statum eorum ob oculos ponunt? R. Non solùm nil juvant, qvin etiam fieri solet, ut qvi sincerè dehortantur eos, contemnantur, derideantur, novarumvè inventionum arguantur: qvid ergò futurum est iis, si seriam non fecerint pœnitentiam? Procul dubio faciem DEI non intuebuntur.

Q. Tales cùm sæpè dicere soleant, illibenter velle eos malè agere, qvis non putârit, eosdem nonnisi benè facere? R. Quod sic dicunt, ad benefacta referendum non est, cùm ambulent cùm DEO modo frigido, crasso, in murmure, in sensu brutali, legunt & orant ore externo, Corde verò, charitate & intentione (propter qvam solam Dominus

minus mortem ſubivit) creaturis liberè oblatâ. Nonnè iſti ſunt Oves nonaginta novem, qvas Dominus reliquit in deſerto tanqvàm nullius frugis? Cùm peccatores ſint, non tales agnoſcunt ſe eſſe, labiis ſuis (hoc eſt, externis modis) honorant D E U M, ſed Cor ab eo remotum *eſt* longius. Plura quæ ad non-electos referri poſſunt, inveniuntur ubertim in præcedentibus Sectionibus: hiscè finitur Sectio tertia.

VITTORIO EMANUELE ... DI ROMA

SECTIO

Digitized by Google